



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



Ex dono  
Illustrissimi  
AC  
Reverendissimi  
D D. Francisci  
DE BOVET.  
Arch. Colosani.  
Anno 1838.

*Litho de Leroy, R. du Regard, 30.*

X 700/  
607









# TERENTII CHRIS- TIANI,

*Pars Secunda.*


## QVA CONTINENTVR SACRÆ COMOEDIÆ SEX.

SVSANNA, TYPHLVS,  
DANIEL, PENTECOSTE,  
TRIUMPHVS Christi, ANANIAS.

*Auctore,*

CORNELIO SCHONÆO Gou-  
dano, Gymnasiarcha Harle-  
mensi,

*Omnia ab Auctore diligenter emendata atque  
recognita.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Sumptibus, JODOCI KALCOVII  
Bibliopolæ.

---

ANNO M. DC. LII.



Admodum reverendo, illustri & amplissimo viro Dno. Iacobo Chimarrhæo S. R. E. Protonotario, Comiti Palatino Apostolico & Imperiali, Auratæ militiæ Equiti, S. Cæs. Maj. Eleemosynario Majori, Litomiricensis & S. Severini apud Vbios Ecclesiarum Præposito, ac ad D. Gerconem Canonico, &c. Domino & Mæcenati suo multum observando.

**N**ON multi præterierunt anni reverende, Illustris & amplissime Domine, quod ut tam doctrina, quam pietatis nomine laudatissimus Cornelius Schonæus Gondanus, Comædias quasdam sacras stylo Terentiano caput contexere, quæ ubi primum in manus doctorum hominum venerunt, summo applausu sunt exceptæ. Nihil enim nisi castas ex sacrorum Bibliorum codice desumptas materias, & historias, nulla inæormixta spurcitiæ: attamen terso ac docto sermone conscriptas continebant. Cum autem hæ Comædiæ ad senarij numerum excrevissent, & Terentii Afri fabulas numero æquarent, summamq. cum eius dictione haberent affinitatem: visum est multis probis iuxta & eruditis viris, eas nomine Terentii Christiani appellandas, & in lucem proferendas esse. Quorum consilio, eo nomine & titulo condecorata, nostris

A 2

stris

stris, typis primo sunt publicata, & plurimorum utilitati emissa. Cœperunt verò statim doctorum & studiosorum hominum calculis adeo comprobari, ut plurimi prudentissimi & eruditissimi viri hunc Terentium Christianum in scholas publicas recipere, & inter ceteros classicos auctores, veteris Terentii vice, juventuti proponere, & exponere non sint veriti, aut dedignati. Auctor Schœnaus, ut cognovit Comœdias suas in unum opus congestas, & se incio tam sublimi titulo decoratas; initio quidem (ut ab omni fastu & ambitione est alienissimus) agrè tulit: At ubi multorum, magnæ eruditionis & auctoritatis hominum sententia didicit, suos labores probari, & plurimum commodi ad Christianam juventutem ex hac sua industria proventurum, eorundem judicio potius quam suo acquievit; & ut amplius Reipublicæ literaria, & studiosa juventuti prodesse posset; plures non dissimilis argumenti, & styli comœdias scribere & edere haud gravatim est aggressus. Eas quoque quoniam ad eundem senarium numerum, cum prioribus ascenderunt, eodem titulo ac nomine, quasi pro altera Terentii Christiani parte in lucem proferre non dubitavit, & mihi meisque prælis imprimendas, & edendas commisit. At verò dum de patrono, ne hodie laudabilis noster habet, sub cuius tutela, hac secunda Terentii Christiani pars munita, & ornata in publicum prodiret, cogitarem, nemo alius occurrit, nisi tu Reverende, Illustris & Amplissime Domine Chimarrhæ, cui multis nominibus

bus hunc *Typographia* nostra fatum deberi cen-  
 sui. Nam imprimis ipse virtutum tuarum  
 splendor & honor, quo in aula *Inviētissimi Ca-*  
*sar. Rudolphi II.* praefulges, atque omnes in admi-  
 rationem rapis, & adimitandum provocas, exci-  
 tat me, ac invitat, ut à luce ista tua aliquid lucis  
 huic operi mutuer, comparemque. Deinde  
 quod Reverenda & Illustris amplitudo tua non  
 modo ipsa tersum & politum tum orationis filum,  
 castamque poësin, & cultiores *Musas* semper a-  
 mavit, coluit, sectata est, & pietati conjunge-  
 re studuit: sed & quod homines literatos *Poe-*  
*tas, Oratores, Musicos*, undecunque ad *Cesaris*  
*Aulam* accedentes, singulari benevolentia excipit,  
 complectitur, amat, fovet, & quantum fieri pot-  
 est, rebus & honoribus auget ac ornat. Atque  
 ea propter non dubitem, quin hac *Terentii Chri-*  
*stiani* pars altera, qua non minus quàm prior Il-  
 lustr. *Bavar. Ducibus Philippo & Ferdinando*  
 dedicata, venustos flores, sales & sententias ter-  
 fissimo stylo sacris *Comediis* inspersas habet, atque  
 ex *Vbiorum Colonia*, abs te singulariter amata  
 prodit, gratissima sit futura, & benevola animo cō-  
 plectenda. Demum impellunt me beneficia in me  
 tua, qua presenti praesens, & in absentem absens, sa-  
 penumero contulisti, quibus dum respondere nun-  
 quā ac pares quas debeo gratias referre non possū,  
 libet hoc munusculo animū saltē gratū, & tibi per-  
 petuū devinctum cōtestari. Quare ut benignè susci-  
 pias, meq; in clientum tuorum album receptū solito




*favore complectaris, quam possum, enixissimè rogo. Ita Rdam Illustm. Aplam. Digtem. T. bono Reipub. natam, nobis Caesar. Maieſt. totique Germania nostra supremus ille rerum omnium Arbitor Deus Opt. Max. multo adhuc tempore serves incolumem, & à quibuscunque adversis protegat.*

*Datum Coloniae Anno incarnationis Dominicae, Millesimo sexcentesimo sexto, ipso festo Nativitatis Mariae Virginis.*

*Reverend. & illust. Amplitud.  
Humilimus cliens.*

**Gerardus Grevenbruch.**



AD

**CORNELIUM SCHONÆVM** *Goudanum Gymnasiarcham Harlemensem, olim præceptorem suum.*

**C**orneli Batavæ moderator fide iuventæ,  
 Harlemi, & patrii lucida stella soli:  
 Quem Charis excepit primum de matre cadentem,  
 Cygnæ plectrum vocis habere dedit:  
 Cui Cypriæ ad mammas pendenti arrisit Apollo,  
 Cujus & iniecit laurea ferta comis:  
 Te laudo, & miror, qui cum tuba Martia passim  
 Horrendo insonuit, infremuitq; sono:  
 Tot simul in turbis præsentibus undique belli  
 Phœbæum pangis, pieriumq; melos,  
 Quod dedit admoti tibi nox vigilata lucernis,  
 Dictavit focco pulchra Thalia suo.  
 Quam gratum hoc illis, quibus est purgatio auris  
 Quosq; sales lepidi, doctaq; dicta iuvant?  
 Laudo, inquam, hunc animum, laudabunt secula nepotum

Quod canis in Martis turbine pacis epos,  
 A te quod prudens melius, quam ignobile vulgus,  
 Præsentari fieri, commodiusq; videt,  
 O acres sensus, sparsasq; papavere voces!  
 O melle, & liquido verba peruncta croco!  
 Quorum jucundum quicumq; hausero liquorem,  
 Mutantur Dias protinus in Furias.  
 Queis neq; quit Criticus nigrum præfigere thetha  
 Quippe diu niveas emeruere notas.  
 Maeste ô Schonæ hoc præclaro munere! maeste  
 His vegeti ingenti viribus & Genij!  
 Perge Batavorum Romano pulpita rore  
 Spargere, & ambrosio tingere odore Forum.

Et suaves hortos Plauti peragra, atq; Terenti,  
 Delibans flores sedula sicut apes:  
 Ex lectis herbis, & verbis nocte corollas.  
 Quæ sua velabit tempora posteritas.  
 Sic famam & magnos tibi conciliasse magistros  
 Proderit, & summis te insinuasle viris.  
 Invidia maior sic celsa per astra vehêris,  
 Carmine teq; sup sæcula fera canent,  
 Et statuer statuam tibi lectis Gouda libellis,  
 Auspicijs nimium Gouda beata tuis.

*Quod voveo, & augurer.*

PETRVS SCHRIVERIVS  
 Harlemenſis.

## AD CORNELIVM SCHONÆVM Comicum.

**A** Fer Aristophanes, pallæq; repertor honestæ  
 Æschylus, & Stætius, Plautus & Attilius,  
 Cum turpes hominum mores, luxumq; notarent,  
 Comica lasciivis scripta dedere jocis,  
 Et personato carpentes crimina culta,  
 Mordace versus permaquere sale.  
 Non hic obscæno lasciivit fabula versu,  
 Nec levis insano Pamphilus igne furit.  
 Casto Schonæus percurrit pulpita socco,  
 Et legit è sacris Attica mella favis,  
 Quæ spectatori sapiant gustata Catoni,  
 Quæ solvant Curios, Fabritiosq; graves.  
 Grande decus scenæ! Niveis tua fama quadrigis,  
 Musa coronatis alba vehetur equis.

*T. Schrevelius.*

ALBER-

## EPIGRAMMA

**D**Um Schonæ vides tam turpia ludicra scena,  
 Et toto sædos volvier orbe sales:  
 Hoscæ exemplo pete Nonariæ casta  
 Redditur, & soboles nascitur inde Deo.  
 Macte vir hac opera, cæptoque insiste labori.  
 Ne cela: hac cœli templa parantur ope.

CL. D. CORNELIO SCHONÆO  
 GOVDANO.

## Ode

**V**Anus Deorum cultor, & impiè  
 Lascivientis magna Comœdiæ  
 Pars, exit en feliciori  
 Alite, carminibusque missus  
 Castis, revertit: Namque TERENCE  
 Præbens venenum dulce legentibus,  
 Scribensque furtivos amores,  
 Retia luxuriantis ævi:  
 Correctus à te, nunc locupletior  
 SCHONÆE prodit, moribus optimus  
 Et Christianus. Jam cupido  
 Cumque joco Venus exulabunt.  
 Æstate non sic mella legunt apes,  
 Vt tu ex veneno pharmaca conficis,  
 Obscœna tollens, vana mutans,  
 Optima sola tibi reservans.  
 Sic te beatum gloria posteris,  
 Sic te Poetam fama apud externos,  
 Si te beatorum sodalem  
 Constituet facietque virtus.

*Rangebac*  
*Arnoldus Mylius, Arn. F.*  
*Birckmannus.*

A 5

Adol-  
 Digitized by Google

*Adolphus Schulckenius Geldriensis, Philosophia  
in Academia Coloniensi, Gymnasij Mon-  
tis Professor, benevolo Lectori.*

**Q**uisquis studeas imbuere mentem moribus,  
Virtutibus vel artibus,  
Politiore literatura, sacræ  
Scientia historiarum, pedem  
Huc ferto, S C H O N Æ I pias comœdias,  
Disce libenter, sedulo  
Examines, circumferas tecum domi,  
Foris, nec unquam deferas.  
Quid ita? reperies hic gravis T E R E N T I I  
Terribilissimos, lepidissimos  
Sales, venustos flosculos, stylum gravem:  
Mores bonos, vitam piam  
Hinc hauries, & CHRISTIANO congruam;  
Disces sacrarum paginarum,  
Documenta sacratissima. Ergo quisquis es  
Virtutum amans vel artium,  
Has Christianas volvo comœdias,  
Relegito, discito, facito.

EIDEM  
T E R E N T I V S C H R I -  
S T I A N V S .

ΑΝΑΓΡΑΜΜΑΤΙΣΜΟΣ,

ΕΝ ΤΥΤΑΡΕ ΣΙΝΥΣ  
C H R I S T I .

**Q**uisquis flagranti nisu, vigilique labore  
Doctrinæ Aoniæ cupis invigilare, bonosque  
Cum studijs mores addiscere, quique laboras  
Mores egregia multarum cognitione

Rerum,

Rerum, & præclara Sophia cumulare, studeſque  
 Quasvis res aptis verbis describere, mentis  
 Conceptus narrare alijs, hic ſedulus hære,  
 Hinc hauri aſſiduus, **STVDIOSE**, hinc diſcite  
 tutò,

Diſcito, ſed certa ſub conditione vocatus,  
 Quam tituli tibi præfixi mox ſuggerit omen.  
**EN TVTARE SINVS CHRISTI**, & tunc  
 diſcito tutò.

---

In Comædias.

*Cornelij Schonæi.*

**I**ngenio Plauti, ſultoque lepore **TERENTI**  
 Roma mihi nimium viſa placere ſibi eſt:  
 Nam cum Schonæus feliciter exprimit amboſ,  
 Carmine non minor eſt, & pietate prior,  
 Ludicra tractarunt alijs, ſed ſeria noſter:  
 Ipſe, quod innumeris deſuit. unus habet.

*Eubens poſuit*

**CORNELIVS A DALL.**

---

**HADRIANI IVNII**

*Hexaſtichon*

Sub perſona Auctoris.

**D**Vm flores nitidi paſſim delibo Terenti,  
 Cecropiæ exemplo peçto libenter apis.

**Ex:**

Exhibeo pietatis opus sub imagine Iulus  
 Comici, & his secum seria multa trahit. /  
 Exulat hinc petulans jocus & lasciva Dione:  
 Conveniens sanctæ vena pudica rei est.

## In Terentium Christianum Cor- nelij Schonæi.


**Q**ualiter infano juvenis lascivus amore  
 Scottatur, cæco dum nimis igne calet:  
 Quoque modo incautus pariter gnatusque paterque  
 Fallitur hic servi, pellicis ille dolis;  
 Comicus hæc terfo, puroque Terentius ore  
 Edocet & linguam format & arte polit.  
 Nequitia vero. quando id modo cogitat unum,  
 Materiz fœdat cætera membra suæ.  
 Hic autem, prisco remanente nitore, poëta  
 Argumenta sacris eruit historiis:  
 Ut simul efficiat nullo discrimine linguam  
 Limatam, corpus sanctum, animumque piæ.  
 Vascula nam quisquis teneræ, facilisque juventæ  
 Inficit, is verè Comicus est Tragicus.

*Jacobus Lom Ruremun-  
 densis posuit*

*Aliud eiusdem.*

Inducrat corpus Latiali veste Menandri  
 Afer, & hinc plausum plebe probante tulit.  
 Quid meruit nitida qui fronte & pectore casto  
 Substituit veteri membra novella togæ?

TEREN-



# TERENTII CHRIS- TIANI SVSANNA.

*Actorum nomina.*

JOACHIMVS.

SVSANNA.

JVDAS.

MELCHIAS. } Senes.

SYRA, ancilla.

SOSIA, servus.

SADOCVS.

AZARIAS, } Satellites.

DANIEL.

SIMEON.

ANANIAS. } Iudices.

## PROLOGVS.

*Iambici.*

**S**alutem, spectatores humanissimi,  
**S**vobis precamur plurimam, felicia,  
 Læta, atque prospera exoptantes omnibus,  
 Quicunque huc alacres, & magna frequentia  
 Convenistis, ludos spectaturi scenicos:  
 Quos Schonæus nostræ Archididascalus scholæ,  
 Per nos hic est exhibiturus. Comœdia  
 Erit sacra, è sacris sumpta Biblijs.  
 Attentos itaque animos huc, atque benevolos  
 Adhibete cuncti, nec ijs inter vos locum  
 Date, qui aut ridendi aut fabulandi gratia  
 Se huc contulere. Absint illi procul: nihil

Mora-



Moramur tales, quos abesse malumus  
 Quam adesse. Nam nobis ab his nihil boni  
 Expectandum arbitramur : à quibus turbas,  
 Tumultus, clamores, aliaque similia  
 Incommoda provenire videmus sæpius.  
 Silentio erit hic nobis opus, & auribus  
 Arrectis, atque candidis.  
 Quas ut sedulo adhibeatis oro, atque obsecro.  
 Ne sinite ut improborum malevolentia  
 Indignis circumventi videamur modis.  
 Æquum, ac justum esse puto, quod postulo : quando  
 Huc omnis noster incumbit labor, vobis  
 Ut profimus, animumque jucundo, ac sacro  
 Oblectemus spectaculo. nam seria  
 Sunt quæ damus, ac pia; non profana, aut ludicra,  
 Quibus deteriores plerumque reddimur.  
 Quiescite igitur, atque favere silentio,  
 Ut Periocham vobis recitem comædiæ.

## PERIOCHA.

**A**D probrum Susannam duo sollicitant senes.  
 Recusantem obsequi insimulant, adulterium  
 Intentantes. Fides habetur perfidis.  
 Damnatur, & ad mortem deducitur innocens.  
 Mox Danielis patrocinio regegitur  
 Dolus, dimittitur illa: Sceleribus suis  
 Dignum, meritumque supplicium senes luunt.

## ACTVS I. SCENA I.

## IOACHIMVS.

*Iambici.*

**I**psate nunc verum esse comperio, frequens  
 Vulgo quod dici consuevit: vitæ optimam  
 Ei obtigisse sortem, cui ex animi sententia  
 Cessere nuptiæ: cuique talis contigit  
 Vxor, quæ non tam majorum stemmatibus, &  
 Generis nobilitate, aut magnifica dote, quam sua  
 Probitate, ac virtute se commendat viro.

*Abando*

*Abunde enim nobilis est, quæ pietate est prædita.*

*Tum dotata est satis, quæ morata est bene.*

*Hæc dos puellam exornat maximè hac si quæ*

*Carer, næ ego illam uxorem haud optarim mihi,*

*Etiamsi sarrapæ alicujus sit filia.*

*Nam mihi quid profit, si magnas possideam opes:*

*Sime homines ut virum potentem, ac divitem foris*

*Honorent, vereantur, cedantque de viis*

*Atque intetum superbæ, morosæque faminz.*

*Querimonijs, rixisque perpetuò obrundar domi.*

*Profectò splendorem hunc, talemque opulentiam*

*Haud magni ego æstimem: in qua tranquillo, quietoque*

*Animo vix unquam esse liceret, mihi. Mea*

*Mihi magis placet uxor, quæ ut parentibus*

*Bonis, honestisque est prognata, ita ipsa quoque probam*

*Se præbet: placidis, & amabilibus ornata moribus.*

*Tum vero præter alias animi, & corporis.*

*Quibus merito laudanda est, dotes, admirabilis*

*Ea est illius virtus, quod pietatis amans, Deum*

*Religiosè colit. Quæ res, ut opinor, efficit,*

*Ut quicquid aggreditur, ei cedat feliciter,*

*Superis ejus conatus adjuvantibus:*

*Quos quin sibi propitios habeat, non est dubium mihi,*

*Sed ostium crepat, quis exiturus sit,*

*Nescio. Ea ipsa est, de qua loquor. Eia, quam venusta.*

*Atque elegans est. Bone Deus, ut ego illam aspicio lubens,*

*Quanquam elegantiam, formamque corporis*

*Parvi facio, mores illius candidi,*

*Atque incorrupti, multo majori voluptati*

*Sunt mihi, Eam hic operiar, & quid loquatur audiam.*

ACTVS

**F**ortunatam profecto ac felicem me esse arbitror  
Cum Ioachimo, probo atque laudato viro,  
Nubere contigerit mihi, quem eo ingenio video esse  
præditum,

Virtutem ut pluris, quam aurum, aut argentum æ-  
stimer.

Et cui dotes animi multo quam corporis  
Placent magis. Atque hoc mihi cum illo planè con-  
venit:

Ingenio enim bono, atque moribus probis,  
Quam auro, gemmis multis, preciosisque annulis  
Me ornatam malim. Neque in eo me errare existimo.  
*Venecundia* enim mulierem, non purpura  
Commendat. *Io.* Ita me Deus amet, ut ego hanc au-  
dio lubens

Loquentem: nimis aptè cum ingenio oratio

Illius convenit. *Sus.* Nunc eo res redijt, ut

Locupletem quisque quam probam

Vxorem malit, *Dum dos est*, nullum vitium

Vicio vertitur. *Io.* Euge, laudo. *Sus.* Et errant graviter

Mea quidem sententia: qui vilia hæc iis,

Quæ verè sunt bona, sibi anteponenda esse censent.

*Io.* Compellarem illam, nisi metuam, ne desinat nar-  
rare, quæ

Lubenter eam loqui audio. *Sus.* Quin feminæ

Quæ magnam ad maritos attulerunt dotem, opibus  
suis

Elatae postulant sibi quælibet: pedissequas,

Famulas, aurum, argentum, annulos,

Torques, armillas, gemmas, aliaque ornamenta plu-  
rima.

Quibus cum corpus ornant, animum potiozem sui  
Partem, plane negligunt,

Bumque incultum esse sinunt. Multa ego video

Mulier

Troch.

Troch.

Troch.

Mulieribus esse vitia : sed hoc unum è multis est  
maximum,

Quod curiosius, & plus quam decet, sese  
Colunt, nimisque operam dant, ut placeant viris.

Ego autem, ut ex animo loquar,

Diverso ingenio me natam esse gaudeo:

Quæ viro meo probari, quam placere malo.

*Proba enim* mulier nuda, est purpurata pulchrior.

*Troch.*

*Ornatum* pulchrum, turpes mores pejus cæno colli-  
nunt.

*Ion.* Rectè. *nequicquam* enim ornata est benè, quæ  
morata malè

*Est. Sus.* At video maritum, mirum ni me hic loquen-  
tè

Audierit, solam me esse putabam. *Ion.* Visus sum.

Ah, sermonem ejus interruptum esse doleo,

*Sus.* Accedam propius, atq; illum compellabo prior,

*Ion.* Sed huc ad me affectat viam, *Sus.* Bho, hiccine

Bras Ioachime? non prævideram te. *Ion.* Credo, sed

Ego te loquentem auscultavi lubens. *Sus.* Quid ita  
cedo.

*Ion.* Quia placebat mihi tua oratio: quæ quo

Ingenio sis declarat maxime. *Sus.* Si quid

Loquor, aut facio, quod tibi placet mi vir, equidem

Gaudeo, quanquam in me nihil omnino esse arbitror

Quod magnopere sit laudandum. Nam si quid in  
homine

Laude dignum est, in viris id potius, quam in mulie-  
ribus

Inveniri æstimem. *Ion.* Modestè isthuc à te,

Ac prudenter anime mi laudo, mihi que gratulor,

*Troch.*

Quod tu uxor contigisti mihi. *Sus.* Ego quoque diem

Istum feliciter mihi illuxisse censeo,

Quo tu me conjugem domum

Ducebas, quo quidem marito me admodum

Fortunatam esse judico:

Præsertim cum quarundam mulierum sortem

Mecum perpendo, quæ infeliciter nuptæ,

B

Cum

Cum incommodis maritis vitam injucundam exi-  
gunt.

*Ioā.* Ingenij ac morum dissimilitudo inter plurimos  
Odium atque dissidium parit. Inter nos per omnia  
Benè convenit; adeo ut quæcunque mihi, tibi  
Etiam placeant: contra quæ displicent, ea  
Tu tibi vitanda ac fugienda esse existimes.

*Suf.* Ita facere probam matroniam decet. *Ioā.* Insuper  
Genus, parentes, atque facultates nostræ fere pares,  
Atque æquales sunt: quorum diversitate  
Nobiles etiam familias turbari videmus  
Sæpius. *Suf.* Est ut dicis Ioachime. Sed video  
Huc adventantes nescio

Quos. Tempus est, ut hinc intro me recipiam.

*Ioā.* Qui sint videor mihi propemodum agnoscere.  
Ingredere tu, si ita tibi videtur. Ego eos  
Præstolabor huc accedentes. *Suf.* Eo

### ACTVS I. SCENA III.

IVDAS, MELCHIAS, IOACHIMVS.

*Ejusdem generis versus.*

**R**Estè quidem tu isthæc, ac verè Melchia:  
Nihil enim in vita hac muliere vidi pulchrius  
Nihilque venustius. *Me.* Haud similis est uxorum  
Nostrarum: quæ dum sunt foris, nihil videtur mun-  
dus,

Neque magis compositum quicquam, neque magis  
elegans.

Verum domi cum solæ sunt apud maritos,  
Nihil illis sordidius, nihilque est invenustius.  
Sed estne iste Ioachimus, illius maritus, quem  
Non procul hinc stantem conspicio? certe ipse est,  
Nisi oculi prospiciunt parum.

*Iud.* Nihil te fallit visus, accedamus ad

Eum. *Mel.* Næ ille hominum, qui vivunt, fortunatis-  
simus

Merito est censendus, cui tam formosa uxor contigit.

*Iud*

*Iud.* Compellamus eum. *Ioā.* Iudas est, & Melchias.  
Ad me accedunt. *Mel.* Joachime, plurima salutē  
Te tuus impertit Melchias. *Iud.* Lata tibi precamur  
omnia.

*Ioā.* Benignè dicitis, atque amicè. Benevolus  
Iste vester erga me animus; gratus est mihi:  
Optoque vicissim, ut vobis quoque feliciter  
Cuncta atque ex animi succedant sententiā.  
Sed quo iter est? *Iud.* Non procul. *Mel.* Cœli serenitas

Foras nos illexit. *Ioā.* Benè facitis, in cœnam  
Ambulando, ut opinor, acuitis stomachum,  
*Iud.* Rectè conjectas, namque ad eam rem non in. Troch:  
utilis

Est ambulatiuncula. *Mel.* I una nobiscum, si placet,  
*Ioā.* Nondum remedio eo opus est mihi, per se satis  
Mihi valet stomachus: cum viridi, atque integra  
Adhuc sim ætate. *Iud.* Næ tu fortunatus es  
Præ nobis Ioachime. *Ioā.* Hem, quid ita fodes? an  
quia senes

Estis? Atqui ut id nobis contingat optamus  
Omnes. *Iud.* Non ideo ô bone; sed aliam ob rem mihi  
Videre felicissimus. Troch:

*Ioā.* Quid isthuc? *Iud.* Quod tam pulchra, tamque  
venusta tibi  
Obtigerit uxor: id est, quo omnes te fortunatum  
prædicant.

*Ioā.* Corporis formam quæ fluxa, ac fragilis est, Troch:  
Parviego æstimandam censeo. *Probus,*  
Atque pudicitia in muliere spectandæ sunt maximè.  
His quæ ornata est, pulchra est satis, etiam si nihil  
Præ tetea accesserit adjumenti ad pulchritudinem.

*Mel.* Est ut dicis, animi quidem  
Dotes corporeæ formæ anteferendæ sunt; sed tamen  
Formosa uxor virum delectat maximè.

Quam tu cum sis adeptus, non mirum herculè  
Videri debet, si te homines felicem judicent.

*Ioā.* Si quid boni mihi obtigit. Gau. Troch:

Gaudeo, & gratiam habeo Deo.

*Mel.* Itame Deus amet Ioachime, ut ego non solum  
Te, qui illius maritus es, beatum existimo:

Sed omnium quoque aliorum, qui una tecum  
cum ea

In eadem habitant domo, fortunam laudandam puto

Qui summa forma fæminam

Quotidie conspiciunt, adsunt, inserviunt.

*Iud.* Verè tu istud dicere mihi videris Melchia:

Præclare enim ipse mecum agi arbitrer, si hac mihi  
Voluptate liceat frui.

Præsertim cum te minimè clam est, quam inelegans

Ac deformis mihi uxor sit domi. *Ioan.* Ah, tene

*Troch. 2.* Isthæc loqui Iuda, cum ea sis ætate, ut tibi

Vxore non admodum videatur esse opus?

Nam deferbuisse jam in te opinor corporeum

Istum stimulum, multos qui in adolescentia

Diversum ac præcipites trahit. *Iud.* Nihil minus

Ioachime. *Ioan.* Mirum cerrè Eho dic Melchia,

Nondum & tui imperiosi istius domini jugum

Excussisti? *Mel.* Nequaquam. *Ioan.* Eho, quid audio?

Miseret me vestri. Sed sermonem hunc, neque mihi  
neque

Vobis satis decorum hic abrumpamus: &

Est quod agam domi. Valete. *Iu.* Vale Ioachime  
Ehem,

Quid aliud dicere volebam? *Ioan.* Quid? *Iud.* Vxo-  
ri tuæ

Ex me salutem dicas oro. *Mel.* Idem & ego te rogo.  
*Ioan.* Fiet.

# ACTVS I. SCENA IV.

## MELCHIAS, IVDAS.

*Eiusdem generis versus.*

**I** Amne abijte ille? *Iud.* Abijte. *Mel.* Et dicere hic  
quid vis licet?

*Iud.* Quidni? quanquam quid dicturus sis propemo-  
dum scio.

*Mel.*

*Mel.* Non arbitror, sed quid sodes? *Iud.* Sermone  
istum, modo

Quem abruptis Ioachimus, te prosequi velle,  
Vicunque mihi conjectare videor. *Mel.* Ita me  
Deus amet, ut rem acutetigisti Sed dic serid:  
Estne bona forma, ac luculenta? *Iud.* Rara atque op-  
tima.

Ideoque quoties illam mihi videre contigit,  
Verbis pol eloqui haud possum, quantopere ani-  
mum

Commoverit meum. *Mel.* Profecto adamantinus  
Sit, aut quo vis adamante durior, quem tam  
Formosa, tamque venusta non moveat fœmina.  
Mihi quidem, ut quod sentio loquar, nihil  
In vita unquam est visum elegantius. Itaque  
Mirum non est, si ego meam, quæ infelici  
Est forma, præ illa spernendam putem. O faciem  
Pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres:  
Tædet harum quotidianarum formarum.

Troch.

*Iud.* Nequicquam tu hæc mihi fabulare Melchia,  
Cum & ego deformem, atque adeo rixosam uxorem  
habeam domi:

Quam libenter ex ædibus extruero;  
Nisi esset quod me deterreret. *Mel.* Admodum  
Misera certè, & deploranda virorum est conditio:  
qui

Troch.

Cum adollescentes, quando maxima consilij est im-  
becillitas,

Vxorem duxerint, qualiscunque illa sit,  
Sive benè, sive malè morata perpetuo  
Sit retinenda infelicibus. Divortium  
Eum quanquam viris est concessum, tamen  
Odiosa, atque molesta est discessio: quam qui-  
dem

In senibus non ferendam multi existimant:  
Præsertim si ex ea, quam reijcere paras,  
Nati tibi sint liberi.

*Iud.* Ea mihi præcipua (ut hic tecum liberè

B ;

Lo-



*Troch.* Loquar ) causa fuit, quod meam perpeſſus ſum hæ-  
tenus.

Nam ni iſthuc eſſet, jam pridem illam domo  
Exturbaveſſem. *Mel.* Id & ego feciſſem; niſi cauſa  
Eadem, quæ te cohibuit, mihi, ne iſtud face-  
rem.

*Troch.* Obſtitit: nam moroſiorem ſæminam  
In toto non puto reperiri oppido. Itaque  
Dies nocteſque niſi mecum litigat;  
Meque ſua vexat atque obtundit contumacia,

*Troch.* Quod tamen utcunque ferrem, niſi inamabilis,  
Et planè deformis eſſet. *Iud.* Idem & mihi  
Vſu venit. Mulier formoſa ſi imperioſior  
Eſt, ant paulo procacior,

*Troch.* Aequo animo ego id viro tolerandum cenſeo:  
Quando hoc quicquid eſt incommodi,  
Forma compenſat ſua. Invenitſtam autem,  
Et deformem, atque inelegantem perpeti,  
Ejuſque ferre contumelias, quis obſecro  
Queat? *Mel.* Ego ſanè tolerando meam, ſatis  
Superque deſatigatus ſum. *Iud.* Et ego profeſſò. Sed  
Fruſtra querendo totum hic conſumimus diem,  
Valeant illa, & quo cœperamus recta pergamus via.

## ACTVS II. SCENA I.

## MELCHIAS.

*Iambici.*

Vix tandem eum miſſum feci, qui me hodie quo-  
cunque

Ibam, eſt conſectatus haſtenus, neque dubito

*Troch. 3.* Quin id fecerit de induſtria, qui cum probè  
Animadverteret, ſua colloquio me non admodum  
Delectari, atque in alia re mihi occupatum eſſe ani-  
mum.

Tamen uſque comitari, atque adeo

Oratione longiori obtundere

Ægre me tandem deſtitit. Cum interea niſi  
De Suſanna loqueretur. Qui quidem ſermo veluti  
Mihi

Mihi non erat ingratus (nam de illa & ipse loquor  
 Lubenter, & alium loquentem non invitatus audio)  
 Ita eo adduci nullo modo potui, ut eo garrulo  
 Committendum esse putarem, quod animum malè ha-  
 bet meum.

Eo enim ingenio fui semper, ut apud nullum  
 Sodalium, aut amicorum mea occulta  
 Expromere unquam voluerim : amicum enim mihi  
 Ita diligendum censeo, tanquam aliquando cum  
 Sim osurus. Adhæc ipsa rei turpitudine me  
 Deterret: & tædet, & amore totus ardeo, &  
 Prudens, sciens, vivus, videntque perco: neque quid  
 agam

Scio. *Nam quæ res in se neque consilium, neque mo-  
 dum*

Habet ullum, eam consilio regere non potes.  
 Idque ipse nunc satis superque experior infelix;  
 Quando consilio nihil est effectum hactenus.  
 Sed ecce cum rursus accedentem. Hui tam cito?  
 Qui se pransum irurum dicebat modò.  
 Haud auspiciatò huc me contuli. Deus

Istum male perdat Corycæum, qui totum hunc Trochæ-  
 diem

Me usque observavit: adeo ut neque agere per eum  
 quicquam, neque

Quoquam ire sine eo licuerit mihi. Quin alias etiam  
 Cum apud has ædes consisto, aut hac iter habeo,  
 Deus bone, quoties me est consecutus: quid mihi  
 Hic sit negotij rogitans, atq; obrundens identidem,  
 Quod & nunc absque dubio est facturus. Quasi  
 Non viderim illum ante, assimulabo: & paululū hæc  
 Defectam ad dextram, sic agam.

ACTVS II. SCENA II.

IVDAS, MELCHIAS.

*Eiusdem generis Versus.*

Q Vanquam hinc modo sum digressus, tamen as-  
 mrum diu

Ab his mihi videor abfuisse ædibus. Næ ego  
Plateam hanc perambulo

Frequens : dum exeuntem , aut introeuntem illam  
obferuo.

Quin nunc me denuo, relicto prandio,

Huc me properare compulit

Amor: cui si coner refiftere, nihilo

**Troch.** Plus agam, quam si dem operam, ut laterem lavem.

Sed quis nam est iste quem huc venientem conspi-  
cor?

Atat , hic quidem est collega Melchias : qui a me  
modò

Discedens, se domum ire dicebat : monstri simile.

Accedam, atque alloquar. Ehem, quid hic toties tibi  
negotij est;

Aut cur apud domum hanc rursus te video Mel-  
chia;

**Troch.** *Mel.* Vah quod nihil refert tua

Ne percontare Iuda. Eho , quid isthuc ? tun' me pu-  
blica

Prohibebis ire via? quid hoc rei est? quid hic

Vult curiosus sibi? *Iud.* Irane statim irascere?

**Troch.** *Mel.* Quid tu malum me observas , aut quid ego a-  
gam ; non mihi

Placent homines, alienis qui occupati

Negotijs, sua negligunt. *Iud.* Audi mi Melchia,

*Mel.* Quid mi Melchia, tantumne abs te tua

Ocij est tibi, mea ut cures, eaque nihil quæ ad te atti-  
nent?

*Iud.* Homo sum, humani nihil à me alienum puto.

Si peccavi, ignoscas oro. *Mel.* Age lubenter:

Neque jam tibi, neque cuiquam sum iratus alicui.

Sed dic mihi sodes vicissim,

Quid causæ sit, quod ego te quoque in hac toties re-  
perio

Plateam nunquam tam mandegredior, neque

Tam vesperti domum revertor, quin te apud

Has conspiciam ædes. *Iud.* Invenisti tu quidem

Me

Me hic aliquoties, non inficior. Sed desine  
Sodes aut suspicari, aut percontari quippiam.

*Mel.* Quid ita? *Iud.* Quia me pudet mei, nec aulam dicere.

*Mel.* Oh, salva res est. erubuit. jam te quid torquear  
Scio, neq; id nunc tandem primum intelligo;  
Sed idem alias tuis ex verbis deprehendi frequentius.

*Iud.* Quid hic se deprehendisse ait? *Mel.* Hoc quod dico. Age,

Fatere amabo, nam negare non potes amplius.

*Iud.* Ah nugator. tace. *Mel.* Imo haud desistam, nisi  
Quid sit, confiteare mihi. *Iud.* Vis quidem hæc est.  
*Mel.* Age:

Mitte ambages, & rem paucis eloquere. *Iud.* Non queam

Herculè *Mel.* Ah, potes: tergiversari desine.

*Iud.* Circumspice numquis sit, qui nostrum audiat *Troch. 3.*

Sermonem. *Mel.* Soli sumus. *Iud.* Circumspice

Etiam sodes diligentius. *Mel.* Enecas.

Nemo hic est, uspiam. *Iud.* Dicam igitur, attamen ne  
Satis tutò dicam, nimium vereor miser. *Mel.* Ah,  
quasi.

Qui sum nondum noris Juda. *Iud.* Age, proferam *Troch. 2*

His freris, quas semper in te intellexi esse fitas,

Fide, & taciturnitate. *Mel.* Eho vereris ne id fiat palam?

Ita me Deus amet, haud propterea te rogo,

Vt istud proferam, sed ut aut re, aut opera, aut consilio

Te adjuvem. *Iud.* Benignè dicis. Nunc auscultapau-  
cis:

Ita, quid me sollicitet, & tu quod quæris scies?

Nam tibi jam habeo fidem. *Mel.* Ausculto, loquere *Troch. 2.*  
quod velis.

*Iud.* Per Deum ego te, & nostram amicitiam rogo,

Melchia, quæ incepta a parvis cum ætate accrevit *Troch. 3.*  
simul,

Troch.

Ut hac in re succurras mihi. *Me.* Ah ne me obsecra  
 Quasi te hoc orando à me impetrare oporteat. Sed dic  
 Quid est? *Iud.* Amo, amo inquam Melchia: & nisi ea  
 quam amo potiar,

A&um est, petii. *Mel.* Hui, quam obsecro?

*Iud.* Susannam, Joachimi uxorem: qua venustiore

In vita nullam vidi fœminam, *Mel.* Facile

Illud conjectabam esse. Sed tun' illam mihi laudas

Juda? *Iud.* Hanc tu mihi vel vi, vel pretio, vel precario

Fac tradas: mea nihil refert, dum potior modò,

*Mel.* Rem pol duram imperas, & factu difficillimam

Troch.

*Iud.* Tanto magis enitere quæso: nam nisi me nunc  
 juves,

Efficiasq; ut mihi ejus concedatur copia

Mori malim, quam vivere diutius. *Mel.* Hei mihi

Misero! *Iud.* Eho, quid tu suspiras? ego quidem sum  
 miserrimus.

*Mel.* Et mea pol in dubio vita est: in eodem enim

Tecum luto hæreo, cum eandem amem perditè.

*Iud.* Ah, quid ais Melchia? prohibeat istud Deus.

Non raro isthæc in animum mihi incidit

Suspicio Namq; usu id venit plerumq; amanti

Ut graviter advertant, quæ non sentias, *Mel.* Verum

Dicis: & in amore se cohibere difficile est:

Sed nunc quo pacto illa possimus potiri,

Consilium volo capere una tecum. *Iud.* Quid istud,

Et ut potiaris, quam ego

Amo? *Mel.* Quid ni. Digna illa est, ut ab utroq; no-  
 strum ametur.

Atq; ita facilius efficiemus quod volumus:

Quando & tu mihi, & ego tibi in amore adjutor ero,

Sed ab ea crepuit ostium: atq; adeo ipsa exit foras,

Opportunè admodum. *Iud.* Torus tremo, horreoq;

Postquam aspexi hanc. *Mel.* Tace, in hortum eam  
 ituram existimo.

Præcurramus nos; Hem, quid stas; opus

Est festinato, propera, ibi meum tibi

Consilium aperuero. *Iud.* Age præcede, consequor.

ACT.

## ACTVS II. SCENA III.

SUSANNA, SYRA, MELCHIAS, JUDAS.

*Ejusdem generis versus.***H**EM sequimini me in hortum: istic enim, quia

Ingens est æstus, me lavabo: postea

Ubi ego laverò, lavate vos quoq; , si voletis. *Sy.* I præ-  
hera,Sequimur. *Sus.* Oleum atque pyxidem illam, in qua  
smegma est, domoHuc adferre, quibus opuserit mihi. *Sy.* Fiet*Su.* Quid aliud dicere volebam? hem, maneto paulisper. *Fores*  
*Troch. 2.*Diligenter uti claudas, etiam atq; etia vide *Syra,**Syr.* Faciam sedulo. *Sus.* Tùm pectusculum ostio obde, ne  
Cui, vobis absentibus.

Ingrediendi sit copia: atq; audin' per posticum

Horti hinc abite intro, &amp; redite protinus.

*Syr.* Jam jam reverteras nos conspicias heri. *Sus.* Prope-  
rare. Interea ego

Me vestibulex uam, quæ oneri, non usui

Hoc tempore sunt mihi. *Jud.* Audin' quid loquatur  
Melchia? *Mel.* Oh.Quidni audiam Juda. *Jud.* Nimis feliciter

Hic nobis eveniunt omnia. Abierunt ancillæ, ostium

Occlusum est, &amp; soli cum illa sumus, quid vis

Hic jam nobis impune facere licebit, arbitris

Remotis omnibus. *Mel.* Sic est profecto, gaudeo, &Vix me contineo. *Jud.* Exutos ejus video pedes, ita

Me Deus amet, pulchros, &amp; quavis nive

Candidiores, Ex his, *tanquam* ex ungue leonem,

Ut ajunt, cognoscere mihi videor cætera.

Sed quid cessamus ad eam accedere &amp; blandè alloqui?

*Mel.* Præcede, sequor. *Sus.* At at, quos huc in me video.

Irruentes? perii, interii infelicissima.

*Jud.* Tace obsecro, mea Susanna à nobis tibiNihil metuendum est mali. *Sus.* Faceffite procul hinc

Cum vestris istis dictis, atq; blanditijs filicernia.

*Mel,*

*Mel.* Desiste malè loqui meum suavium.

*Iud.* Oh, tenecone te mea vita, delictum meum.

*Sus.* Apagite, quid vobis rei mecum est? *Iud.* Quiesce: amor

Est, qui nos huc ad te pellerit, *Sus.* Missam me facite improbi:

Est quod ametis domi, si vos urit amor. *Mel.* Inelegantes

Atq; invenustæ plane sunt nostræ. Tua

Nobis magis blanditur forma. *Sus.* Corporis

Forma fragilis & fluxa est: Pudicitia, atq; castitas

Mulierem exornat maximè. *Iud.* Verè tu istud mea

Lux. Sed mitte isthæc: atq; hoc quod rogamus,

Permitte, ut à te nunc impetremus cum gratia.

*Sus.* Gratiā eam ego nihil moror: abite inquam, quo

Digni estis perfidi. *Mel.* Oh ne savi tantopere. *Iud.* Id metuis

Opinor, ne veniat palam, esto animo bono,

Ac tranquillo: cëlābimus probè, anime mi.

*Sus.* Homines fortasse, sed Deum nequaquam. *Mel.*

Oh, desine

Malè ominarier, & tandem assentire nobis. Hem,

Nihil respondes? *Sus.* Pessime,

Egon' quicquam ad ea dicta, & facta tibi respondeam?

Equidem animam relinquam potius, quam tantam in me infamiam:

Admiserō. *Iud.* Superstitiosa nimis es, mea suavitas,

*Sus.* Non me superstitio, at rei

Deterret turpitudine. *Mel.* Age, ne gravère. *Sus.* Vah,

Quid istud obsecro est; non omittitis?

**Troch.** *Iud.* Non, nisi exoremus *Sus.* O homines scelestos

Et impios! Hæccine vides atq; pateris Deus!

*Mel.* Scimus tibi bonam esse vocem, qua tamen

Profeceris nihil, cum vociferantem te audiat

Nemo. *Iud.* Eia Susanna, satis tergiversata es diu:

Obsequere tandem nobis & noli repugnare amplius.

*Sus.*

*Suf.* Deo potius , quam vobis obsequendum existimo: neque

Mihi marito datam esse violandam fidem.

Id si vobiscum cogiteris, jam remitteris

Me onerare injuriis. *Mel.* Ita

Nos Deus amet, itaq; nobis obtingant ex te

Quæ optamus, ut contumeliæ, aut injuriæ.

Causa hæc non facimus, sed amoris. *Suf.* Facebat

Turpissimus ille amor: & quid vos deceat perpendite.

*Iud.* Tui amore nos correptos esse fatemur: &

Si id peccatum est, fatemur hoc quoq;: tu modo mea

Voluptas nobis adversari desine. *Suf.* Ah,

Quanto satius esset, vòs id operam dare, ut

Amorem istum ex animo amoveatis, quam id loqui,

Quo libido vestra, frustra incendatur magis.

*Mel.* Eam ut tu nobis lenias oramus supplices.

*Troch.*

Oh, quo te avertis? ad nos sodes respice.

*Suf.* Ita ingenium est meum, inimicos odi obtuerier.

*Iud.* Quid hoc? inimicos nos appellas pessima?

Age, age, inimici herculè erimus tibi, nam nisi

*Troch.*

Nobis obsequaris, cum juvene quodam

Hic te nos deprehendisse dicemus: crimenque adulterij

Intentantes, te in jus vocabimus, vide

Quid agas, nosti qua auctoritate nos sumus:

Etiamsi tu neges, nemo crederet tamen. *Suf.* Næ ego

Mulierum, quæ vivunt sum infelicissima!

Neq; quid agam scio, nam si his obsecra

Fuero, fidem datam marito fallam turpiter,

Deumq; offendam: si restitero, periclitari

Me de vita video: Sed ex malis duobus, cum

Vitari utrumq; non potest,

Quod minus est eligendum censeo. Facite

Vòs quod volueritis: animæ, ac famæ ego potius,

Quam vitæ consulendum existimo. Abire modo

Hinc, & me missam facite sceleratissimi

*Mel.* Nequaquam, quin vim inferemus, si perrexeris

Esse



Esse pertinax. *Sus.* O populares adeste, o cives,  
Opem vestram implo-ro: succurrite miseræ mihi.

## ACTVS II. SCENA IV.

SYRA, JUDAS, MELCHIAS.

*Ejusdem generis versus.*

**Q**uam ego hic lamentantem, & vociferantem  
audio?

Mirum ni hera est. Sed quidnam hic accidisse dicam,  
aut quid

Senes hos in horte video? quando modo nemo erat  
uspiam,

**Troch.** *Jud.* Prò Deum immortalem! facinus fœdum, atque  
audacissimum!

O adolescentem improbum! ô mulierem perditissimã

*Mel.* Quo ille nequam aufugit tam cito? hoc cine

Tam iliberale, tamq; nefarium scelus

Eum facere ausum? *Syr.* Ah, quid factum est, aut quid  
clamat is obsecro?

**Troch.** *Jud.* O sacrilegam! eam jam oportet in cruciatum  
hinc abripi.

*Mel.* Id quidem fiet procul dubio: nam digna est, quæ

Morte intereat mala. *Syr.* Quid vociferamini?

Aut quænam est illa, quam vos mortem commeruisse  
dicitis?

*Jud.* Eho, rogas? Susanna est, hera vestra; qua peiorem  
ego

Mulierem non credo vivere. *Syr.* Sanusne es mi ho-  
mo?

**Troch.** *Jud.* Sanus sum, & sana, veraq; loquor. *Syr.* Si hanc satis  
Noris, non ita arbitrere: proba hæc est mulier.

*Mel.* Ecce autem, similia omnia, omnes congruunt.

Unam cognoris, omnes noris: in eodem

Videntur ludo doctæ ad nequitiam. *Syr.* Haud ita est.

*Mel.* Illa in scelere deprehensa est, hæc ad defenden-  
dam causam adest,

*Syr.*

*Syr.* Me miseram! in scelere? quonam obsecro? *Iud.*  
Tace.

Nescis quid hic, vobis absentibus proba  
Illa perpetrarit fœmina. *Syr.* Quid quæso? *Iud.* Auscul-  
ta & scies

Quod & quantum aulsa sit flagitium. *Syr.* Prohibeat  
hoc Deus,

Sed id mihi dicite primum: quis vos intromisit in  
Hunc hortum? aut quid vobis hic erat negotij. *Mel.*  
Audies

Garrula, modoribi, ut taceas, imperare queas.

*Syr.* Age taceo, tu ubi voles exordire. *Mel.* Juvenem  
Quendam venusta atq; eleganti forma, cum modo  
In hortum hunc ingredientem vidissemus, ac  
Dein' heram vestram eodem iter parantem, ambo  
præcurrimus;

Et in istum horti angulum, viminibus obsitum,  
Abdidimus nos: id eventurum suspicantes, quod *Troch. 1.*  
Mox accidit. *Syr.* Oratio hæc me miseram exanima-  
vit metu,

*Mel.* Postea, vobis digressis, illa se  
Continuò adornat ut lavet, vestem exuens.

Juvenis satis explorata, ac tuta, ut vidit omnia,  
Seq; solum cum sola esse existimans, *Troch. 1.*

E latebra sua exilit, amoremq; suum indicat:  
Accurrit, mediam mulierem complectitur.

*Syr.* Quam timeo quorum evades. *Mel.* Tum illa (ut  
consuetum

Amorem facile cerneret)

Rejecit se in eum, arridens familiariter,

Quid autem deinde sit factum, si ego hic narrem,

Et tu audias, non satis honestè me id facturum existi-  
mem:

Est tibi reliqua retegatur locus. *Syr.* Eho, manete  
fodes

Paulisper, & ad hoc mihi respondete obsecro.

*Iud.* Quid istud? *Syr.* Ubi nunc ille juvenis est; aut  
quo

Modo

Modo evasit? cum horti ostium

Occlusum fuerit haecenus. *Iud.* Ille simulac nos

Adesse sentit, in pedes

Se conjicit, quantum potest. Quo verò fugerit;

Aur quo pacto evaserit, ignoramus: cum eum asse-

qui

Non possemus. Sed abeamus Melchia, nam dispudet

Hic me morari diutius.

*Mel.* Vbi voles. *Iud.* Eho, sequere puella, & ostium

Nobis aperi. *Syr.* Tu istud fac Sofia, Hem clavem ac-

cipe.

### ACTVS II. SCENA V.

SYRA, SOSIA, SUSANNA.

*Ejusdem generis.*

**D**um immortalem quidnam ego hic evenisse  
audio!

Actum est, perijmus, siquidem hi vera prädicant.

Hem Sofia, claude rursus ostium: & ad heram,

Quam ego exanimatam video, me sequere. *Sof.* Se-

quor.

*Syr.* Mea hera, siccine te hic miserè affectam reperio;

*Suf.* Hei mihi. *Syr.* Quid suspiras, aut quid te torquet  
age, cedo

*Sodes.* *Suf.* Ah quid dicam Syra; nihil equidem, nisi

**Troch.** Quod duos illos senes homines sceleratos,

Et me miseram esse sentiam.

Sed duc me intro: pedibus enim vix consistere queo:

Ita paveo, ita animo malè est. *Syr.* Innitere

Humeris meis. Tu Sofia fores claudito,

Ac sequere nos è vestigio. *Sof.* Faciam herculè sedulò.

Heu me miseram! animo dubio, atq; incerto ut siem

Faciunt hi duo senes. Eam, quam nos probam

**Troch.** Esse & castam credidimus haecenus, culpam

Tam gravem, ac pudendam in se admisisse? Quamquã

Nondum me impulcrunt, hæc nunc omnino

Vt crederem: atq; haud scio, quæ dixerint, an sint

Vera omnia. Sed non est diutius hic morandi

**Tem-**

Tempus, sequar eas. Intus quæ ad hanc rem artinent:  
Facile odorabor omnia.

## ACTVS III. SCENA I.

JOACHIMUS.

*Iambici.*

**D**Isrucior animo, hocce de improvisò malum  
Mihi objici tantum? ut neq; quid loquar, neque  
Quid agam certum fiet; Membra metu debilia  
Sunt, mens pavore penitus obstupuit mihi:  
Adeoque sum perrubatus, ut ad cogitandum animum  
Instituere nequeam. *Quamobrem* cum res secundæ  
sunt

Maximè, cum maximè meditari oportet,  
Quo pacto adversam ærumnam feras. *Nihil enim*  
In rebus humanis cuiquam est proprium, nihil  
Stabile aut firmum. *Tum sic natura* comparatū est, sic  
Placitum Deo, voluptati ut mœror comes  
Sequatur: utq; mali, atq; incommodi illico  
Plus adsit, si quid obrigit boni. Id velut  
Alii multiverum esse deprehenderunt sapius,  
Ita & ego nunc idem re ipsa experior miser.  
Nam cum primum hanc duxissem conjugem, tū uno  
Ore omnes omnia bona dicere, & laudare fortunas  
Meas, cui uxor obrigisset tali ingenio prædita.  
Verum ex ea infelix quem nunc capio dolorem:  
Facile hic plus mali est, quam illic boni.  
Sed quodnam ego huic subito exitio nunc remedium  
Inveniam? aut cuius subsidium implorabo? Tu o Deus  
Nobis succurre, tu innocentem  
Adversus impiorum tuere calumnias.  
Sed ostium crepuit, atq; ipsa exit foras.

## ACTVS III. SCENA II.

SUSANNA, JOACHIMUS.

*Eiusdem generis versus.*

**A**udire visa sum mihi vocem mariti, atq;  
Eccum. Ioa. Ah Susanna, quid nunc agimus, aut  
quid consilii

C

Capi-

Capiemus miser? *Sus.* Nescio mi vir: tamen quicquid  
 Evenerit, æquo animo feram. *Ioā.* Itane? *Sus.* Ita. Nam  
 quando

Ego mihi conscia sum, à me culpam esse hanc procul;  
 Nihil commoveor, nec minas cuiuspiam moror.

*Ioā.* Scio ego anime mi, scio te esse extra noxiam:

Et propterea innocentis me magis miseret tui:

Cujus fama, atq; adeo vita in dubium venit.

Nam quanquam tu id meritò potes inficiari,

Tamen ijs, qua sunt auctoritate, habebitur fides.

**Troch.**

O improbitatem, atq; inauditam nequitiam!

Vt vos, cum isthoc invento, atq; incepto Deus

Perdat sacrilegos. *Sus.* Joachime, cohibe te amabo &

Tuis moderare affectibus:

Neque illis quicquam gravius imprecare, abunde e-  
 nim

Magnam pro nequitia sua pœnam luent.

**Troch.**

Nam crede hoc mihi, ut homines fallant, divinam  
 tamen

Vindictam, suppliciumq; sceleribus suis dignum

Effugient nunquam. Interea donec vixerint,

Torquebit affligetque eos animus sibi

Malè conscius: quo non alius crudelior

Est usquam carnifex. *Ioā.* O mulierem fortem,

Ac strenuam! Eheu quis me hominum,

Qui vivunt non dicat miserrimum, si te,

Talè uxore, carendum posthac fuerit mihi!

Nam si periculum ullum in te est, perijsse me

Unà haud dubium est, neq; vitam ullam mihi expe-  
 rendam existimem.

Siquidem per dedecus, atq; infamiam, vita

Eripiatur tibi. *Sus.* Non ego istud dedecus

Esse arbitror, si quis malitia confusus sua

**Troch.**

Innocentibus insidias struat, atq; adeo

Mortem inferat: neq; pœnam, quæ præter meritum,

Sed quæ propter culpam irrogatur,

Dolendam aut deplorandam censeo. *Ioā.* Nihil

Refragor, at durum tamen, ut quod sentio

**Loquat**

Loquar, mihi videtur, ab improbis probos;  
 A nocentibus innocentes  
 Affligier. *Sus.* Durum quidem,  
 Fateor: *sed lenius sit* patientia, quod, ne feras,  
 Evitari haud potest *Ioan.* Felicem te esse iudico,  
 Quæ eo sis animo. Sed mox hic aderunt opinor, qui  
 Te comprehensam in jus rapiunt. *Sus.* Credo istud  
 Eventurum mihi brevi, verum nihil moror:  
 Non invita, atq; adeo lubens sequar. Mæa  
 Enim sic est ratio, & animum sic induco meum,  
*Nihil incolûm* innocentia mihi unquã eveaturũ malũ  
*Ioan.* Ah, quam ego tali uxore essem felix, si modo  
 Hoc quod nunc impendere periculum nobis  
 Video, queat evitarier *Sus.* Esto animo bono;  
 Spero adjuturum Deum, in eo omnis spes est mihi.  
 Sed nescio quos procul huc advenientes conspicio  
 A dextra: eamus intro, ibique  
 Auxilium divinum imploremus supplices.  
 Quo si fuerimus adjuvi, frustra laborabunt,  
 Qui nobis exitium parant.

## ACTVS III. SCENA III.

JVDAS, MELCHIAS.

*Eiusdem generis versus.*

**R**ES prosperè etiam nunc; atq; ex animi sententia  
 Nobis succedit Melchia: neq; dubium est,  
 Quin contumacia sua magnum  
 Sibi paritura sit malum. *Mel.* Idem & ego certò  
 Augurari videor mihi. *Iud.* Næ illa precium  
 Ob pertinaciam feret;  
 Quæ odiosè nobis adversari, quam obsequi  
 Maluit, ex quo magna ipsi ignominia, atq; adeo  
 Exitium orietur propediem. Non solum enim  
 Hominũ vulgus, sed civitatis etiam principes.  
 Vno ore indignissimè factum esse clamitantes,  
 Pœnam tali scelere dignam efflagitant.  
 Itaq; ne salus quidem ei saluti esse, si  
 Cupiat, potest. Nam, quamvis id factum neget,

Nihil tamen aget: cum, qui ipsi credat, futurus sit  
 Nemo. *Mel.* Id quidem eventurum confido, & tamen  
 Juda, videndum est sedulo, ne hæc confidentia  
 In nervum erumpat nobis. *Iud.* Vah, quasi non antea  
 Sæpe periculum sit factum, jam pedum visa est via.

Troch.2

Quot nos censes homines defraudasse, tum hospites,  
 Tum cives? quot matronas, atq; virgines  
 Clam constuprasse? qui quidem omnes ne hircere  
 Fuere unquam ausi adversum nos, viros graves,  
 Atq; verendos, magnaq; auctoritate præditos:

Troch.

Tum ab omni suspitione fraudis alienissimos:  
 Et sapiunt, mea quidem sententia,  
 Qui mœstare injuriam sibi melius  
 Esse arbitrantur, quam nobiscum ex postulando  
 In multo gravius illabi infortunium.  
 Nam quod in aucupio fieri solet, id in nobis quoq;  
 Vsu venire videmus: nempe ut rete non  
 Tendatur accipitri, neq; milvio, qui incommodant  
 Nobis; sed illis avibus, quæ nihil faciunt mali.  
*Mel.* Facere tu quidem isthæc Juda: nihilominus tamē  
 Verè, nam hæc nobis hætenus feliciter cessit  
 Audacia: atq; imposterum  
 Successuram spero. Sed exeuntes conspicio  
 Illos quibus, ut eam hic sistant, negotium  
 Dedimus. *Iud.* Ei sunt ipsi, atq; eo recta tendunt via  
 Nos intro eamus, ibiq; illos expectemus  
 Dum redeant. *Mel.* Vbi volēs, sequor.

## ACTVS III. SCENA IV.

SADOCUS, AZARIAS.

*Eiusdem generis versus.*

**I**Ta me Deus amet, ut nunc Susannæ vicem  
 Dolco illiusq; me miseret Azaria,  
 Tantum ad eam devenisse mali: unde quo modo  
 Sit emersura, non herclè video. *Aza.* Neque  
 Ego profecto: cum crimen commiserit,  
 Nullis excusandum rationibus. *Sad.* Mulier  
 Polilla proba admodum, & pudica habita fuit hæte-  
 nus

Et

Et nunc nihil magis miror, quam quæ res ejus ingenium,

Honestè ac castè doctum, atq; educatum, ad tam

Turpe facinus pelleverit: nisi quod amor,

Minimè bonus consultor, hoc

Ei suasisse videatur: qui quid valeat

Non equidem ignoras Azaria. *Aza.* Scio, sed cogitandum ei

Erat, pudicitiam servandam, atq; marito datam

Non esse violandam fidem,

Id si in animo secum perpendisset, nunquam

In se tantum admisisset dedecus: *Sad.* Rectè,

Peccavit illa graviter, non nego. verum

Adolescens ille, qui uxorem alterius sibi

Corrumpendam, vitandamq; putavit, pari,

Atq; etiam graviore supplicio puniendus

Videtur mihi. *Aza.* Et mihi herclè. si modò

Ille quisquis fuerit, comprehendi queat,

*Troch.*

Sed censet eum etiam punc in his esse regionibus?

Metu, ut opinor, jam pridem hinc fugit. Et sapit,

Si ubi vis gentium sine periculo,

Quam hic cū periculo esse malit. *Sa.* Plane assentior,

Et tamen, quocunq; fugerit,

Divinam vindictam effugiet nunquam. *Dem.*

*Troch.*

Enim, ut frequenter sero admissum ulciscitur

Scelus, ita tarditatem illam pœnæ gravitate plerūq; *Troch.*

Exæquat. Sed ad Joachimi ædes jam venimus:

Ingre diamur, & in mandatis quod habemus,

Exponamus eis. *Aza.* Fiat. Næ illis ingratus noster

Erit adventus. *Sa.* Lachrymabitur affatim; atq; ideo

Id aliis esse datum cupiam negotii.

*Aza.* Et ego certè. Nihilominus tamen exequendum erit

Quod præceptum est nobis. *Qui peccat*, supplicium

Se dignum, æquum est, ut ferat. *Sad.* Est ut dicis quod *intravit*

Ipsa, omne id erit ei exedendum. *Aza.* Præcedo, sequere.

C 3

ACT,



JOACHIMVS, SUSANNA, AZARIAS,  
SADOCVS.

*Iambici.*

*Troch.*

**E**He nos miseros! itane probri, & infamiae,  
Atq; adeo adulterii dedecus, & turpitudinem  
Ab impuris istis tibi objici nebulonibus!

*Troch.*

Qui quæ nunquam facta sunt, facta impudenter  
Clamitant. O Deus, hoc cine vides, & impunitum  
Relinquis scelus! *Sus.* Obsecro te anime mi, noli  
Te macerare, & lamentari desine.

*Ioas.* Quo pacto possem? quando nulla unquam injuria  
Cuiquam homini magis præter meritum est obiecta,  
quam hæc,

Quæ nunc objicitur nobis *Sus.* Non aliorum iniuria, ac  
Nostra culpa, aut delicto æquum est nos commo-  
verier

*Aza.* Piè atq; fortiter, laudo. *Sus.* Quia sedulò  
Cavi hætenus, ne à quoquam merito culpari possem  
bona

Spes habet animum meum, auxilium alicunde afful-  
surum.

Itaq; quanquam humana destituimur ope, tamen  
Non planè animum mihi despondendum puto.

Deum enim meæ subventurum spero innocentiae.  
Quod si fortè ompino moriendum erit mihi.

Parvi faciam, dum ne ob malefacta morior. Nam quæ  
ita

Perit, non penitus interit,

*Sad.* O mulierem fortem, constantem, ac strenuam!

Næ ego Azaria illam extra culpam esse existimo,  
Quam in tanto discrimine nihil videmus commoverier

*Aza.* Verisimile profectò, atq; adeo verum mihi

Videris dicere. *Ioas.* Oh, novi ego Sadoec, novi  
Inquam, quam aliena illa sit ab isthoc crimine,

Ejus eam insimulant improbi: &

Ob id hæc mihi ægritudo maxima est. *Sad.* Scio

Joachime tibi hoc multo esse gravius, atq; durius.

Cui

Cui sit; verum ita me Deus amet, ut ego haud minus  
 Molestè patior id: qui nescio, neque  
 Rationem capio, nisi quod tibi, vestræq; familiæ  
 Ex animo semper voluerim optimè. Sed quid  
 Facias? *In vita hominum* multa eveniunt ejusmodi,  
 Capiunt voluptates, mox rursum miseras.  
 Adeo in rebus humanis nihil  
 Reperias diuturnum, ac stabile. Verum nimis  
 Hic subsistimus diu. Quare properemus:  
 Nam jamdudum nos operiuntur, sat scio.  
*Axa.* Sic est, pergamus *Sus.* Vt lubet, præcedite, sequi-  
 mur,

## ACTVS IV. SCENA II.

SIMEON, MELCHIAS, JVDAS.

*Ejusdem generis versus.*

**N**ihil adhuc est quod suspicere Melchia:  
 Haudquaquam etiã cessat, & longius hinc abest  
 Et nosti mores hominum, in judicium quisq; venit  
 tardius.

*Mel.* Tibi ita videtur Simeon:

At ego, ne nos fallant, nimium vereor. *Iud.* Eadem  
 Me cura torquet, angitque haud mediocriter.  
 Nimirum ne illa hinc se subducatur, atq; ita  
 Os sublinatur nobis, nam cū crimen in se admiserit,  
 Quod neq; excusando, neq; inficiando diluere  
 Potest, quid superest, nisi ut alicubi se abdat, aut  
 Fuga saluti consulat? *Sim.* Non fiet. *Mel.* Ah, parum  
 Tu mihi videris mulieris

Istius perspexisse astutiam. *Sim.* Mihi  
 Proba, atque honesta visa est hætenus. *Iud.* Et mihi  
 Simeon.

Sed nunc quod præsentibus  
 Nobis perpetravit facinus, eam improbam,  
 Atq; impudicam esse arguit. *Mel.* Iam abundè dete-  
 cta est

Ille hætenus miris modis  
 Dissimulata nequitia: qua probitatis specie  
 Decepit plurimos. *Iud.* Sic est: atq; ideo hoc hominū  
 genus ego

Troch.

Troch.

Odi pessimè, qui se videri, quam esse  
Malunt probos. *Sim.* Neq; mihi pol placent tales.  
Atqui inter hos ego nunquam illam numerandam  
esse censui.

Verum nunc cum ipsi eam in tam turpi crimine  
Deprehendistis, opinionem illam de ea ante conce-  
ptam, haud

Parum in me labefactatam sentio. *Iud.* Nihil  
Mirum Simeon, itaq; quod modo dicebam, idem  
Nunc dico denuo: quia nondum adsunt, alicubi eam  
Latitare, neq; etiam nunc esse inventam existimo.  
Atq; ideo stultè à nobis factum est, qui non continuo  
Eam comprehensam huc præcepimus adducier.  
*Sim.* Benè ominare: jam jam illos hic simul omnes

Troch.

Adfuturos credo, quos venire iussimus.  
*Mel.* Joachimum, & cæteros nihil moror: modo  
Ne illa elabatur clanculum.

*Sim.* Hem, bono animo vos esse jubeo. eccos procul  
Accedentes, in ultima isthac platea. *Iud.* Sunt? an non  
Sunt? sunt herclè, benè est, gaudeo.

Troch.

Tu illos hic præstolare Simeon, atq; in prætorium  
Deducito: nos ut statim istic adsimus, curabimus  
Sedulò. *Sim.* Fiet. Deum immortalem! ex familia  
Tam honesta, tam inhonestum facinus esse ortum!  
quid

Credas, aut cui posthac? Sed adsunt. Hem.  
Benè facitis, quod accersiti adestis, sequimini me  
intro.

## ACTVS IV. SCENA III.

SOSIA, SYRA.

*Ejusdem generis versum.*

**E**HO, quid ais Syra? itane abducta hinc est hera  
In judicium? *Syr.* Est ut dixi *Sosia, Sof.* Ah lachrymæ  
mihi

Ex oculus erumpunt: nam eius vicem doleo misera.  
Sed dic mihi sodes, qui scis, aut unde id rescivisti?

*Syr.* Qui sciã, rogas? ipsa adfui, & vidi; & me tædet, &  
Mi-

Miseret illius. Nam nihil magis vereor,  
Quam ne isti duo senes, magnum aliquod illi dent  
malum.

*Sof.* Prohibeat hoc Deus. *Syr.* Spero id futurum So-  
fia:

Namque ego eam talem esse arbitror,  
Ut criminis istius, cuius eam insimulant illi perfidi,  
Expers habenda si planissimè. *Sof.* Neque impudi-  
cam

Ego illam credidi, neque credam unquam: cum ita  
Vitam instituerit hactenus,

Ut suspicari tale quid de ea, nefas

Esse duxerim. *Syr.* Verum dicis, proba est.

Troch.

Probisque prognata, itaque opinionem istam

Prorsus ab ea amovendam censeo, Et tamen

Quo magis hanc rem mecum perpendo, hoc magis ei

Ab impostoribus istis metuo: adeo astutè

Eam ab illis video labefactarier. *Sof.* Et mihi

Sanè curæ est, quorsum hoc eventurum fiet.

Troch.

Quanquam illam tam scio extra noxiam

Esse, me quam vivere.

Sed quid cum illis agas, qui neque quid æquum sit

Necque quid iniquum cogitant: profint, obfint, nihil

Pensu habent, nihilque curant, aut vident,

Nisi hoc solum, quod animo collubitum est suo.

*Syr.* Verè tu isthæc de illis mihi videris dicere: qui  
alteri

De nihilo, & præter meritum obijciunt contume-  
liam,

Cum ipsi sat habeant, quod jure illis posset obijci.

Troch.

Nam quid multi ijque laudati viri

De senibus his duobus sentiant, non te

Clam esse arbitror, *Sof.* Nequaquam Syra: nihilomi-  
nus

Tamen regnant, neque quisquam est, licet injuria

Lacessitus, qui contra eos vel hiscere audeat.

*Syr.* Nihil mirum: nam quæ est inscitia, *Adversus*

Stimulum calcitres? Sed satis hic fabulati, atque

**Troch.** Morati sumus diu. Eamus intro, ibique catastro-  
phen  
Hujus expectemus fabulæ.

## ACTVS IV. SCENA IV.

MELCHIAS, SYMEON, SUSANNA,  
IVDAS.

*Ejusdem generis versus.*

**S**atis jam diu cum personata hac, & cooperta adul-  
tera

**Troch.** Sumus locuti, velum ei detrahi jube  
**Simeon. Sim.** Quid ita sodes? **Mel.** Dicam vbi vultus  
fuerit

Detectus, & conspicuus cuilibet, ut forex  
Ipsa suo se indicio prodet: quod nocentibus  
Sæpe usu venire videmus. **Sus.** Quid isthuc perfides? an  
Nondum satis magna vobis videmini  
Me affecisse ignominia:

Nisi aperto etiam capite, quod matronam probam  
Non decet, in publico conspiciet ab omnibus? **Iud.**  
Vah, quam

Religiosa est meretrix. Cum in horto nudam cum  
adoleſcente te

Commisceres, tum istud cogitare debueras.

**Troch.** Nunc licet conspiciaris, nullum hiſce tibi  
Orietur dedecus, aut infamia. **Mel.** Eo plerumque sunt

**Troch.** Ingenio mulieres malæ, ubi pudendum  
Non est, ibi illas pudet: ubi pudendum est, ibi deſerie  
Eas pudor. **Sim.** Sine Susanna, & hoc quod dicturus  
sum

Attentis auſculta auribus.

Quid ab hiſce tibi fit obſectum, audiviſti: crimen  
Videlicet grave, ac pudendum: quod niſi

Refutes firmiſque rationibus falſum

Eſſe oſtendas, tam periſti, quam extrema, quod dici  
ſolet, faba. **Sus.** Crimen equidem eſt grave, uti dicis:  
ſed neque

**Me,**

Me, neque familia nostra dignum : quodque ego  
Perpetravi nunquam, Sed illi malitiâ freti sua,  
Nostræ innocentiae cum injuriam facere  
Conarentur, neque me ad impudicitiam  
Adducere possent, hoc commenti sunt facinus.

*Mel.* Ah, quid ais impudentissima? quod ipsi vidimus  
Præsentēs, ac coram, inficiari flagitium haud

*Troch.*

Potes. *Iud.* O audacem scelerati animi confidentiam!  
Num cogitat quid dicat? num facti pudet?  
Videte obsecro num ejus color pudoris signum us-  
quam indicet.

*Sus.* *Qua non deliquit*, eam oportet pro se intrepidè ac  
Confidenter loqui. *Nocenti vertitur color*

*Mel.* Quid? an innocens tibi videre pessima?

*Sim.* Rem potius ipsam dicite, ac mittite malè

Loqui. *Iud.* Quasi quicquam in hanc jam gravius  
dici possiet,

*Mel.* Non audita narramus, sed quæ ipsi vidimus:

Atque ideo nobis ut fides habeatur, æquum esse ar-  
bitror,

*Troch.*

*Iud.* Rectè, atque adeo verè tu istud dicis Melchia:

*Nam plures est unus testis oculatus, quam auriti de-*  
cem.

*Troch.*

*Mel.* Verus illud dictum est Simeon. & verissimum:

Decem illi, qui audiunt, audita narrant: qui

Ipsi conspexerunt, planè sciunt: atque

Ideo credendum eis esse puto. *Sim.* Quid tu ad hæc

Ais Susanna? *Sus.* Aliud si scirem, quo meam

Apud vos firmare fidem possem, sanctius

Quam iurjurandum, id pollicerer vobis: nimirum

Me à culpa, cujus hi me insimulant improbi,

Esse alienissimam. *Iud.* *Probus etiam* injuratis, improbis

Autem ne juratis quidem fidem habendam existimo.

*Sus.* Simeon, quam vos facillimè agitis, quam estis  
maximi,

Potentes, dites, fortunati, nobiles,

Tam maximè vos æquo animo æqua noscere

Oportet, si vos vultis perhiberi probos.

*Sim.*

*Sim.* Scio Susanna, idque me facturum recipio  
 Tibi. *Sed auribus* ut ajunt, teneo lupum;  
 Et incertus sum quid agam: cum quod asserunt  
 Hi se vidisse, tu factum esse neges: itaque  
 Nunc amplius super hac re mihi deliberandum cen-  
 seo;

Atque adeo primores populi huc jubebo accersier,  
 Ut ex horum sententia decernatur, quod æquum  
 Videbitur: ac bonum. *Mel.* Nihil opus est ad hanc  
 Rem populi suffragiis. Lex pro nobis facit.

Quæ adulteram de medio tollendam esse præcipit.

*Sim.* Novi ego istud, tamen hoc quod dixi melius  
 esse arbitror.

*Et de morte hominis* nunquam longa satis cunctatio est  
 Ehem, sequere me Susanna, *Sus.* Sequor, ac lubens.

## ACTVS V. SCENA I.

## DANIEL.

*Iambici.*

**D**Eum immortalem! quod ego facinus audiui  
 modò

Itane impuros illos, atque perfidos  
 Senes, pudicam istam mulierem, & innocentem

*Troch.*

Tam probrosi, fœdique insimulasse flagitij?

Nec insimulasse solum, sed etiam dolis,

Ac fraudibus suis obtinuisse, ut suffragiis

*Troch.*

Populi moriendum sit miserrimæ? Sed quam

Fœminam? quam equidem in vita vidi optimam.

At quid ego nunc dicam de iudicibus? tantam ne rem

Eos tam negligenter agere? Ah hoc cine

Est humanum factum; hoc cine Magistratum,

Officium; Sed benè atque commodè accidit,

Quod rem in tempore resciverim; cum nondum, ut  
 audio,

Ad mortem sit ducta. Itaque nunc ut ei patrociner,

Recta ad tribunal procedo via, namque hæc

Res digna videtur, ubi ego nervos intendam meos.

Et confido successurum divina gratia:

*Nam*

Nam animus mihi nescio quid præfagit boni.  
 Næ ego illos exercebo, ut digni sunt, mastigias.  
 Nam quantum potero adjurabo innocentem:  
 Etiam si sciam mihi inimicos capiundos  
 Omnes homines. Nam nullius offensam, aut gratiam  
 Moror, & propterea haud desinam  
 Vnquam, quin perfidorum istorum animos, qui  
 gaudio

Troch.

Meris mendacijs, & fraudibus parto  
 Diffuunt, retundam, redigam, ut quo se vortant  
 nesciant.

Sed quosnam adventantes huc conspicio procul? nisi  
 Mihi oculi hallucinantur, ipsa est, quæ undique  
 Magna populi circumfluente frequentia  
 Deducitur ad necem, næ ego  
 Huc veni in tempore. Prodibo illis obviam.

## ACTVS V. SCENA II.

IOACHIMVS, SVSANNA, DANIEL,  
 MELCHIAS, IVDAS.

*Ejusdem generis versus.*

**I** Tane tu meâ Susanna nunc à me distraheris ad  
 mortem

Nulla tua culpa? Eheu nos miserrimos!

*Sus.* Tace obsecro mi Ioachime, ac desiste lamenta-  
 rier.

*Omne malum* sit levius, si leviter feras:

*Neque mori*, sed morte dignum quid committere  
 Miserum est. *Da.* Irruam, meque opponam omnibus.

Troch. 3.

Oro te mi Deus, meos ut conatus tua

Secundes gratia. Eho, quo hanc rapitis mulierem?

*Mel.* Tua quod nihil refert, omitte percontarier.

*Da.* Ah; itane respondes perfide? *Iud.* Tace puer &  
 vide

Cui maledicas viro, atque etiam cave, si sapias,

Ne tibi magnum aliquod accersas malum. *Dan.* Id  
 faxo

Vobis, ut mox obveniat impostoribus.

Vos



**Troch.** Vos modo viri, oro per Deum, subsistite  
 Paulisper: & ad hanc rem quæ attinent, pauca  
 Audite. *Ind.* Pergite quo ire cœpistis: & in mandatis  
 Quod habetis: exequimini. *Da.* Nequaquam, subsi-  
 stite

Inquam. Næ ego vos perjuris miseris exercebo mo-  
 dis.

*Mel.* Eho, quid hoc rei est; quid hic vult nebulunculus?

Sibi. *Isa.* Obsecro Daniel, in te nobis spes est,

Opitulare innocentibus,

Scio te nunquam ante hac usum nostra amicitia,

Gratos nos dices, atque memores. *Dan.* Ah, aufer  
 mihi preces.

Vel hoc unum me commoveret satis, quod illam ego;

Nullam plane culpam commeritam scio. *Ind.* Satis

Iam verborum est, satisque moratum est diu.

Procedite quo estis iussi. *Da.* Ne facite viri:

Namque ego illam falso accusatam assero.

**Troch.** Atque id quod dico, jam faxo verissimum esse re  
 Ipsa comperiatis. *Mel.* Ehem, quid hoc; an tu his  
 regnum obtinens;

Populi universi damnata est suffragijs,

Quando quod objiciebatur facinus, refellerè

Non posset. *Dan.* Excusavit ipsa satis,

Sed frustra: cum nemo esset, qui illi crederet:

**Troch. 2.** Vos, vos inquam, accusandi estis perfidi,  
 Qui præter meritum insimulastis innocentem:

**Troch. 2.** *Ind.* Apage dilucidè expeditivimus, quibus  
 Nos oportuit iudicibus. Tum si illud falsum fuit,  
 Cur non confutavit illa? *Da.* Obstupefactam pavore  
 Eam fuisse credibile est, neque cogitata  
 Potuisse proloqui. *Mel.* Quin tu, qui audacior  
 Es, atque animo, uti videtur, forti, atque intrepido,  
 Magistratus ad, iudicium de eadem causa iterum  
 Ut reddant tibi, quandoquidem solus regnas & soli  
 licet

Hic de eadem causa bis iudicium adipisciet.

*Da.* Isthuc herclè faciam: neque sine vestro, ut arbitror,  
 Gravi,

*Eravi, magnoque malo. Iud. Vah, actum ajunt ne agas. Troch.*  
*Dan.* Non agam : Imo haud desinam.  
 Donec hoc perfecero. Agitedum, sequimini me.  
*Mel.* Næ tu magno conatu magnas nugas adferes.  
*Da.* Res indicabit. Sed Simeonem eccum exire video,  
 Aliosque populi primates : Opportune admodum,

## ACTVS V. SCENA. III.

DANIEL, SIMEON, MELCHIAS, IVDAS,  
 IOACHIMVS, SVSANNA.

*Eiusdem generis versus.*

**Q**uid isthud Simeon ? itane mulierem nihil male  
 Commeritam morte multandam esse censui-  
 stis? ah,

Siccine fieri oportet? *Si.* Quid ais puer, nihil  
 Tu commeritam audes dicere adulteram, in ipso  
 crimine

Deprehensam ? *Da.* Per ego te Deum oro atque ob-  
 secro

Simeon, ne illis animum inducas credere, quibus  
 Id maxime utile est illam esse miserrimam.

Dico, edico istud tibi, dolo malo hæc illi  
 Commenti sunt omnia. *Sim.* Quid ais ? *Da.* Verum  
 esse quod dico,

Iam jam experiemini. *Sim.* Ita me Deus amet, ut ego  
 Nunc illud à te verè cupiam dicier.

*Mel.* Vah, an huic tu quicquam credendum putabis *Troch.*  
 Simeon? præsertim cum nos ipsi perpetrari  
 Sceleris oculati testes simus ? *Dan.* O senum impu-  
 dentem

Audaciam ! ô nunquam ante auditum flagitium !  
 Sed inultum istud, si vivo, non feretis improbi,  
 Nam tempus impendere jam vobis denuncio,  
 Quo vestris sceleribus dignum recipiatis  
 Præmium. Satis diu verba dedistis simplicibus:

Satis jam vestra miseros frustrata est perfidia. *Iud.*  
 Age,

Tu

*Troch.*

Tu quemadmodum tibi commodum est loquerer  
tamen

Quin dicamus hæc uti facta sunt, nunquam nos  
Vllo deterrebis modo. *Dan.* Neque verum, neque  
verisimile

Est, quod in illam impudenter commenti estis per-  
fidi.

*Mel.* Credo ita videri tibi, qui in horto non adfueris  
Neque, quæ nos coram hisce oculis conspeximus,  
Videris. *Dan.* Ego, quæ vos verè accidisse dicitis,  
Falsa esse mox commenstrabo omnia. *Iud.* Non satis  
**Troch.** Nos pernocti etiam quales simus. *Da.* Egone vos?  
Sed res indicabit, quam probi viri  
Sitis. *Sim.* Eho, quid hoc novæ rei est? in ullo un-  
quam puero

Ego tantam deprehensam fuisse non puto pruden-  
tiam.

Itaque quid mihi potissimum  
Nunc sit faciendum plane nescio. *Da.* Ah nescis  
Simeon? in iudicium redire, & rem cognoscite  
Exactius. Quid si culpam in se admisit, non causam  
Dico, quin quod merita est ferat. Verum si quis men-  
daciis,

**Troch. 3.** Dolo fraudeque confutis, innocentem  
Accusavit, ac vicit; ratumne id haberi oportet?  
*Sim.* Animo incerto, atque dubio ut sim, facit hic  
adolescentulus.

Agitedum, redeamus in iudicium. & tu quanquam  
puer,

**Troch.** Medius hic inter nos confide: nam senilem in te  
Videre mihi videor sapientiam. *Dan.* Si ita jubes,  
Faciam: quanquam ætatem id haud decet meam.  
*Sim.* Anania, tu mihi sinistrum claudelatus: tum re-  
liqui suum

Reperant locum. *Dan.* Sejungite  
Nunc alterum ab altero: atque ita  
Rem vobis paucis expediam. *Sim.* Tu solus huc  
Ad nos accede Melchia, & tu Iuda longius

Hinc

Hinc abscede. *Iud.* Hem, fiat. *Mel.* Et ego prior, ut  
jussistis,

Adsum, ac lubens quidem. *Dan.* Nunc solum ad id  
respondeas

Velim: namque hoc unum nunc exquisito opus est  
mihi

Sub qua arbore tu illam cum adolescente te vidisse  
prædicas?

Age, quid cunctaris? *Mel.* Video quid agas, tentatum  
advenis.

*Dan.* Hem, quin respondes? *Mel.* Sub qua arbore ro-  
gas? quasi nesciam.

*Dan.* Dic igitur, quid cessas? *Mel.* Sub lentisco, quid  
nunc, satin?

Planè, atque disertè hoc tibi dicere video?

*Dan.* Mentiris pessime: & tuo mendacio ipse te Troch.

Prodis, itaque exitium, quod mulieri huic innocenti  
Moliebaris, nunc imminet tibi.

Neque impune quoslibet occidere, &

Muneribus acceptis liberos dimittere

Tibi licebit amplius. Iam pridem enim Deo

Tua exosa est nequitia. Abducite jam hunc, atque  
alterum

Impostorem hic sistite. *Sim.* Deum immortalem!  
quemnam ego

Hunc dico esse adolescentulum? tristis severitas ei

Inest in vultu, atque in verbis fides. Cum vel

Aspicias, aut loquentem audias, dicas eum

Quantivis esse pretij. *Da.* Nunc alter mihi

Copisimili decipiendus, & capiendus erit modo Hem

Senex impure, potin' es mihi verum dicere? *Iud.*

Nihil

Facilius: *Veritatis enim simplex oratio est.*

*Da.* Isthuc rectè, fac sic reliqua respondeas,

*Iud.* Id faciam sedulo. *Da.* Cedo ergo: ac sine mora,

Sub qua arbore tu susannam merchantem conspexeris;

*Iud.* Eho, quid isthuc? sub qua arbore? perinde ex-  
piscaris, quasi

Falsa sint quæ diximus. *Da.* Audis, quid rogem?  
 Tu paucis fac respondeas. *Iu.* Paucissimis, sub illic.  
*Da.* Vah, sub lentisco dixit alter, & senes vanissimos!  
 Ne ipsi vos vestris proditis mendacijs.

**Troch.** Formæ venustas in nassam vox illexit, & impunitas  
 Aliorum multorum scelerum, quæ nullo ulciscente  
 Perpetraſtis haſtenus. Teſtes puellæ  
 Sunt, ac matronæ Iſraëlitides, quibus per vim

**Troch.** Vitium obtruliſtis sæpius,  
 Quæ tamen ne hiſcere quidem adverſus vos aude-  
 bant, viros

Graves, magnaſque auctoritate præditos.  
 Hanc vero ſtirpe Iudæ proſtatam, fallacijs  
 Veſtris circumvenire non potuiſtis: neque minis,

**Troch.** Aut blanditijs eo impellere, ut marito  
 Datam fruſtraretur fidem. Quin perimi maluit,  
 Quam vobis per dedecus parere nebulonibus.  
*Ab, eone rem* deveniſſe, ut neque facinus,  
 Neque probrum, neque flagitium ullum obſtet, quæ  
 minus

Magiſtratus, & dignitates cæteras  
 Obſtineant, capiantque improbi!

*Sim.* Meritò huius temporis mores tibi diſpicient,  
 Et quod jure accuſandum eſt, accuſas Daniel.  
 Nunc & hos graviter peccaſſe, & nos etiam turpiter  
 Erraſſe conſitemur: ac noſtri diſpudet.

**Troch.** Tum, quod fieri imprimis eſt æquum, Deo  
 Agimus gratias, qui per te hoc nobis præſtitit,  
 Ne mulieris innocentis ſanguine  
 Noſtras inquinaremus manus. *Da.* Benè  
 Facitis. Iamne igitur hanc liberam dimittitis?  
*Sim.* Quidni? *Da.* Ioachime, conjugem tuam domum  
 Reducito: Deoque omnes ſimul agite gratias,  
 Pro magna ipſius erga vos clementia:  
 Simulque præcamini, ut hoc vobis gaudium  
 Velit eſſe perpetuum, ac ſtabile. *Io.* Faciemus ſedulo  
*Suſ.* Pro hoc tuo erga me beneficio Daniel tibi  
 Gratias ago, atque actura ſum, dum vixero

ACTVS

ACTVS V. SCENA IV.

DANIEL, SIMEON, ANANIAS, MELCHIAS,  
IVDAS.

*Ejusdem generis versus.*

**E**Ho, siccine tu quoque abire paras impudens;  
Atque ita te evasurum putabas; Heus, reducite Troch. 1.  
huc,

Et alterum senem perjurum, quo sententiam  
In se ferri ambo audiant: ac deinde supplicium sua  
Nequitia dignum luant. *Sim.* Rectè isthuc Daniel,  
Atque ita fieri oportere existimo; nisi  
Quid dissentis Anania; *An.* Assentior, & morte ego  
Homines illos nequissimos mulcandos arbitror.  
*Nam qui alterum accusat probri, neque id quod inten-*  
*dit probat,*

Eodem in probro ut sit, justum, æquumque esse Troch. 2.  
censo.

*Da.* Verum dicis Anania. Sed adest & alter. Hem  
Sceletum caput, quid nunc? an nondum injuriam  
Mulieri innocentis factam, nondum vos  
Pejerasse confitemini? *Mel.* Per dexteram  
Tuam te oro Daniel, da nobis hanc veniam,  
Fatemur nos peccasse graviter, & poenam  
Commeritos scimus. Nunc quanto tuus animus Troch.  
Est prudentior, hoc ad ignoscendum sit proclivior:  
Ut stultitiæ nost. & tua

Sapientia præsidio fiet. *Iu.* Obsecro vos ignoscite.  
*Facilitate* homine nihil melius, nihil laudabilius  
Clementia. *Da.* Hæcine deprecatione vos uti decet?  
O impudentiam! vestri misereri nos non possumus.  
Quoniam ejus mulieris, qua in tota hac civitate  
Vix ullam mulierem reperias, vos misereri non potuit,  
Nunc itaque nulla hic est jam consultatio,  
Quin male pereatis improbi.

*Mel.* Tuo arbitrato jus jurandum dabimus Daniel,  
Eam probam, pudicamque esse faminam.  
Nosque hæc amoris causa sioxisse, haud contumelia.

D 1

Da.

*Da.* Ridiculum, *Amor* homines servare, non extinguere

Nos docet. *Iud.* Ita pot factum est, ut dixit Melchias:

*Amor* impulsor fuit. *An.* Tacete perfidi:

Nonne vos horum puder;

Annos sexaginta estis nati, aut pluseo,  
Senectus si verecundos facit. Sed dicite

Quaso, quid illa de vobis commerita erat mali.

Quamobrem hoc faceretis? *Mel.* Nihil omnino *Anania*: sed

*Amor*, ut dixi, huc nos miseros impulit. *An.* Non id

*Ius* obtinet inter homines amor, ut amantibus

Impunè facere quod lubet liceat. *Sim.* Sibi

Quisque habeat quod suum est: at vos sciebatis

Illam non esse vestram: haud sollicitatam oportuit,

Tum si omnino vobis visa est sollicitanda,

Cur obsequi negantem non missam potius

Faciebatis, quam accusaretis innocentem?

*Iud.* Peccatum à nobis maximum est, fateor, ignore

*Pretor.* *Da.* Apage, nullus hic clementiae est locus

*Bonis* nocet, quisquis pepercerit malis.

*An.* Rectè verèque tu istud dicis *Daniel*:

Alios enim multa mala doceret tanti flagitij

Impunitas. Itaque ne quid statuamus, cujus nos

In posterum poeniteat, summa est adhibenda cautio.

*Da.* Sapienter, atque uti decet *Anania*.

Quid tibi videtur *Simeon*? *Sim.* Occidendos eos,

Ut lex jubet, ego censeo. *Dan.* Agredum, ratum

Esto, *Sim.* Hem comprehensos, atque vinctos protinus

Foras protrahite, lapidibusque obruite, aut alio quovis modo

Sternite, proculcate, atque trucidate homines sceleratissimos.

Surgamus nunc, meque intro, si videtur, sequimini.

ACTVS

## ACTVS V. SCENA V.

SADOCVS, MELCHIAS, IVDAS,  
AZARIAS.*Ejusdem generis versus.*

**E**Ho, satis jam cessatum est, procedite, nisi  
Collo obtorto malitis protrahi. *Mel.* Eheu me  
miserrimum!

*Iud.* Vestram fidē imploramus populares, miserescite  
Nostri obsecro. *Aza.* Ne quicquam vociferamini,  
Populique inclamatis opem: dū omnes quotquot hic  
Adesse videtis, mortem vos meruisse clamitent.

Troch.

*Mel.*, Ah, ita mihi mors non sit acerba, ut me hoc de-  
lictum

Admisisse in me, mihi vehementer dolet, & me pu-  
der mei,

*Iud.* Libidinem malorum esse escam ajunt verissimè,  
Quod ea non minus homines, quam hamo capiuntur  
pisces. *Mel.* Quin

Ipsi nos perdidimus, quando mulierem innoxiam  
Conabamur perdere. *Iud.* Est ut dicis, meritò  
Hæc nunc eveniunt nobis. *Mel.* Ego me novi, & pec-  
catum meum,

Malo me quovis esse dignum deputo.

*Iud.* Nostra audacia celari jam non potuit amplius.

*Mel.* Ne tam me mors terret, quam ipse me discruciat  
Affligitque animus multorum malorum  
Sibi conscius *Sad.* Ohe, satis jam questi, ac lamentati  
estis diu,

Hic jam moriendum erit vobis. Procumbite  
In genua. Hem, quid cunctamini?

*Aza.* Nunc strenuum se quisque præbeat virum.

*Sad.* In me nihil est moræ. *Me.* Heu me infelicissimū!  
Adeon' acerba es mors? *Iud.* Hei, mihi misero!

*Aza.* Quid tibi videretur Sadoce? an vivere etiam

Nunc eo existimas? *Sad.* Non arbitror

Herculè: ita lapidibus confusa illis capita,

Troch.

D 3 Omnia-



Omniaque membra esse video. Sed quid, quod te ro-  
gem?

*Axa.* Quid? *Sad.* Quo abstrahemus corpora? *Axa.* Ea  
hic relinquamus

Conspicienda, atque etiam conculcanda omnibus,  
*Sad.* Placet.

### PERORATIO.

*Iambici.*

**P**eractis omnibus rursum exeo, ut paucis  
Quæ ad rem præsentem pertinent, vobiscum  
agam,

Si ludus hic, quem conspexistis, Comicus  
Vobis placuit, gaudemus, & agimus gratias,  
Neque solum nostro, verum auctoris nomine  
Potissimum, cui favore vestro calcar additis,  
Ad alias iridem conscribendas fabulas.  
Namque hoc animum illius movebit, maxime  
Haud displicere vobis si suas intelligat  
Comœdias. Itaque quamvis ætate jam ingravescente,  
Atque valetudine imbecelliori, tum

*Trach.*

Quotidiano erudiendæ juventutis labore  
Satis superque prematur, nihilominus tamen  
Confidimus posthac illum pro viribus  
In hoc studio perrecturum: si modo sibi  
Non deesse benevolentiam vestram animadvertitis.  
Nunc missos vos facit atque ut ea, quæ scenico  
Spectaculo exhibuit, vobiscum serid  
Perpendatis rogat, *Nempe innocentiam*  
Turam divino semper esse numine,  
At perfidos atque impostores reliquos, castibus  
Quos alij tendunt, plerumque irretitior.  
Imo tum maxime falli, quando sibi  
Cavisse videntur maxime: Deo impia  
Borum ulciscente scelera: atque innoxios  
Sua tuente gratia.

Nihil igitur agitis improbi, dum fraudibus  
Imperitis innocentes. Quin ipsi vos perditis.

*Et*

Et captotes capti peritis infelicitèr.

Id enim hæc sacra nos monet , docetque historia  
Sed

Oratione nimium longa vos detinuisse videor:

Atque ob id intro me recipio. Valete, & plaudite.



# TERENTII CHRIS- TIANI,

*Actorum nomina.*

DANIEL,

Propheta,

CYRVS,

Rex,

LYTVRGVS,

mystagogus,

PHILAX,

mystagogi adjutor,

LEONIDAS,

BALTHASARVS,

} Nobiles,

ICHTHIBOLVS,

TORBELVS,

} Sacerdotes,

MELCHIAS,

MYDA,

Danielis puer.

PHORMIO,

} Liſtores.

SYRVS,

BLEPHARO,

} Fabri.

MESSENIO,

## PROLOGVS.

*Iambici.*

**R**ursus me spectatores, in proscenium  
Iubet prodire choragus noster, novam

D 4

Vobis

Vobis daturus Fabulam. Quid? fabulam  
 Dico, sacram ex sacris literis factam Comœdiam,  
 Hanc fabulam dum appello, quis me non putet  
 Errare turpiter? Sed fabulam tamen,  
 Eam futuram prædico; verum sacram,  
 Piamque in ætus concinnatam scenicos  
 A Schœzo Scholæ nostræ archididascalo.  
 Hic quia suos vobis probari ludos Comicos  
 Sæpe alias animadvertit, ne utiquam sibi  
 In hoc suo studio cessandum existimat.  
 Malevolos, qui nunc hoc, nunc illud reprehendunt,  
 nihil

Moratur, quin pulchrum his displicuisse autumat.  
 Abundè illi satis est, si vobis, quos bonos  
 Esse arbitrat, placeat. A malis autem,  
 Et improbis culpari mavult, quam laudari.  
 Atque optimè sentit, mea quidem sententia:  
 Quando mali non nisi malos probant, bono  
 Incusant, atque omnibus insectantur modis  
 Quos non alio pacto ulciscaris rectius,  
 Quam si allatantes negligas,  
 Tum operæ precium est eorum audire insaniam,  
 Dum contempri, sese nequeunt ulciscier,  
 Sed missos illos faciamus. Vos alloquor,  
 Qui cum sitis boni, bonorum industriam  
 In vobis vestris gaudetis conatibus.  
 Adeste, auresque nobis benevolas, & candidas  
 Præbete cum silentio. Ecce prodeuntem, periocham  
 Qui vobis est recitaturus comœdiæ.

### COMOEDIÆ PERIOCHA.

**V**eri Dei cultor, & amator Daniel,  
 Idololatrias vivens inter Babylonios,  
 Neque promissis, neque precibus induci potest,  
 Belo Babyloniorum ut sacrificet Deo.  
 Mox rege urgente, constanter repugnat: &  
 Belum non nisi inanimum simulachrum esse asse-  
 rens,

Ejus-

Riusq; sacerdotes accusat, utpote  
 Qui regem, populumq; suis sycophantijs,  
 Dolisq; fallerent. Quod cum rationibus  
 Certis, indiciisq; manifestis comprobat,  
 Sacerdotes necantur, Belum Daniel  
 Sternit, templumq; ejus subvertit funditus.

## ACTVS I. SCENA I.

DANIEL.

*Iambici.*

**S**VMMA tibi gratias ago benignissime  
 Deus, pro maxima tua erga me clementia,  
 Qui non solum ea quibus corpusculi necessitas  
 Eget, verum alia etiam plurima, quæ ad gloriam  
 Et honorem spectant, liberaliter mihi es  
 Largitus hætenus. Tu insidias, & fraudes, quibus  
 Homines idololatæ & impii me fallere,  
 Atq; illaqueare conati sunt, à me averristi procul:  
 Amara in dulcia, tristitia in læta, aspera q;  
 In jucunda, bonitate tua commutasti mihi.  
 Præterea quod regi nostro charus sim, quodque is  
 me suis

Proceribus omnibus præpositum, ad maximos  
 Honores extulerit, meq; intimum habeat, ac sua  
 Mihi consilia committat, credatq; omnis,  
 Id tibi soli acceptum ferri convenit.  
 Sed quid ego te prædicem, aut quid laudem mi Deus?  
 Nihil unquam tam magnificè quicquam dicam, quia  
 benignitas

Longa id superet tua, *Sed ut nihil est inter homines*  
 Beatum omni ex parte: In hisce prosperis rebus,  
 Et ex animi mei sententia cedentibus,  
 Vnum hoc me angit, torquet, & affligit maximè.  
 Quod impium Beli idolum, haud secus quam verum  
 numen hic

Coli videam. Cum tu unicus, verusq; sis Deus:  
 Qui quemadmodum cælum, terramque, & quæcun-  
 que

Hic continentur, ex nihilo quondam creasti, ita  
Nunc admirabili tua prudentia  
Conservas, ac moderaris omnia. Quæ quidem  
Quanquam certa, indubitata, multoq; omnium ve-  
rissima

Troch. 2. Sunt, tamen hæc aut nulli, aut paucis admodum  
Hic potui persuadere hætenus. Imo ne regi quidem  
Ipsi, qui nihilo cæteris prudentior,  
Te divino numine neglecto, idolo quoq;  
Servit turpiter. O cæcitatem abominabilem!  
O impium perversumq; hominum errorem! Quam-  
diu hæc

Troch. Impunita relinques Deus?  
Næ tua admirabilis est clementia,  
Qui vivere pateris, rebusq; prosperis  
Frui hos idololatrias Utinam ita divina tuæ  
Voluntati visum sit, ut aut huic tam execrando malo  
Remedium tandem invenias, aut me ætate jam  
Provectum, ex hac vita eximas.  
Mori enim malo, quam tam horrendum quotidie  
intueri

Troch. Spectaculum, à cujus etiam  
Commemoratione mens abhorrescit mihi.  
Sed video mystagogum prodeuntem. Hic rursus, uti  
Opinor, hostias, aut epulas apparabit, ut  
Belo sacrificetur cacodæmoni. Hinc amoliar  
Me protinus, ne quod animo ægrè est, conspicer.

ACTVS I. SCENA II.

LYTURGUS, PHYLAX.

*Eiusdem generis versus.*

P Ræcepit mihi rex, ut relictis rebus omnibus,  
Magnificum, splendidumq; sacrificium Deo  
Nostro Belo apparem. Id nunc sedulo est agendum  
Mihi. Sed vereor ut solus sufficiam tam arduo,  
Gravique negotio. Asciscendus itaque & accersen-  
dus est

Phylax amicus noster, ut hodie opera me juret sua,

Sed

Sed commodè herculè illum huc accedentem video.  
 Eum hic præstolabor. *Ph.* Revisam quid meus  
 Agat Liturgus. At eecum, opportunè admodum,  
 Nihil potuit fieri commodius. *Li.* Prior ego  
 Illum compellabo. Hem Phylax, quo tibi iter est  
 Tam mane? *Ph.* Ad te Liturge. *Li.* Quid negotii est?  
 Cedo. *Ph.* Audio Belo apparandas esse victimas,  
 Easq; magnas, atq; splendoras: itaq;

Viso, an me adiutore tibi sit opus, quo alias usus es  
 Frequenter. *Li.* Bene pol facis. & habeo gratiam:  
 Jam enim te iussissem accerû. *Ph.* In tempore igitur  
 Me adesse gaudeo, nondum vocatû. *Li.* Cômодè id  
 Quidem mihi accidit, nam festinato opus

Troch.

Est, quare properemus. Quin rex ipse aderit: itaque  
 Ne quid prætermittamus, quod ad religiosum  
 Ornatum, cultumq; Dei pertinere videbitur,  
 Nobis magna erit adhibenda cautio.

Troch.

*Namque* in divinis rebus negligentem,  
 Aut socordem esse, nequaquam decet. *Ph.* Sapienter  
 pol facit

Rex, qui hunc Deum summis honoribus sibi  
 Colendum esse arbitratur: cuius numine  
 Ejus regnum miris est stabilitum modis:  
 Cujusq; auspicijs omnia hic nobis cedunt feliciter,  
 A quo enim maxima beneficia accipit, ei ut gratiam  
 Referat, æquum esse existimat. *Li.* Sapit is quidem  
 Mea sententia, qui numini tam magnifico

Troch.

Se gratum præbet: quiq; in eo honorando,  
 Atque alendo nullis parcat sumptibus.

Troch.

Qui quanquam magni sunt, minimè tamen eos  
 Puto conferendos, cum infinitis, innumerisque com-  
 modis

Quæ hujus Dei favore Babylonii  
 Annis sunt consecuti plurimis. Verum nimis  
 Hic cessamus diu: ad templum nos protinus  
 Conferamus, ut quæ ad sacrificium pertinebunt,  
 Absq; ulla mora paremus. *Phy.* Præcede, sequor.

Troch.

ACT.

**Q**uanquam video mihi insidias parari  
 Ab hisce cacodæmonum cultoribus,  
 Meque illis in vitum esse & ante intellexi,  
 Et nunc etiam multo magis intelligo; tamen  
 Animam relinquam potius, quam a veri Dei  
 Cultu me permittam avocarier. Quod si

Troch.

Omnino mihi moriendum erit, parvi æstimo:  
 Nam qui ita perit, minimè interit, postquam innocen-  
 tibus,

Troch.

Et præter culpam damnaſis, ad cælum patere  
 Accessum, nobis credendum sit firmiter,  
 Quapropter nulli me aduersarii suis  
 Terre bunt minis. Ne rex quidem ipse quicquam

Troch. 2

Profecerit, si ad impietatem hanc me impellere  
 Conetur. Absit enim ut homini magis obsequar  
 Quam Deo. Quanquam illo sat bene volo, commo-  
 doque

Vsus sum hætenus; cum ramen ab idoli sui  
 Cultu animum mihi planè abhorrere sæpe senserit.  
 Sed ecce egredientem, ad templum illum iturum ex-  
 istimo,

Hic subsistam paulisper, ut, quo iter ei sit, sciam.

Cyr. E hodie, cessatum est satis, In templo parata jam  
 dudum

Credo esse omnia, quare properemus, ne in mora si-  
 mus.

Leo. En adsumus rex invictissime, ad tua

Iussa exequenda prompti, atq; expediti sedulo,

Troch. 2.

Cyr. Facitis uti decet, quando regi vestro obsequētes,  
 Ac morigeros vos per omnia præberis. Sed estne iste  
 Daniel, quem non ita procul hinc stantē conspicio? is  
 Est ipse, opportunè herculè. Adoriar hominem, &  
 Ad templum deducam, ut mecum Deum Belum  
 Adoret, victimasq; offerat. At nihil agam,

Si il-

Si illum novi satis. Quod tamen ei faciendum erit  
 Aliquando, si benevolentiam, atq; gratiam, Troch.  
 Quam apud me est consecutus, stabilem & perpetuâ  
 sibi

Esse velit. Sed propius huc ad me accedit. *Dan.* Salve  
 plurimum

Rex invictissime. *Cyr.* Salve Daniel. Quid hic  
 Tibi negotij est, aut quem præstolaris? *Dan.* Te mi  
 Domine

Accedentem videbam procul: ideoq; manendum hic  
 mihi

Aliquantisper arbitrabar. *Cyr.* Fecisti bene.

Laudo, sed scin' quid ego te nunc facere velim?

*Dan.* Nescio Domine. *Cyr.* Dicam. *Dan.* Vbi voles:  
 quicquid præceperis,

Effectum dabo. *Cyr.* Deo nostro Belo sacrificium  
 Parari mandavi modò: eoq; nunc me confero.

Age, sequere, ac tandem in hac re voluntati

Fac pareas meæ. *Dan.* Prohibeat hoc Deus. *Cyr.* Quid  
 ita? cedo.

*Dan.* Quia cum neq; Deum esse, neque quicquam aut  
 efficere aut

Præstare posse persuasi mihi. *Cyr.* Antiquum  
 Pol Daniel tu morem obrines. At vide etiam  
 Sodes, ne tibi temeraria illa linguæ incommodæ

Audacia, ac procacitas; suamq; potentiam Belus

Clade, exitioq; tneatur tuo. *Dan.* Admodum

Meticulosus sum, si illum mihi extimescendum

Putem. Alium, eumq; verum nos Judæi veneramur Troch.

Colimus, atq; adoramus Deum. Qui quemadmodum

Olim creavit, ita nunc quoq; moderatur omnia.

*Cyr.* Facis ut soles, dum nostrum aspernaris Deum

Sed ne tibi os aliquando obtureretur, periculum

Pol maximum esse existimo.

Quod etiam si tu non metuis, tamen (quod hic

Dicendum est serio) malè facis, qui tibi

Tuo more, & non nostro hic vivendum putas.

Quare si me audias, mitres illam obstinati

Troch.



Animi pertinaciam, atq; te obsequentem  
In hac re præbebis mihi.

*Dan.* Si iustum atque æquum esset, quod postulas mi  
domine

Parerem protinus: sed ad impietatem nemo me  
Facile induxerit, *Cyr.* Laterem, ut video, lavo.

Hem, missum hunc faciamus, & ad templū properē  
Accedamus. Tu cave, ne hæc inconsulta temeritas  
Tibi magnum aliquod pariat malum.

Nunc aliud hocce tempus postulat: post de te videre.  
*Da.* Non me latet profectō, in quā gravibus periculis  
Mea versetur vita: & quā multi hic sint in aula re-  
gia,

Quī me oderunt, quique extinctum volunt: itaque  
omnibus

Huc viribus incumbunt, ut & honoribus;  
*Troch.* Quos apud regem sum adeptus, & vita spoliē  
Insuper. Sed nihil homines moror, modo

*Troch* Deū habeam propitium mihi. Quod confido fore  
Nunquam enim ille deserit suos. Sed tempus est  
Ut hinc abeam. Tibi commendo vitam, & salutem  
Meam Deus: tu me tuere innoxium,

#### ACTVS I. SCENA IV.

LYTVRGVS, ICHTHIBOLVS, TORBELVS  
cum reliquis Sacerdotibus, CYRVVS,  
LEONIDAS.

*Eiusdem generis versūs.*

**P**Arata, quæ ad Sacrificium erant opus, sunt omnia  
Ichthybole, reliquos convoca sacerdotes,  
Jam dudum adest Rex *Ich.* Hem faciam pol sedulo.  
Demiror, quid eos remoretur. Sed adsunt. Commodē  
herculē,

Rho fratres, sacerdotes pii, vitique  
Sanctissimi: adeste. Quid vos istic obsecro  
Detinuit tam diu? ecce hic apparata sunt  
Omnia: regisque præsentia, sacrificium  
Ut maturemus, postulat. *Tor.* Agedum, in nobis nihil  
est moræ.

*Cyr.*

*Cyr.* Ehem Leonida, reliquique omnes, hic quotquot  
Adestis, accedamus ad aram propius, &  
In genua procumbamus, Belumque veneremur sup- Troch. 2.  
plices,

Cuius auspicijs in hoc nostro regno feliciter,  
Prosperereque viximus hactenus,  
Pro quo illius erga nos beneficio æquum est, ut ei  
gratias

Agamus, oremusque ut hunc suum favorem,  
Ac benevolentiam perpetuam nobis ac stabilem Troch.  
Esse velit. *Leo.* Pie, atque ut te decet Rex invictissime  
*Ich.* Agite dum fratres, nunc cantum exordiamur My  
sticum.

Ego præcinam, vos succinite. *Tor.* Faciemus sedulè.

*Sacra canamus vocibus.*  
*Belum Deorum principem:*  
*Qui nos ab hostis impetu*  
*Suo tuetur numine.*

*Hic est Divus præ cæteris*  
*Honore dignus maximus:*  
*In victa enim dextera*  
*Nos servas in periculis.*

*Hic dignus est maioribus*  
*Noster Deus præconijs:*  
*Hic evecti solemnibus*  
*Laudem meretur cantibus*  
*Intende nostris vocibus*  
*Id te rogamus supplices*  
*Hostesque nostros vindica,*  
*Tuam tuenda gloriam.*

*Ich.* Euge fratres, nisi me mens fallit, litatum est  
Feliciter: nam Belus omnium Deorum  
Potentissimus, annuere visus est mihi nostris  
Precibus. *Tor.* Et mihi profecto prælagit animus Troch.  
Nescio quid boni. Hinc rex invictissime,  
Quæcunque es aggressus, auguror tibi  
Successura ex animi sententia: talem  
Cum protectorem habeas Deum,  
Qui quicquid vult, vel solo nutu perficit,  
Cui qui repugnare, aut resistere conatur, nihil  
Agit: cuique ipse haud gravate cedit Iupiter,  
Quamvis sævo timendus fulmine. *Cyr.* Hoc quidem  
Brante re ipsa non semel expertus sum, & in  
Posterum me experturum confido: *Ich.* Istud quidè  
Fiet mi Domine: Verum etiam atque etiam vide Troch.  
Sedes, ne quod Dei Beli benignitas

Indul-

Indulſit haſtenus, tibi Danielis  
 Intercipiat impietas: quem inter principes  
 Tuos honore ornatum maximo, verſari  
 Quotidie conſpicimus. Cum ille tamen hunc  
 Noſtrum Deum adeo non colit, ut ſibi etiam eum  
 Illudendum, deridendumq; exiſtimet.  
 Quam certè ignominiam nequaquam impunitam  
 fore auguror.

*Cyr.* Ego, quod in hac re me facere dignum eſt, inve-  
 nero,

Idq; propediem. Vos in utramq; aurem facite uti  
 Dormiatis, adhæc curetis ſedulo,  
 Nequid Belo deſit. De epulis loquor apparandis.  
 Intellexit in' Ichtribole? *Ich.* Probè mi Domine.

*Troch.*

*Cyr.* In aulam nunc revertamur Leonida.  
 Ibi quid de Daniele ſim faſturus, conſilium  
 Vna tecum capiam. Qui niſi morem mihi geſſerit,  
 Veluti ante benevolentiam meam eſt expertus, ita  
 Nunc iram ſentiet. *Leo.* Rectè. *Cyr.* Præcedo, ſequi-  
 mini.

## ACTVS II. SCENA I.

CYRVS, DANIEL.

*Iambici.*

*Troch.*

**E**ST ut dixi Daniel, peccatum à te maximum eſt,  
 Qui tam procaciter noſtrum ſpernis Deum:  
 Neq; ullis induci poteſ rationibus, ſententiam  
 Vt mutes, mihiq; in hac re te morigerum præbeas:  
 Cuius favorem, ac benevolentiam in te maximam  
 Haſtenus es expertus. *Da.* Tua erga me clementia  
 Eſt maior mi Domine, quam ut eam verbis ullis  
 queam eloqui,

*Troch.*

Neq; quicquã tam magnificè ſum dicturus unquã,  
 Quin multò plus tua promereatur benignitas;  
 Quare ingratus merito habendus ſim, hominiſq; in-  
 dignus nomine,  
 Si ulla in re refrager tibi.

*Troch.* 4 *Cyr.* Cur igitur non obtemperas? aut cur, quod jam  
 toties

*Atte*

A te postulavi, non impetro cum gratia?

Age, ne te iolvere amplius. Crede hoc, inquam;  
mihi,

Quodcunq; à me optaris, optatum feres:

Sire hic obsequentem præbeas mihi.

*Dan.* Abundè multa tua mihi præstitit benignitas:

Ac proinde jure inhumanus sim, si quid expectem

Amplius. *Cyr.* Age sodes, sine te exorem. *Da.* Oh, quid  
me oras domine: quasi

Orando te hoc à me impetrare oporteat.

Aufer mihi preces, & iusta impera. *Cy.* Ohe Daniel

Superstitiosus es nimis. *Da.* Non me superstitio, at rei

Turpitudine & impietas deterrere Egon, ut sculptile,

Ac vile simulachrum pro Deo colam idne es

Auctor mihi? Absit, absit, inquam, a me procul,

Vt tale quid mihi vel in mentem veniat: tantum  
abest,

Vt ànimus ad tam horrendum facinus inducere

Queam. *Cyr.* Vah quæ hæc est ingenti obstinati per-  
tinacia!

Nunquamne tam blandè tibi dicam, ut animũ mutes

Mihiq; desinas adversari? *Da.* Si hic obsequar

Tibi mi Domine, Deum meũ offendam gravissimè:

Quod minimè ego expedire existimo. *Cy.* Daniel,

Præfractus es pol, atq; pertinax nimis,

Quam vereor, ne malum aliquod hæc

Tua tibi pariat contumacia. *Dan.* Solam culpam ego  
malum

Esse arbitror: hanc si effugero,

Quodcunq; obtigerit, æquo animo feram. *Cyr.* Bene

Isthuc, atque fortiter. Sed dic mihi

Sodes, quod te rogo Daniel. *Da.* Quid mi domine?

*Cyr.* Cum toties tanta affirmes confidentia,

Belum nihil nisi statuum esse inanimam,

Hominis manibus confectã, an te impunè laturum

Credis? neq; Deum extimescis, quem tanta afficis

Contumelia? *Da.* Non tam ab illo mihi timeo, qui nec  
valet,

Troch.

Troch.

E

Nec

Nec potest quicquam, quam ab ejus  
 Mystis atque sacerdotibus: qui nullum non movent  
 Lapidem, ut te infensum reddant mihi. Verum nihil  
 Moror *Abunde ipsa sibi patrociniabitur innocentia:*  
*Qua quidem premi, sed opprimi haud potest.*

*Cyr.* Ah Daniel, eo me redigis, ut nesciam

*Troch.* Quid faciendum mihi fiet, & vitæ tuæ  
 Timeo, *Dan.* Quieto animo esto mi Domine, quod  
 fors feret,

Tolerabo fortiter *Cy.* Vide quid agas. Sed jam satis  
 Verborum est. Si sapias, vitabis infortunium.

*Dan.* Commovi. Væ misero mihi!

Quid autem dixi? ab erravi. *Miser non est, nisi*

Cui Deus propitius esse desit

Sed ut intro me nunc recipiam, tempus monet.

#### ACTVS II. SCENA II.

BALTHAZARUS. LEONIDAS.

*Ejusdem generis versus.*

**R**Evisto quid Leonidas agat, ut de eo  
 Quod heri a cœna inter nos agebamus, loquamur

*Prolixius.* Sed ipse mihi procedit obviam,

*Troch.* Nihil herculè potuit fieri opportunius,

Accedam, & alloquar. *Leo.* Hei mihi

Quam ego nunc illi tim. eo, & quam me eius miseret

Cui certum exitium impendere video. *Bal.* Hem Leonida.

Quis obsecro ille est, cui timere te dicis

*Leo.* Tun' hic eras Balthasare? non prævideram

Te, *Bal.* Credo, sed responde ad id, quod te rogo:

Et quis sit homo, cui tu timeas malè? *Leo.* Ah, quasi

Ignoret. Daniel est qui in periculum

Vitæ brevi est venturus, nisi regi morem gerat,

*Bal.* Ego quoq; non parum metuo ne perniciē sibi,

Exiliumque adferat, dum nimium præfractus suæ

Nullum patitur refragari sententiæ.

Admonui hominem frequenter, atq; adeo, ut sibi

Consuleret, obtestatus sum: sed nihil egiahtenus,

*L. eo.*

*Leo.* Ego quoq; eadem inculcando, inani opera sæpe  
 Me defatigavi. Sed quid quæso cum illis agas,  
 Qui sua sunt extæcati pertinacia?  
 Deos oremus Balthasare, ut temeraria  
 Hæc ejus confidentia, meliorem, quam  
 Nos arbitramur, consequatur exitum:  
 Namq; illi ex animo bene volo. *Bal.* Ridiculum, an  
 Djs

Tu eum curæ esse existimas Leonida?  
 Qui non solum hunc Belum, sed alios quoq; Deos,  
 Vbique gentium coluntur, illudit,  
 Spernitq; contumaciter. *Leo.* Verum mihi  
 Hercule videris dicere: ob id quo hæc ei  
 Res sit evasura nescio. *Bal.* Ipse viderit.  
 Si se servare nolit, quod quidem illi est in manu,  
 Pereat, intereat, nihil ad nos attinet.  
 Sed video huc accedentes è templo sacerdotes:  
 Intro igitur eamus, visamusq; quem exitum  
 Hæc res tandem sit sortitura. *Leo.* I præsequor.

Troch.

Troch.

## ACTVS II. SCENA III.

ICHTHYBOLVS, TORBELVS, MELGHIAS.

*Eiusdem generis versus.*

**P**RO Deum atque hominum fidem! quæ est, si non Troch.)  
 hæc insignis est  
 Apocellanda contumelia? Hem, quid videtur  
 Symmystæ? *Tor.* Malo ego illum quovis puto dignis-  
 simum.

*Mel.* Nihil hercule est loci segnitæ, neq; locordæ,  
 Quantum illius ego audaciam, & impias calumnias  
 Audio. *Ich.* Vah, in cruciatum hinc illum procul ab- Troch.)  
 reptum oportuit:

Vt suo exemplo doceat, quid sit periculi, Deos  
 Contumacibus inceslere convitijs.

*Tor.* Id quidem ego propediem illi eventurum au-  
 gutor,

Nisi ab insana hac destiterit sententia. *Mel.* At ego  
Nimis vereor (ut hoc inter nos hic dicam liberius) ne  
Sua nobis malum aliquod pariat confidentia :

Cum palam, rege etiam presente, audeat  
*Troch.* Dicere, Deum nostrum Belum nihil nisi  
Simulachrum esse inanimatum, ac statuam vilissimam;  
Quod si semel regi fuerit persuasum, isq; illius  
Verbis fidem habens, huiusce rei periculum  
Fecerit, actum est de nobis omnibus, perimus fun-  
ditus

Vna cum uxoribus, atq; liberis. *Ichr.* Istud malum  
*Troch.* Superi avertent spero. attamen nescio pol, quid mihi  
Mens, præsagiat infortunii. *Tor.* Bono  
Animo sumus fratres: quod ille molitur;  
Facile, ut opinor, propulsabitur: quando  
Graviter ei minatus est rex, nisi sententiam  
Mutet, Belumq; colendum, adorandumq; censeat.  
Sibi. Sin aliter fecerit, regique immorigerus esse  
Perrexerit, certum paratum ei esse exitium. Nunc  
itaque

Mortis metu obsecuturum illum existimo. Et  
Sapienter, mea quidem sententia, si in aula regia  
Inter procures cum honore malit vivere,

*Troch.* Quam vitam per cruciatus, ac tormenta finire  
Turpiter. *Mel.* Idem & ego futurum spero. Et tamen  
Quoties præfracta hominis in mentem venit  
Pertinacia, animus in genua, ut ajunt, concidit  
Mihi: Nihilq; metuo magis, quam ne nobis ille

*Troch.* Magnam concitet tragoediam.  
Namq; inter aulicos, omnesq; nobiles  
Quam graciosus sit scio: & quo pacto rex suum  
Animum, suaq; consilia ei credat omnia.  
*Ichr.* Minimè pol vanum, Melchia, hunc tuum metum  
Ego esse censeo. at contra cum mecum cogito,  
Quanti hæc res sit momenti, haud arbitror regem  
Dissimulaturum diutius:

Cum omnis populus uno ore passim clamitet,  
Non amplius ferendas esse impii hominis calumnias;  
Cui

Qui si obfirmato animo Rex pergat adversarius,  
 Periculum est, ne illius facilitas, cultusq; divini  
 Neglectus, magnos in his nostris regionibus  
 Tumultus exciter. Sed nescio quem ex aula regia  
 Procul egredientem conspicio. Abeamus hinc  
 Et una consilium capiamus omnes,  
 Quomodo adversus huius scelerati conatus nos  
 Tacamur, eiq; exitium moliamur denique:  
 Ve quieto, ac tranquillo animo vivere  
 Posthac liceat nobis. *Tor.* Placet. Poldignus est,  
 Qui pessimis circumveniat, ac pereat modis.  
*Mel.* Id ego quidem, quo pacto fieri soleat, optime  
 Calleo *Icht.* Et ego certè. Eamus nunc, res non pati-  
 tur moram.

## ACTVS II. SCENA IV.

## DANIEL.

*Eiusdem generis versus.*

**D**ifficile atq; arduum est, quod molior; & tamen  
 Magna spes habet animum, hanc rem mihi  
 Successuram ex sententia, Sed quoniam viribus  
 Humanis effici hic nihil potest, orandus est  
 Mibi Deus, ut meis succurrere dignetur conatibus,  
 Clementissime, atq; benignissime Deus,  
 Qui solus in cælo, terraq; moderaris  
 Omnia: quiq; ex gravissimis periculis  
 Me sæpe liberaisti, oro & atq; obtestor, mihi  
 Ut nunc præsens ad sis, tuaque gratia,  
 Atq; ope divina animum corroboret: ut in eo, quod  
 Tuo, ut arbitror, afflatus numine, aggredior, facinore  
 Constante perseverem. Ne permittes mi Deus,  
 Ut impium hoc hominum genus, impune in sanctis-  
 simum

Troch.

Troch.

Troch.

Tuum illudat nomen: nosq; tuo divino hætenus  
 Addictos cultui, irridendos proponat sibi;  
 Adhæc cruciet, affligat, & vita tandem spoli-  
 Infandis excarnificatos modis. Quin pro tua  
 Erga nos pristina clementia effice potius,



Ut impostores illi perditissimi  
 Cassibus quos nobis innocentibus  
 Tendunt, ipsi irretiti, pœnas sceleribus,  
 Et fraudibus suis dignas luantrutque  
 Tandem re ipsa nobis declares, quam nihil  
 Omnino adversus invictam tuam potentiam, impie  
 Idololatrarum valeant machinæ. Tum quam misere  
 Infantant, & quantopere se fallant, qui cæcæ dæmo-  
 num

Suorum præstigiis dementati, insolenter  
 Contra te cristas erigunt.

Erit hoc per totum terrarum orbem memorabile,

Troch. 2. Tubque imprimis gloriosum numini,  
 Si abominandus ille præstigiator, atq;  
 Impostor Belus, non magnis viribus,  
 Aut gravibus rerum tumultibus, at per me senem  
 Imbellem, tua ope confirmatum, corruat  
 Turpiter. Hoc quæso nunc mihi sic eveniat Deus  
 Ut detecta horum nebulonum  
 Impietate, atq; nequitia summis tuam  
 Erga nos laudibus evehamus munificentiam,  
 Eja, benè rem successuram auguror: adeo  
 Divino afflatus œstro, animus gestit mihi.

ACTVS III. SCENA I.

LEONIDAS, BALTHASARVS, CYRUS,  
 DANIEL.

*Iambici.*

Quid nunc futurum arbitraris Balthasare? aut quo-  
 modo,

Troch.

Ipse evadet miserrimus? cui, cum in sententia  
 Perseveret constanter, moriendum erit  
 Planissime. *Bal.* Miseret me ejus: nostramq; vicem  
 Doleo, quibus amico tam fido, & candido  
 Posthac erit carendum, quo facili, atq; commodo  
 Aliquot annis usi sumus.

*Leo.* Rerum humanarum hæc est conditio, ut si quid  
 cuipiam

Cordi

Cordi, aut voluptati sit, eo orbetur brevi.

At compescenda lingua est, crepuit ostium.

Eh rex ipse egreditur. Abeamus Balthasare, ne

Nos ociose hic offendat confabulantes.

*Bal.* Quin maneamus potius, ut audiamus, quomodo

Hæc res sit successura denique. *Leo.* Placet. *Cyr.* Enim-

vero

Troch.

Quando ego diligentius hanc rem mecum cogito

Temerariamq; Danielis confidentiam

Magis in animo perpendo, hoc mihi minus

Cessandum, aut connivendum hic esse existimo;

Nam res maximi momenti est, utpote

Quæ ad reipublicæ nostræ, atq; adeo ad regni mei

Salutem, aut exitium pertineat maxime.

Troch.

Ideoque prudenti mihi erit consilio opus.

Quod quidem ego in solo Daniele, de quo nunc la-  
boro,

Etcuius vitam in dubium venisse video,

Deprehendisse me puto hactenus. Quapropter hæc

Res non mediocriter animum commover meum.

Oh, Daniel, quantas tua

Pertinacia paris curas, quâs sollicitudines,

Et quam tristē meorē adfers mihi! Quem quidem

Vt cunq; toleravi diu, sed nunc eo

Res rediit, ut non sit dissimulandum amplius.

*Obsequendum quidem* amicis, sed ad aras, At Leonidam

&

Troch.

Balthasarum hic consistentes video, nihil hercule

Potuit evenire commodius: nam jam jam huc eos

Ad me jussissem accersier. *Bal.* Vltro ad nos accedit,  
hem.

Vultus parum placet, solito mihi videtur tristior.

Appellemus eum comiter,

*Animo commoto* blanda solet mederi oratio.

*Leo.* Recte isthuc. Plurima salute te tuus

Impertit Leonidas Rex invictissime.

*Bal.* Majestatem suam diu nobis salvam, atque inco-  
lumem

Deorum conservare dignetur benignitas. *Cyr.* Pro  
isthoc

Vestro erga nos animo habeo gratiam: & si quid

Troch.

Vsu venerit, vicissim nobis bene faxim lubens. At

Troch. 2.

Quid est, de quo hic inter vos colloquimini; seriam

Rem esse arbitror. modo fronti sit habenda fides,

Quæ in vobis videtur esse parum læta, atq; hilaris.

Agite, ne celate, si quid est, quod vos sollicitos

Habeat: inveniam remedium isti ægritudini.

*Bal.* Et tu mi Domine, quam soles videre tristior,

Quæ res animos nostros percellit maxime.

Troch.

*Cy.* Quo pacto posse læto esse vultu, quando tanta me

Cura, atque sollicitudo premit. De Daniele

Loquor, qui cum certū sibi videat esse exitū, tamen

Troch.

Non magis moveretur, quam si saxum sit adamantinū.

*Lio.* Idem, mi domine, & nobis luctum adfert gravis-

simum,

Atque adeo de eo hic inter nos loquimur, tantam ho-  
minis

Mirati confidentiam. At at, lupus est in fabula,

Ipse egreditur foras, *Cy.* Is est profecto: compellabo

Eum, atq; de eadem re obrundam denuo.

*Da.* Audire mihi visus sum vocem Regis, atq; eccum:

Salve Rex clementissime. *Sy.* Salutem tibi

Vix ausim precari Daniel, quando salutem

Troch.

Tuam ipse negligis, vitæque periculum

Videns, volensque adfers tibi, *Dan.* ~~vita huius~~ iactu-  
ram ego

Parvi æstimo domine, quæ nullo etiam auferente,

Per se fluxa & fragilis est. Maiori mihi

Curæ est animus, quem extincto corpore

Salvum atque superstitem futurum credo. *Cyr.* Rectè  
Daniel,

Sed hoc sapientis esse tecum cogita,

*Nunquam tam* obfirmato esse animo, quin si quid aut  
tempus,

Aut usus, aut res suadeat tibi, lubens.

Atque cupide amplectare. Tum ut salutare

Con-

Consilium dantibus haud gravatè pareas,  
Quod tu quidem minimè tibi faciendum  
Existimas: cum non ignores, quàm gravè  
Periculum tua isthac pertinacia accersas tibi.

*Dan.* Si hoc quicquid est periculi, sine culpa effugere  
queam

Domine, nequaquam me difficilem præberem tibi.

*Cyr.* Quam tu mihi culpam commemoras Daniel?

Enim vero jam reticere nequeo amplius,

Nam ea quoque quæ nolo, tua me loqui cogit

Pervicacia. Quoties ego tecum de eadem

Re egi, quoties pro omnibus meis in te beneficiis

Gravi, atque obtestatus sum te, ut in hoc negotio

Obsequereris mihi, cum tamen nihil impetraverim

Unquam. Quin nunc quoque cum de eodem serio

Tecum agam, me aversaris tam illiberaliter.

*Dan.* Pro summa tua erga me benignitate

Hoc tibi debeo Domine, ut manibus, pedibusque  
noctes

Atque dies pro salute tua & regni tui

Incolumitate entendum putem mihi: tum capitis

Periculum libenter subeam, dum profim tibi.

Sed ad impietatem ( ut tua pace isthuc dicam ) ne-  
mo me

Facile impulerit. *Cyr.* An impietas tibi videtur im-  
pudens.

Deo isti te præbere supplicem, à quo tanta hæcenus

Beneficia consecuti sumus? & cuius numine, hoc

Nostrum regnum tot annos felicissimè

Floruit. *Dan.* Deo vero, cæli, terræque conditori

Isthuc acceptum ferri convenit: non isti Belo, qui

Neque valet, neque potest quicquam. Qui quemad-  
modum

Hominum manibus est fabrefactus, ita comminui

Atque in nihilum ridigi poterit facillimè.

*Cyr.* Ah. Daniel, non te ea loqui pudet? cum & vi-  
ram, & animam ei

Ine ffe indubitatis constet rationibus.

E 5

*Dan.*

Troch. 2.

Troch.

Troch.

*Dan.* Quibus obsecro? *Cyr.* Rogas audacissime?  
 Cum tam multo cibo, potuque ei sit opus  
 Quotidie? *Da.* Ridiculum, sacerdotes cum uxoribus  
 Et liberis ea absumunt omnia. Belo nihil  
 Opus est, inanimes, mutæ, atque imbelli statuæ,  
 Qui cum os, oculos, nares, atque aures habeat, his  
 Tamen utitur nunquam. Neque enim loquitur, neq;  
*Troch.* Videt, neque odoratur, neque audit quicquam: *Cyr.*

Quid ais omnium?

Tun' Sacerdotes hæc, quæ quotidie magnis sumptibus

Belo apparantur, devorare dicis omnia?

*Da.* Dico, dieo inquam, atque assero mi domine, omnibus

Istis epulis, vinoque tua quæ liberaliter

Benignitas suppeditat, noctu cum suis

Illos epulari, ac deliciari affatim.

*Troch.* Quod nisi certis indiciis, ac rationibus

Demonstravero, nullam causam dico, quin mortis  
 supplicium

Continuò feram. *Cyr.* Age, placet, periculum faciam:

Nam in eum res devenit locum, ut necesse sit experiri.

Agredum Balthasare, ac Leonida, sacerdotes

Ad me sine ulla convocate mora. *Leo.* Faciemus sedulo.

*Troch.* *Cyr.* Rem magnam esse dicite; ideoque protinus

Huc ut se conferant, curent. *Baltha.* Fiet. *Cyr.* Tu  
 Daniel

Me sequere intro, *Dan.* Nihil est quod æquè fecero  
 lubens.

### ACTVS III. SCENA. II.

BALTHASARVS, LEONIDAS.

*Eiusdem generis versus.*

**N**escio profectò in quem tandem exitum hæc sit  
 evasura

Trago-

Tragœdia. Eho, quid tibi viderur Leonida?

*Leo.* Ah, quid dicam, aut respondeam planè nescio miser

Tam perit Daniel, quam extrema faba, ut ajunt,

*Bal.* Cerrum id quidem. *Leo.* O ingentem hominis confidentiam!

O inauditam animi pertinaciam!

At properemus, ne regem nostra offendamus mora. *Troch.*

*Bal.* Mones probè. Sed commodè eccum Ichthybolum

Nobis obviam prodire conspicer.

*Leo.* Is est profectò, opportunè admodum. Alloquar. *Troch.*

Ehem, quo tibi iter est Ichthybole? *Ich.* Ad regem

Recta. *Bal.* Quid eo? *Ich.* Ut quæ in mandatis mihi dedit

Deus noster Belus, ei exponam. Quæ quidem

Minimè jucunda, aut grata fore auguror. *Leonid.*

Quænam illa sunt

Sodes? Narra obsecro. *Ich.* Minatur

Belus regigraviter, nisi Danielem

E medio tollendum præcipiat protinus.

Namque impietatem illius non ferendam esse amplius.

*Bel.* Quid audio? De eadem re rex nos ad vos misit,

*Ich.* Oh,

Beasti, dignus potest, qui cruciatibus

Pereat gravissimis. *Leo.* Nos quoque hominis mirari *Troch.*  
non satis

Possumus impudentiam. Sed audi Ichthybole,

Quid indubitaris argumentis ostensurum regi hodie

Se dixerit, homo, omnium qui vivunt audacissimus.

*Ich.* Quid obsecro? *Leo.* Deum Belum nihil esse nisi statuam inanimam, ac

Truncum vilissimum. *Ich.* O effrontem hominis improbi

Impietatem! Quanquam & ante illum dixisse

Idem, audi vi sapius. *Bal.* At nunc audi quod est gravissimum.

*Ich.*

Troch.

*Ich.* Eho, an quicquam etiam amplius. *Bal.* Vero amplius. Cibum

Omnem, quem quotidie ad vos congerendum Curat Rex; non à Belo, sed à vobis absumi, & Deglutiri asserit. *Ich.* Pro Deum atque hominum fidem!

Cui unquam quicquam dictum est contumeliosius? *Leo.* Nunc itaque nos misit Rex, ut te cum reliquis tuis

Symmystis ad se convocaremus. Agedum, Propera, atque ceteros, quantum potes,

Troch.

Conveni: simulque omnes sequimini protinus.

*Ich.* Faciam hercle sedulo. *Bal.* Hac nos redeamus Leonida.

## ACTVS III. SCENA III.

ICHTHIBOLVS, MELCHIAS,  
TORBELVS.

*Eiusdem rationis versus.*

**I**Amne abierunt illi? & dicere mihi hic quid vis Impune licet? Enim vero aut male mens hariolatur mihi, aut

Hic Daniel nobis magnum adferet infortunium: Adeo nostras rationes video ab eo undique Labefactarier. Vt Dij. Deique omnes eum Perdant sacrilegum: qui tantas nobis suis Improbis conatibus curas parit,

Troch.

Tantasque adfert sollicitudines. Verum nimis Hic subsisto diu. Ad symmystas nunc mihi

Troch.

Properè eundum est. Quamquam haud latum scio me

Allaturum nuncium. Verum nisi Oculi hallucinantur, procul illos è templo conspiciet Egrescentes. Ibo obviam, *Mel.* Quod sæpe alias Dixi Torbelle, idem nunc dico denuo: Nisi sceleratum istud è medio tollatur caput, Plane actum erit de nobis omnibus. *Tor.* Est ut dicis Melchia.

Qua-

Quapropter summis nobis est enitendum viribus,  
Ut intereat, atque extinguatur scelus. At eccum  
Ichthybolum

Non te prævideram, Hiccine eras Ichtrybole?  
Quo pacto apud regem res successit tibi?  
Et quid causæ est obsecro, quod te tam cito  
Conspiciamus reversum. An quia parum venisti in  
tempore?

*Ich.* Dicam, inter eundum veniebant mihi obviam  
Leonidas, & Balthasar, à rege, uti  
Dicebant, ad nos missi. *Tor.* Quæ de re? aut quid erat  
negotij?

*Ich.* Rogas Torbelle? Nescis quò in discrimine, &  
Periculo sumus? *Mel.* Quid ita fodes? *Ich.* Ah fratres,  
Daniel

Est, qui hos nobis tumultus concitat. Sed non  
Satis tutus mihi ad commemorandum hic videtur  
Locus. Nec tempus cessandi est: jamdudum enim  
Nos Rex expectat. Quare eamus: inter  
Eundum rem omnem narrabo vobis: simulque con-  
siliū

Capiemus, quomodo & illum perdamus, &  
Nos ex isthoc extricemus malo. *Mel.* Placet.

#### ACTVS III. SCENA IV.

CYRVS, DANIEL, ICHTHYBOLVS,  
MELCHIAS, TORBELLVS.

*Ejusdem generis utrsus.*

*Troch.*

Vide etiam nunc Daniel, ne temet in exitium  
Temere conjicias. Nam si ea quæ magna afferis  
Confidentia, vana, atque falsa deprehendantur,  
Actum est, perijsti funditus. *Dan.* Quæ diximi Do-  
mine,

*Troch.*

Vera esse jam faxo re ipsa comperias. *Cyr.* Sed cave  
Ne nimium tibi confidas. *Dan.* Bono animo sis obsecro.  
Omnia mea mihi meditata sunt: neque quicquam  
moror

Impostores illos perditissimos:

Qui



**Troch.** Qui cum foris sunt, nihil illis videtur parcius,  
Nihilque sanctius, verum quam luxuriosè, ac turpi-  
ter

In suis istis nocturnis se gerant  
Commessionibus, quam avide atq; intemperanter  
Illic abliguriant, ac devorent, quæ comedi à  
Belo suo persuadent credulis, jam faxo ut omnibus

**Troch.** Sit notissimum. *Cyr.* Satis quidem istud fortiter  
Mi Daniel. Verum vide sodes, ne fortitudo isthæc  
In nervum erumpat tibi, Sed nescio quidnam  
Sacerdotes remoretur tam diu. *Dan.* Consilium  
Inter se capiunt, quo pacto fucum suum,  
Dolumque occultent: tum quibus fallacijs  
Me circumveniant. Sed nihil agunt. *Veritas*  
Ad tempus obscurari, haud opprimi potest.  
*Cyr.* Mira est in tam periculosa, atque dubia  
Re animi tui constantia.

*Dan.* Eum mihi securum reddit innocentia.

*Cyr.* Esto, sed video procul eos

Adventantes. Hem serva: & ut tibi constes vide.

*Dan.* Deus

Meos conatus uti spero sua juvabit gratia.

*Mel.* Satis super hac re consultavimus diu.

At at regem cum Daniele istic stantem video.

Me miserum! Mens mihi inhorrescit, & pedes  
Suo vix funguntur munere, quando in mentem venit  
Quid de nobis futurum sit: siquidem ille, quod  
Magno conatu molitur, perfecerit.

*Icht.* Estote animo forti, qui infirmioribus

Et jam sæpe peperit victoriam. Sed alloquar:

Salve Rex invictissime. *Tor.* Salutem tuam

Belus, noster Deus, servare dignetur diu

**Troch.** Incolumem. *Cyr.* Quem Deum vos esse dicitis,  
Hic non nisi simulachrum vile, truncumque inani-  
mum

Esse asserit. *Mel.* O impiam hominis impudentis

Calumniam! *Cyr.* Tum, quæ Belo quotidie opus esse  
dicitis,

Avv-

**A**vobis devorari, atque absumi omnia.

*Tor.* Pro Iupiter! vecor ne tellus nos absorbeat.

*Dan.* Nihil nobis hic tale merendum puto.

Sed ne vobis impostoribus id accidat, periculum est  
Maximum. *Ich.* Tun' nos impostores appellas impu- Troch.  
dents?

Audis hoc ò Rex atque impunitum relinquis  
Scelus? *Cyr.* Pœnas equidem mihi dabit gravissimas,  
Nisi id quod affirmare audet, palam probaverit.

Sin autem illum verè hæc dixisse, & vos nobis  
Hactenus illuisse deprehendero: ad amplissimos  
Honores illum evexero,

Vobis in cruciatus abreptis atrocissimos.

*Tor.* Prohibeat hoc Belus noster Deus, ut nos syc-  
phantijs,

Fallacisq; aliquem decipiamus. Tales sumus

O Rex, atque ita nos gessimus hactenus, ut nihil  
istiusmodi

Quisquam de nobis temerè suspicari debeat.

*Dā.* Vah. Quam religiosè, ne unquam fucum cui-  
piam

Fecisse videantur. Mox divina adjuvante gratia,

Efficiam, ut, quam sancti viri sitis, notum sit omnibus

*Ich.* Antiquam pol impietatem tuam obtines,

Quam non diu impunitam fore, tibi nunc denuncio.

Quæ quidem hoc pacto retegetur commodissimè, Troch.  
Apponatur

Deo Belo solitus suus cibus, ac potus. Dein'

Rex templi fores suo sigillo ipse obseret:

Ne cuiquam omnino introcundi sit copia,

Quod nisi cras absumpta fuerint omnia,

Nullum deprecabimur supplicium. *Dan.* Agitedum,  
ratum

**Esto.** Ne crudelissimas

Quidem & ego recusabo pari pœnas, nisi

Quod jam dixi verissimum esse demonstravero.

*Cyr.* Ita herculè fiet. Nunc abite vos: ego

Quæ ad hanc rem porro erunt opus, curavero.

**ACTVS**

## ACTVS IV. SCENA I.

CYRVS, LEONIDAS, DANIEL, MYDA:

*Iambici.*

**L**eonida, fac diligenter apponantur omnia,  
Et ne quid desit cura sedulo. *Leo.* Effectum dabo  
Rex invictissime. *Cyr.* Tum vinum effice ut proma-  
tur optimum.

*Leo.* Fiet. *Cyr.* Eho, quo nunc animo es Daniel? non-  
dum

Vereris, ne tibi hæc res cadat infeliciter?

*Da.* Nihi! omnino Domine: Quin mens mihi, nescio

Quid, prælagit boni. *Cyr.* Miror me herculè:

Nèque quid dicam, aut quid conjectem scio. *Leo.*

Apposita

Nunc mi Domine, ut vides, sunt omnia. *Cyr.* Bene  
factum Leonida:

Exeamus jam. Ego fores meo sigillo

Obsignabo. *Da.* Hem Myda, cedo cribrum, & cinè-  
rem de quibus

Tibi dicebam modò. *My.* Accipe. *Cyr.* Quam tu rem  
novam

Inceptas Daniel. *Dan.* Hac impostura ego  
Impostores illos fallam ac circumveniam miserè,  
Ut imprudentes ipsi in exitium ruant.

*Cy.* Causam, cur istud facias, non intelligo.

Perge, sino. *Da.* At faxo ut mox intelligas. Nunc si

Placet exeamus Domine. *Cyr.* Probè, ut videtis  
ostium

Est obseratum. Nullis jam fallaciis;

Technis, aut sycophantiis erit locus.

*Dan.* Illæ quidem cras, nisi me fallit animus,

Manifestò deprehendentur: miraberis

Mi Domine, ubi videris. *Cy.* Res indicabit: Hæc

Intro me nunc sequimini. ----

## ACTVS IV. SCENA II.

TORBELLVS, MELCHIAS, ICHTHYBOLVS.

*Ejus.*

*Eiusdem generis versus.*

----- Hem Melchia, jamne

Abijt Rex? *Mel.* Abijt Torbelle, ostio templiAccuratè obserato, Eho, viden'. *Tor.* Video, atque gaudeo.Quin prodis Ichthybole? *Ich.* Nihil hercle in me est moræ,*Tor.* Viden' consignatas fores? *Ich.* Benè habet potè commodè.

De cibo potuque apponendò, succurrebat mihi

*Mel.* Vah, callidum consilium, Manifestò tenetur sacrilegus. Troch.*Tor.* jam omni nos tandem exolvens metu, in cruceEo abreptò scelerato. *Ich.* Na ille lamentabitur,

Vbi eras omnia absumptra esse viderit.

Sed occidit sol, appetitque vespera.

Nunc intro eamus: &amp; per occultum istud ostium,

Vti consuevimus, templum ingrediamur, &amp;

Totam hanc noctem, unà cum uxoribus &amp; liberis,

Sumamus hilarem: tuta enim hic nobis sunt omnia.

## ACTVS IV. SCENA III.

ICHTHYBOLVS, TORBELLVS, MELCHIAS,

cum reliquis Sacerdotibus.

*Eiusdem generis versus.***A** Deste symmista, cœnam opiperam, atque splendidam

Paratam hic nobis esse videtis. Accumbamus, &amp;

Genio jam indulgeamus affatim. *Tor.* Nihil

Est æquè quod faciam lubens: nam jam dudum animus est

Mihi in patinis. *Mel.* Ego quoque vellupo esurientiorSum. *Ich.* Accumbe igitur. Hic in promptu est, famelicum

Quo ventrem exsatures: Eho, quid cunctamini?

*Paras* semper obfuit dilatio.

F

*Torb.*Sacerdotes  
ingressi, per  
occultum  
templi  
ostium, statim  
rursus  
prodeunt.

*Torb.* Verè istud à te dictum est Ichthybole. *Ichth.*  
Nunc quisque arripiat, quod  
Palato maximè sapit. Ego hunc armum ovillum  
Distribuendum sumam mihi : ut habeant quod co-  
medant

*Troch.* Mulierculæ *Mel.* Pol optimè facis, laudo:  
Atque hac ipsumanti patera referam gratiam:  
*Ich.* Næ tu homo es, ficcus, atque lepidus Melchia.  
*Sed* ebibe *Tor.* Attingite quæcunque sunt appositæ:  
Nam

*Troch.* *Apud* mensam verecundari non decet,  
Et hæc nobis constat minimo : cum gratis ea Dei  
Beli benignitas nobis suppeditet quotidie.  
*Mel.* Ichthybole hunc tibi præbibo cyathum. *Ich.* sit  
tibi

Saluti Melchia. *Torb.* Agedum uxor, matronæque  
Præbete vos hilares. *Ich.* Torbelle, quò pactor tibi  
hoc

Villi sapit? *Torb.* Nunquam in vita bibi meracius  
*Mel.* Admove te manum patinis. Hem quid cessatis?  
Omnia

Nobis sunt absumenda. Quisque se virum.  
Præbeat. *Tor.* Ego meo munere fungor sedulo. *Mel.*  
Nec me

Edacior, aut bibacior est quisquam. *Ich.* Eia, sic  
decer.

Sed pueris ne quid desit curandum est. *Tor.* Nam ego  
mihi

Deligo provinciam. Hem capite. *Mel.* Celebran-  
dus est

Summus noster Belus præconijs, nobis  
Qui hæc largitur siue sumibus nostris. Hem Bele,  
Deus omnium

Deorum maximè hunc tibi craterem præbibo,  
Plenis exhauriendum faucibus. Euge, annuere pol  
Capite videbatur. Torum ebibam, te Ichthybole  
Deposco, qui pro Belo respondeas mihi.

*Troch. 3.* *Ich.* Faciam sedulo, & libenter herculè

*Tor.*

*Tor.* Agitedum fratres, hanc noctem in gaudio.

*Ac* lætitiâ degamus. *Mel.* Hæm accipe : & vide

*Ichthybole*, ut respondeas, idque unico

*Hauſtu.* *Ich.* Nil detrecto : fauces enim ariditate cre-  
pant mihi :

*Et* quo plus bibo , eo ſitio magis. *Mel.* Hæ , hæ , hæ ,  
aquilæ

*Hæ* eſt ſenectus. Hæm *Torbelle*, exporrigè

*Frontem* : videre mihi triſtior. Omnem metum,

Omnemque ex animo eiſce ægritudinem.

*Troch.*

*Cras* illum ad cruciarum abripi videbimus,

*Qui* inſidiatus nobis eſt hæctenus. *Tor.* Pœnas

*Se* dignas patietur ſcelus.

*Ich.* Oh, quam gratum atque jucundum ſpectaculum

*Præ*bebit nobis. *Mel.* Merito herculè illi accidet,

*Qui* ab impietate ſua nullus ſe paſſus eſt rationibus

*Ab*duci. *Ich.* Fratres nunc abunde exaturati ſumus.

*Surg*amus. *Tor.* Vbi voles, placet. *Ich.* Hæm mulier-  
culæ.

*Auferte*, quæ ſuperſunt omnia : nihilque relinquitè,

*Præ*ter inanes patinas. *Mel.* Præcedè *Ichthybole*.

*Nos* te ſequemur. At ar, quid hoc ? pedes ſuo

*Vix* funguntur munere , jam tempus eſt, ut ad ſoma-  
num

*Me* componam, atque hæc edormiſſicam crapulam.

*Tor.* Me quoque vinum vicit planiſſimè. At mox cum

*Accubabam*, quam mihi pulchrè videbar ſobrius.

*Troch.*

*Ich.* Ohe, dormitum eamus nunc omnes. *Mel.* Rectè  
mones.

#### ACTVS IV. SCENA IV.

#### DANIEL.

*Eiusdem rationis verbus.*

**N**ON me clam eſt, quam duram hæc ſuſceperim *Troch.*  
*Provinciam*, Verum mea ſic eſt ratio, & ſic

*Animum* induco meum, prius meam me

*Amiſſurum* vitam, quam non perfecero,

*Quod* me facturum recepi: Nil impoſtorum minas, *Troch.*  
F 2 Moli.

Molitorumque impias moror: nihil mortis  
Cruciatum, quem intendant mihi. Si moriendum est,  
*Pro vera religione, proque Dei nostri*

Troch.

Nomine mori mihi quavis vita futurum est dulcius.  
*Dumne ob inalefacta perco parvi æstimo.*  
Sed hoc quamquam planè persuasum habeo, & ani-  
mus mihi

Confirmatus est satis: tamen

Humani nihil à me alienum esse sentio;

Qui totam hanc noctem insomnem dæxi: etsi nullo  
ex metu hæc mihi

Oritur animi commotio: neque ex periculo,

A quo me divina, uti confido liberabit

Clementia. Quidigitur cum mecum cogito,

Quæ crastinò die impostorum istorum sic futura

Lamentatio: quando miseris se videbunt

Troch.

Circumventos modis: quæ regis indignatio:

Quæ uxorum, liberorumque ejulatio:

Troch.

Quæ bonorum gratulatio, quique plausus:

Tum quæ rerum sit exortitua commutatio:

Hæc inquam, aliaque similia in animo considerans,

Troch. 3.

Ac perpendens, non est mirum profecto, si

Somnum hæc nocte oculis non viderim meis. Nunc

In suis epulis, & commensationibus credo eos

Esse totos: Atque adeo, ut jam noctis tempus est,

Cibo, potuque appletos, obrutosque altum

Stertere, impendentis securos periculi,

Troch. 2.

Dormiant: ego illos, ut merentur, excitabo.

Sacrilegos. Nam mihi Deum adiutorem confido fore:

Qui per me suum famulum execrabiles

Troch.

Cacodæmonum regi, omnique populo revelabit

Artus, fallacias, & syrophantias.

Quibus illi simplices homines ac credulos

Miserè se felleiunt, atque illuserunt hætenus:

Præterea cunctis majestatem, numenque ostendet suum,

Quæ ut ita nunc eveniant, oro atque obsecro mi  
Dens,

Si tua potestas evadet celeberrima,

Si his impijs per me relectis fraudibus,  
 Abominabile istud idolum evertatur turpiter.  
 Age, age, tenerem successuram mens auguratur  
 Mihi, ita nunc gestit gaudio. Ibo intro, & simulac di-  
 luxerit.

Ad regem ibo, ut nihil in me esse moræ intelligat.

ACTVS V. SCENA I.

CYRVS, DANIEL.

*Iambici.*

**Q**uid, itane ad clarum dormivi diem? Quan-  
 quam

Majorem noctis partem degi insomnem: adeo  
 Sum sollicitus, in quam tandem hæc res sit evasura  
 Catastrophæ: adeoque metuo, ne Danieli  
 Infelicitè hæc cedat confidentia.

Qui si falsò sacerdotes accusasse  
 Deprehendatur, nulla causa est, quin diris cruciati-  
 bus

Afflictus, miserè pereat protinus. Quod idem quoq;  
 Sacerdotibus eveniet, si fucum nobis ab illis  
 Factum esse constiterit: At non iam Danieli  
 Timeo malè: cui ex animo cupio optimè. Neque id  
 hercule

Mum, cum illius opera, ac consilio hætenus  
 Vfus sim felicissimè, cumque ipso auctore nihil  
 Unquam sim aggressus, quod nõ prosperè successerit  
 At ecçum eum exeuntem. Quam quietus, ac  
 Tranquillus sit vide. *Dan* Regem loquentem  
 Audire hoc videor mihi. Diem felicem & prosperum  
 Tibi opto Rex invictissime, *Cyr*. Habeo gratiam  
 Mi Daniel, idemque tibi reprecor. Sed ne id precer  
 Tibi frustra, nimis herculè metuo. Quod si  
 Nunc etiam à pertinaci, atque isthoc proposito ada-  
 mantino,

Recesseris, & culpam confessus, Belum mecum  
 adoraveris,

Non solum hæc, quæ ingenti rei publicæ tumultu.

F 3

Mag-



Molitionesque impias moror: nihil mortis  
Cruciatum, quem intentant mihi. Si moriendum est,  
*Pro verâ religione, proque Dei nostri*

**Troch.** Nomine mori mihi quavis vita futurum est dulcius.  
*Numne ob inalefacta pecco parvi æstimo.*

Sed hoc quanquam planè persuasum habeo, & ani-  
mus mihi

Confirmatus est satis: tamen

Hæmavi nihil à me alienum esse sentio,

Qui totam hæc noctem insomnem duxi: etsi nullo  
ex metu hæc mihi

Oritur animi commotio: neque ex periculo,

A quo me divina, uti confido liberabit

Clementia. Quidigitur cum mecum cogito,

Quæ crastino die impostorum istorum sit futura

Lamentatio: quando miseris se videbunt

**Troch.** Circumventos modis: quæ regis indignatio:

Quæ uxorum, liberbrumque ejulatio:

**Troch.** Quæ bonorum gratulatio, quique plausus:

Tum quæ rerum sit exortitura commutatio:

Hæc inquam, aliaque similia in animo considerans,

**Troch. 3.** Ac perpendens, non est mirum profecto, si

Somnum hæc nocte oculis non viderim meis. Nunc

In suis epulis, & commensationibus credo eos

Esse totos: Atque adeo, ut jam noctis tempus est,

Cibo, potuque appletos, obrutosque altum

Stertere, impendentis securos periculi,

**Troch. 2.** Dormiant: ego illos, ut merentur, excitabo

Sacrilegos. Nam mihi Deum adiutorem confido fore:

Qui per me suum famulum execrabilis

**Troch.** Cæcodæmonum regi, omni que populo revelabit

Artus, fallacias, & tyrophantias.

Quibus illi simplices homines ac credulos

Miserè fefellerunt, atque illuserunt hæcenus:

Præterea cunctis majestatem, numenque ostendet suum,

Quæ ut ita nunc eveniant, oro atque obtestor mi  
Deus,

Si tua potestas evadet celeberrima,

Si his impijs per me reiectis fraudibus,  
 Abominabile istud idolum evertatur turpiter.  
 Age, age, bene rem successuram mens auguratur  
 Mihi, ita nunc gellit gaudio. Ibo intro, & simulac di-  
 luxerit.

Ad regem ibo, ut nihil in me esse moræ intelligat.

ACTVS V. SCENA I.

CYRVS, DANIEL.

*Iambici.*

**Q**uid, itane ad clarum dormivi diem? Quan-  
 quam

Majorem noctis partem degi in somnæ: adeo  
 Sum sollicitus, in quam tandem hæc res sit evasura  
 Catastrophæ: adeoque metuo, ne Danieli  
 Infelicitè hæc cedat confidentia.

Qui si falsò sacerdos accusasse  
 Deprehendatur, nulla causa est, quin diris cruciati-  
 bus

Afflictus, miserè pereat protinus. Quod idem quoq;  
 Sacerdotibus eveniet, si fucum nobis ab illis  
 Factum esse constiterit: At nūc ium Danieli  
 Timeo malè: cui ex animo cupio optimè. Neque id  
 hercule

Mum, cum illius opera, ac consilio hætenus  
 Vtus sim felicissimè, cumque ipso auctore nihil  
 Vnquam sim aggressus, quod nō prosperè successerit  
 At ecce cum exeuntem. Quam quietus, ac  
 Tranquillus sit vide. *Dan* Regem loquentem  
 Audire hoc videor mihi. Diem felicem & prosperum  
 Tibi opto Rex invictissime, *Cyr*. Habeo gratiam  
 Mi Daniel, idemque tibi reprecor. Sed ne id precer  
 Tibi frustra, nimis herculè metuo. Quod si  
 Nunc etiam à pertinaci, atque isthoc proposito ada-  
 mantino,

Recesseris, & culpam confessus, Belum mecum  
 adoraveris,

Non solum hæc, quæ ingenti rei publicæ tumultu.

F 3

Mag-

Troch.

Magnoque meo dolore hactenus es molitus, tibi  
 Ignoscam, verum etiam ad dignitatem maximam,  
 Amplissimosque honores præ omnibus reliquis  
 Meis te proceribus efferam.  
 Nihil optabis, quin optatum feres. *Dan.* Absit  
 Mi domine, ut vana, et arque brevi rerum terrenarum  
 gloria,

A vero me abduci patiar. Quanquam tuorum  
 Erga me beneficiorum tanta est copia, ut nihil  
 Addi queat. Sed ad templum nunc, si videtur,  
 Eamus. Ibi impostorum istorum tibi retegam falla-  
 cias.

*Cyr.* Mirabor, si tu isthuc nobis effeceris.  
 Præcedamus nos Daniel, vos sequimini ni.

## ACTVS V. SCENA II.

ICHTHYBOLVS, MELCHIAS,  
 TORBELLVS.

*Eiusdem rationis versus.*

**E**Ho diluxit. Cesso pultare ostium  
 Melchiæ? At ipse opportunè exit foras. Hem  
 Melchia.

*Mel.* Quisnam est qui me? Tun' hic eras Ichthybole  
 Quid, hic tam mane, qui noctu tantum biberas? *Ich*  
 Neque

Quiescendi, neque dormiendi mihi fuit  
 Copia: ita nobis à sceleratis Danielis machinis  
 Cavere nos tempus monet.

Sed eccum Torbellum. Torbelle, quid nobis  
 Adfers? *Torb.* Egon? Nihil me herculè, nisi caput  
 Nocturna gravatum crapula. Nunquam pol, quod-  
 sciam,

Troch.

Cœnavi delicatius, nunquam prolixius,  
 Non vinum, per Iovem, mihi videbatur,

Troch. 2.

Sed nectar merum. *Ich.* Valcant ista. Aliud hocce  
 Tempus postulat. Iam, ut opinor, aderit rex,

*To.* Adsit ubi volet: *In portum nos navigamus incolu-*  
 mes.

Mel.

*Mel.* Ira spero. *Tor.* Speras Melchias? Vah, certa res  
Est. *In Danielem* eudetur faba. Ecce regis  
Sigillum illa sum, atque integrum.

*Troch.*

*Mel.* Video. *Tor.* Ad hoc contumpra intus deprehen-  
duntur omnia

Sed ecum regem accedentem. *Ich* Cedamus illi  
paululum:

Arque templo abeamus longius Mox huc reversi,  
Exoptatum nobis conspiciemus spectaculum. *Mel.* *Troch.*  
Fiat.

ACTVS V. SCENA III.

CYRVS, DANIEL. LEONIDAS, IC HTHY-  
BOLVS, cum reliquis Sacerdotibus.

*Eiusdem generis versus.*

**A**D templum venimus, cera inviolata, & integra  
Est. Vx tibi Daniel. *Dan* Nihil  
Metuo quicquam domine: Confringe sigillum,  
Atque ostium aperiri jube. *Cyr* Hem, factum est. In-  
grediamur. *Dan.* Sequor.

*Cyr.* Pol magnus es Bele, neque quicquam in te est  
doli.

Heus, Heus, ades dum Daniel. Viden' hic nihil  
Ex epulis hesternis relictum? O te nunc terrimum!  
*Dan.* Non ego miseri Domine, sed faxo ut hos miseros  
Esse fateare, qui suis technis & fraudibus.

Tibios subleverunt haecenus. *Cyr.* O ingentem ho-  
minis improbi

Audaciam! *Dan.* Ne vociferare mi Domine.

Quin potius, quae nam haec sint pedum vestigia  
Quae passim conspicias tecum perpende sedulo. *Hem*  
Mane sodes, nec quoquam longius progredere. *Cyr.* Pro  
Deum immortalium fidem!

Quorum tu haec esse arbitraris vestigia.

*Dan.* Sacerdotum procul dubio, eorumque uxorum,  
Et liberorum, *Cyr.* Siccine suspicare Daniel?

Non suspicio haec est mi Domine: indubitata res  
Est, ac certissima, *Cyr.* Videris mihi verisimile

Dicere. Vah, mihi sic verba esse data dispudet.

Eho, trahite huc ad me impostores istos impios.

Hem, quid cessatis? *Leo.* Effectum dabimus rex invictissime.

*Cyr.* Digni sunt, qui indignis pereant modis. *Leo.* Vah, hiccine

Statís sacrilegi? *Ich.* O nos miseros! *Leo.* Comprehendemus mastigias.

*Ich.* Ah, quid peccavimus obsecro? *Leo.* Iam id quidem factum est

Palam. *Ich.* Quid cedo sodes *Leo.* Procedite: in templo Vos opperitur rex, ibi scietis. Quid tergiversantur

Sceleſti, pugnum iis in os nisi sequunturingere.

Adducimus tibi rex, quos voluisti. *Cyr.* Bene

Fecistis. O impostores! O homines, omnium

Qui vivunt, sceleratissimos!

*Ich.* Hæccine sunt regis verba? *Cyr.* An mutire etiam nunc audes scelus?

*Ich.* O miseriam! *Cy.* Siccine nos dignos arbitratistis

Quos ludificandos vobis proponeretis?

Tamque sceleratis circumveniretis dolis?

*Troch.* *Ich.* Quid deliquimus obsecro? *Cyr.* Rogas, quid deliqueris impudens?

Res manifesta est. Unde hæc vestigia? *Ich.* Quæ vestigia? *Cy.* Ah,

Nondum vides homo impudentissime? vestigia hæc

Vestrorum sunt pedum, uxorum atque liberorum

Etiam: quod satis ipsa arguit diversitas,

Quod nisi statim rem, uti se habet, expedieritis mihi,

Vos omnes una cum uxoribus, & liberis

Discrucianos tradam tortoribus. *Ich.* Eheu nos miserrimos!

*Cyr.* Vah, dicite inquam, idque ocys, unde hæc sint vestigia.

Eho, cunctamini? Rapite eos hinc ad carnifices,

Ut tormentis verum exprimant. *Ich.* Mi domine nã

ſævi

Sodes

Sodes tantopere. Omnem rem indicabimus. *Cyr.* Lo- Troch. 2.  
quere.

Igitur. Quid cessas? *Ich.* Sub mensa occultum est o-  
stium,

Per quod & ingressus templum, & regressus  
Nobis semper patuit. *Cyr.* O nunquam auditā auda. Troch. 2.  
ciam!

Visamus Daniel. Pro summe Jupiter!

Siccine Belus quotidie multis indiget?

Vix mihi tempero, quin in capillum vobis involem

Impostoribus. *Ich.* Eheu, clementiam tuam

Imploramus Rex mansuetissime. *Cyr.* Auferte mihi  
preces, quibus

Efficietis nihil, Vinc̄tos omnes abripite hinc, & ster-  
nite,

Proculcate, ac trucidate illos protinus,

Quin etiam intereat, quisquis vos audet remorariet:

*Ich.* Misereat te nostri rex clementissime,

*Cyr.* Vah, nullus jam clementiæ est locus. Abripite

Inquam illos ex oculis meis continuo: & ut

Dixi, sine ulla interimite mora. *Ich.* Heu nos infelici-  
simos!

*Cyr.* De uxoribus vestris, & liberis, mihi

Quid sit statuendum, mox videro. Hem abripite  
tergiverfantes.

Et fustes, nisi sequuntur, impingite. *Da.* Quid nunc  
tibi

Videtur Domine? *Cyr.* Daniel,

Te magni precii hominem esse, merito semper arbi-  
tratus sum;

Et posthac à me multo pluris æstimaberis.

Quem ego quidem quovis honore dignum judico, Troch. 2.

Nunc tibi Belum hunc in manus do, abutere

Eo, uti voles. Tum templum illius, si videtur,

Everdito. *Da.* Gratiam tibi mi domine habeo maxi-  
mam,

*Cyr.* Eamus hinc: pudet enim me, pigetq; in hoc

Execrando loco diutius morarier.

PHORMIO, SYRVS, ICHTHYBOLVS, MEL-  
CHIAS, TORBELLVS.

*Ejusdem generis versus.*

**R** Vrsusne restitatis ignavi? *Syr.* Colaphos, nisi  
Se moverint, impingamus nequissimis.

*Ich.* O nos miserimos! *Phor.* Supplicium vestris sce-  
leribus

Dignum luerit. *Mel.* Vx. vx nobis infelicibus!  
Convincimur veris, & me mei pudet. *Syr.* Satis  
Jam querelarum est, satisque cessatum Peruenimus  
Ad locum, ubi aut lapidibus obruendi, aut alijs  
Quibuslibet modis trucidandi sunt perfidi.

*Troch.*

*Tor.* O miseriam! *Pho.* Nunc aut saxa in eos conjicia-  
mus, aut

Transfigamus nequissimos *Sy.* Agitedum, strenuos  
Viros nos præbeamus. *Ich.* Heu me miserum! Dis-  
feror

Doloribus. *Mel.* Itane mori miserum est? *Torb.* Matu-  
rate fodes,

Et subita morte perimite nos infelices. *Ph.* In hoc  
Equidem versamur sedulo

*Syr.* Collapsi in terram, extremum jam exhalarunt spi-  
ritum.

*Pho.* Trahamus intro cadavera, ut sub vesperum  
Sepeliantur alicubi. *Syr.* Placet. *Phor.* Nunc intro ea-  
mus, &

Hilarem hunc snamamus diem. *Syr.* Nil pol fecero lu-  
bentius.

ACTVS V. SCENA V.

BLEPHARO, MESSENIO, DANIEL.

*Ejusdem generis versus.*

**M** Iror quid sit, quod nos ad se vocari iussit Daniel  
Tum, ut vectes, atque securas adferremus. *Mes.*  
Neque eo quid

Causæ sit scio: nisi quod sacerdotes Beliaudio

*Mor.*

Morris hodie esse afflictos supplicio. *Bl.* Sic est:  
 Atque ideo forte in templo nobis demoliendum erit  
 Aliquid: Nam eo uti veniremus, per servulum suum  
 Mandavit nobis. Quare properemus, ne nostra cum  
 Offendamus mora. *Dan.* Nescio quid remoretur fa-  
 bros,

Troch.

Quos huc ad me jam dudum jussi accerher.

Sed procul huc illos adventare conspicio,  
 Securibus, atq; vestibus probè armatos.

*Mes.* Hem Blepharo. Danielelem video stantem ante  
 ostium

Templi, nostrum adventum opperitur, ut arbitror.

*Bl.* Adeamus ad eum, atque appellemus comiter.

*Mes.* Salve vir honorande. *Da.* Salvete viri. Bene

Fecistis, quod maturius adestis. Sequimini me

In templum: ibi est, in quo vestra mihi opera erit

Opus. *Bl.* Neque hic, neque alibi usquam in nobis e-  
 rit mora.

Troch.

*Mes.* Impera, ac factum puta. *Dan.* Benigne dicitis.

Hoc Beli Simulachrum prosternite, atq; humi

Projectum cominuite, ac conculcate protinus.

*Bl.* Hui Deum Belum nobis uti volemus, præcipis;

Prohibeant hoc superi. *Mes.* Ego herclè eo scelere  
 meas

Non ausim polluere manus. *Da.* Nihî periculi est.

Non ille Deus est, sed inanima, & vihis statua, minimo

Sternaenda negotio. Agite sodes, experimini, &

Veſtes, cuneos, atq; secures illi admoveite fortiter.

*Mes.* Tantum profectò, tamq; nefandum committere

Non ausim facinus. Tu si me fortè audacior es Ble-  
 pharo,

Ehodium, admove manus. *Bl.* Absit Messenio.

*Dan.* Vah, quid statis meticulosi. Nihil hinc vobis  
 mali

Eveniet, ad me recipio. Quin templum quoq; hoc

Totum evertendum erit vobis. Agite, nulla

Vos remoretur cunctatio.

*Mes.* Hem, vis quidem hæc est. Quid? cogis nos?

*Dan.*



*Dan.* Cogo atque impero.

*Bl.* Faciamus herculè sedulò, sed hac quidem

*Troch. 2.* Conditione, ut si quid fortè hinc evenerit  
Infelicius, tu accusandus sis solus, utpote  
Qui nos invitos huc impuleris. *Dan.* Ratum  
Esto, manus tantum admolimini. *Mess.* Æreus  
Hic est Deus profecto, & intus plane luteus. *Bl.* Ju-  
piter

Supreme! quam ego novam rem video? Dij vos per-  
dant sacrilegos,

*Troch. 2.* Qui credulos nos vestris fucis, ac fallacijs  
Decepisti, hæc epus. *Da.* Jam dudum illi digni suis  
Scelestis perpeffi sunt supplicium. Vos perigite  
Et in pium monstrum prosternite, atq; humi  
Præcipitate strenui. Tuerete

*Troch.* Nunc Bele, si quid divinæ in te habes potentiae.  
*Mess.* Ha, ha hæc, præceps in terram corruit miser,  
Næ ille

Ficulus planè, atq; imbellis Deus est. *Bl.* O postul-  
tissimos,

Qui truncum hunc pro Deo nobis adorandum, ac  
Colendum censuimus. *Dan.* Nunc templum aggredi-  
minialacriter.

Totumq; everrite, atq; solo æquate. Quod ubi  
Fuerit effectum, mercedem vestris laboribus  
Dignam faxo ut habeatis protinus. *Mess.* Faciemus  
herculè

*Troch. 2.* Sedulò. *Dan.* Næ res mihi cessit feliciter.  
Sed absit ut in hac re mihi quicquam arrogem,  
Quin divino potius est ascribendum numini,  
Quodcunque hic est gestum. *Humanum nihil* potest  
Ingenium, nihilq; nostra valet industria.  
Sed intro eo, & fabros dum veniant operiar domi.  
*Mess.* Nunc diruta, eversaque sunt omnia. *Be*pharo

*Troch.* Nil jam restat, nisi ut pretium  
Nobis debitum petamus, in quo Daniele  
Promptum, paratum, atq; benignum fore arbitror.

*Bl.* Eamus ad illum & accepta pecunia, diem

Hunc

Hunc læti, atque hilares transigamus. *Mess. Hem*  
placet.

## PERORATIO.

*Iambici.*

**H**ic desistemus spectatores optimi :  
Nam plura his auctor adjicienda, non putat.  
Cum historia ad perfectum sit deducta exitum.  
Quæ autem sequuntur ibidem in sacris Bibljs,  
Nimirum quo pacto dracone occiso Daniel  
Objectus sit leonibus & divino numine  
Servatus integer, salvusque evaserit :  
Hæc noster addenda sibi non putavit, utpote ab  
Hoc argumento alienas; & ex quibus alia confici  
Posset actio. Neq; hæc eo arbitrabitur  
Nunc quicquam dicta, quod poetam istum alterum,  
Qui ea conjunxit, reprehendendum putemus: At  
Ob id solum, ne quis, ut imperfectam, atq; mutilam  
Hanc nostram rejiciendam censeat conædiam,  
Nunc superest ut vobis agamus gratias,  
Quorum silentio, ac modestia, noster  
Hic ludus scenicus stetit feliciter.  
Quæ sanè res auctori ad alias fabulas  
Scribendas, nobis vero ad agendas maximum  
Nunc addit calcar. Neq; necesse esse arbitror,  
Ut huius sacræ historię vobis mysticum  
Hic explicem sensum: cum is cunctis sit notissimus,  
Nimirum hominem probum, atque pium etiam inter  
impios  
Incolumem, ac tutum fore semper. Deo in omnibus  
Rebus auxiliante. Hinc itaq; solatium  
Petemus, si fortè in homines inciderimus  
Malos: irati a nullo nos posse lædi. modo Deum  
Habeamus adiutorem, ac propitium. Nunc si  
Quod actum est, vobis non displicuit, plaudite.

# TERENTII CHRISTIANI TRIUMPHVS CHRISTI.

*Aetorum nomina.*

THRASO,	} sepulchri custodes.	IESVS.	} Iudzorum, Principes.
SANGA,		CAIPHAS	
DONAX,		ANNAS,	} Apostoli.
SIMALIO,		PETRVS,	
MAGDALENE,		IOANNES,	
MARIA,		THOMAS,	} Discipuli.
SALOME,		CLEOPHAS,	
ANGELUS.		LVCAS,	

## PROLOGVS.

*Iambici.*

**S**ALUTE vos, huc quotquot accessistis, plurima  
Puerorum impertit grex, auctorque ludi scenici  
Quem hic vobis sumus exhibituri novum, pium,  
Ac sacrum ex sacro Evangeliorum sumptum co-  
dice

Sed antequam, hic quis sit futurus, proferam,  
Paucis mihi vobiscum agendum esse arbitror,  
Poetis veteribus, qui in arte comica  
Sibi elaborandum putaverunt, id maxime  
Fuit curæ, populo, ut placerent, quas fecissent fabulas  
Itaq; jocis, salibus, facetiis, atque  
Diceriis, quamvis lascivioribus, sæpe, ac parum  
Verecundis, quæ sitis, & captatis undique  
Popularem conabantur aucupari gratiam.  
Quod ut facerent, ipsa illos compellebat res: nisi

**Explo-**

Exploſi. quam ſtare ſuas maluiſſent fabulas.  
 Quod, præter alios. Comicorum principi  
 Terentio haud ſemel uſu veniſſe legimus.  
 Nunc noſtra ætas aliam vitam, alios mores poſtulat.  
 Neque enim quæ tantū delectent, aut quæ voluptatis  
 Illecebris in animos auditorum influant:  
 Sed potius quæ doceant, quæq; ſalubribus  
 Monitis, ac præceptis vos meliores reddant, ſibi  
 Poetæ ævi noſtri in mediū adferenda exiſtimant.  
 Inter quos Schonæus noſter diſcalculus,  
 Nomen non dubitat profiteri ſuum: quod hætenus  
 Talia ſcripſit, palamq; ſpectanda edidit,  
 Ut qui inter vos animo ſint benevolo, atq; candido,  
 Illius haud facile poſſint, aut debeant  
 Culpæ operam aut induſtriam improbare. Feliciſſi-  
 mus

Ille proſectus eſſet, ſi omnibus placeret: ſed  
 Id quia nulli unquam contigit mortalium,  
 Quod proximum eſt bonis nimirum cum placet,  
 Abundè ſufficere hoc ſibi debere arbitratur: nec  
 Quicquam omnino ſperandum, aut optandum am-  
 plius.

Sed vereor ne prolixiore oratione vos  
 Offendam: atq; ideo deſino. Nunc comædiæ  
 Hujus quam ſumus acturi, audite periocham.

*Comædia Periocha.*

**R**evivificat Chriſtus. Judæos corripit  
 Metus. Mox convocato concilio, ei male  
 Remedium quaerunt, inductis pecunia  
 Cuſtodibus ſepulchri, ut corpus clanculum  
 Ab eius diſcipulis ablatum dicerent  
 Chriſtus variis locis ſuis ſeſe exhibet  
 Conſpiciendum. Latantur omnes affatim.  
 Solus Thomas, illum qui nondum viſerat,  
 Diffidit. Cui Chriſtus, ſe oſtendens denuo,  
 Animum confirmat, magnoq; implet gaudio.

*ACT.*

**D** Eum immortalem! quidnam hoc monstri, aut  
prodigii

Est? serva me miserum, perii, interii planissime.

*San.* O populares, date viam qua fugere liceat.

Removete quicquid me posset remotarier.

Sed neque quo fugiam, neque ubi me abscondam,  
neque

Dedecus hoc quomodo celem, scio infelix: ita

Tremo, ita paveo, adeoque me pudet mei.

*Don.* Nullus sum torus occidi miser, genua mihi

**Troch.**

Horrore succidunt, vox deficit, lingua

Hæret faucibus. Vah, ne salus quidem

Nobis salutem adferre, si cupiat, potest.

*Sim.* Eho, quid hæc sibi res vult obsecro? hunc cine

De improvise mihi objici metum tantum;

Vt neque quo pacto evadam, aut ubi lateam, certum  
siet;

**Troch.**

Membra tremore debilia sunt, mens formidine

Planè obstupuit mihi. Næ nos missi sumus

Huc auspicio malo, Eho Thraso, quo fugis?

Siccine me solum deseris? *Thr.* Ego pol neque

**Troch.**

Quo fugiam, nec quo me recipiam scio:

Ita nunc penitus oblitus sum mei Simalio.

*San.* Pro summe Deus! unde hic tam subito mihi ob-  
oritur timor:

Cum non aliud me soleat esse confidentior;

Ah, quid sibi vult hic tremor; quid isthuc est mali;

Nequeo satis mirari, neque conicere, nisi

Me saga quæpiam suis

**Troch.**

Excantant præstigiis. Ah, nescio unde nunc

Vel auxilii vel per fugij mihi parem copiam.

**Troch. 2.**

Hem, quo pacto se res habent. Thraso; Bene est,

Salvum te esse gaudeo. *Thr.* Non diu erimus Sanga-

Nisi nos hinc statim subducamus. *Sim.* Fugiamus

Dum

**D**um possumus, dumq; incolumes sumus: nam mens  
Nescio quid mihi profecto præsit mali.

*Dom.* Non pot' temerè est, nostri quod sic obstupuerint Tröch. 30

Animi: & nescio quis fulgor è sepulchro effulgeat,

Quem oculi non ferunt mei, atq; ideo in pedes

Me quantum queo. *Sim.* Eho Donax, siccine

Nos hic relinquis solos? Ehem quid stamus?

Cur non & nobis prospicimus in tempore?

*Tb.* Agite dum, quisq; sibi consular, ego neminem

Moror. Tempus enim hoc præcavere me mihi, non  
aliis fuit.

Vos omnes obrestor, fugam

Nostram qui fortè conspexeritis, si quis nos

Consecetur, ne monstretis, qua aufugerimus via.

ACTVS I. SCENA II.

MAGDALENE, MARIA, SALOME, ANGELVS.

*Eiusdem generis versus.*

**E**ho sorores, diluxit, uti conspiciamini.

Eamus, nullaq; remoretur hostunctatio: ut

Christi, magistri nostri corpus supremo

Decoremus munere: *Mar.* Rectè atque pie: ingratis  
enim

Esemus, atque ab omni humanitate alienæ, si nec  
nos

Tardas aut hegligentes præbeamus. *Sal.* Est

Vti dicis soror: neque

Quicquam est, quod æquè fecero lubens. *Mag.* Agite

Properemus igitur: nam res non patitur moram.

Sed o nos infelices! quæ tam benevolò,

Tamque benigno, comiq; magistro, atq; Domino

Spoliata sumus. *Abrum demum* nostra intelligimus  
bona

Cum ea, quæ in potestate habuimus ante, amissimus.

Hoc cine memorabile, atq; credibile est? tantam

Perversitatem, invidiamq; innata esse hominibus, ut

Qui maximè ipsis consultum velit, eum oderint

Insecantur. & è vita sublatum oprent maximè!

**O Hierosolyma, Hierosolyma, præ cæteris**

*Tröch.*

**Chris**

Christo longe semper infestissima civitatibus !  
 Quid isthuc, ad con' rem rediisse, ut qui omnia  
 Sibi postputarit esse prae tua salute,  
 Eum tu tam procaciter rejeceris?

**Troch.** Qui vitae tibi fuit auctor, ei uti malefico  
 Vitam ademeris? Eheu, siccine tā benè merito gratias  
 Refers? Si illum tibi in crucem tollendum existimas,

**Troch.** Vitae qui auxilium tulit, quid facias illi qui dedit  
 Damnum aut malum. *Ma.* Mirum quæ illis dementia

Exacerit animum, ut tam crudele facinus,  
 Atq; horrendum scelus perpetrare fuerint

*Ausi. Sal.* Dicam soror, *Maia mens*, malus animus.  
*Mag.* Rectè, atq; verè tu quidem isthuc: pertinax  
 Enim illorum procul dubio id effecit nequitia.

Ac vehemens gloriæ, atq; honorum cupiditas.  
*Nam ubi animus*, pravae ambitioni se semel

Obstrinxit, consilia necesse est consequi  
 Consimilia, Sed inultum, sat scio, istud auferens

Nunquam: brevi futurum tempus auguror,  
 Suam cum frustra deplorabunt contumaciam:

**Troch.** Nolo in eos quicquam gravius ominari:  
 Ipsi posterius sentient, Sed non procul  
 A sepulchro absumus, ut videris. *Mar.* Sic est  
 At nescio quo pacto animus mihi magno inhorrescat

et tu,

*Sal.* Ego quoq; præ formidine

Vix subsisto misera. *Mag.* Credo, sed quis nobis amo-  
 verit,

**Troch.** Saxum ingens à sepulchro? gravius est enim  
 Quam ut nos queamus amolier. *Mar.* Id onus.

Certè scemineis est impar viribus. *Sal.* Onos miserris  
 mas!

Vtinam hic esset aliquis, qui auxilium nobis ferat

*Mag.* Accedam propius. Deum immortalem! quam  
 novam

Ego rem hic video? *Mar.* Eho, quid vociferare *Mag.*  
 d. lene;

Cedo sodes. *Mag.* Næ nos mulieres omnium

Quæ

Que vivunt felicissimæ sumus. *Sal.* Quid ita;  
 Eloquere amabo. *Mag.* Ecce amotum saxum. *Mar.*

*Troch.*

Deus

Bone? boni quid suspicio? *Mag.* At, at, quis iste, qui  
 E sepulchro elucer, fulgor, & nisi  
 Mihi oculi hallucinantur, video adolescentes duos,  
 Divina specie ac forma resplendentes, atq; fulguris  
 Instar coruscantes. *Sal.* Video & ego, præ metu  
 Membra mihi tremunt miseræ. *Ma.* Abeamus hinc  
 fodes

Sorores, divinum istum splendorem oculi non fe-  
 runt mei.

*Ang.* Non est quod metuatis, aut trepidetis mulieres *Troch.*

Estote bono animo, quem queratis scio. At  
 Hic illum non invenietis; jam dudum enim  
 Vivus è sepulchro surrexit, quem mortuum  
 Vos lugetis. Agitedum fodes, mittite

*Troch.*

Formidinem, tuta, atque salva sunt vobis  
 Omnia. Quod eventurum sapius vester  
 Magister prædixit, nunc contigit, nempe  
 Ita decretum fuisse arcano, atq; insciutabili  
 Patris cœlestis consilio, ut pro culpa, & crimine  
 Hominum moreretur: tertio tamen revicturus die.  
 Quod accidisse ego nunc vobis nuncio.

*Troch.*

Ecce vacuum, atq; inane sepulchrum, accedite  
 Propius, atq; introspicite. *Mar.* Eho, retinete me.

*Sal.* Non possū misera: nam ego quoq; præ formidine  
 Vix pedibus insisto. *Ma.* Ah, quantus me corripuit  
 metus.

*Troch.*

Neque mirum quid enim est unquam visum prodi-  
 giosius?

O Deus! serva nos obsecro.

*Mag.* Eho sorores, animum recipite: nihil hic,  
 Ut auguror, nobis eventurum est mali. At

Quid hoc? quo tam subito adolescentes isti duo  
 Ex nostris evanuerunt oculis? *Mar.* Mirū ni Angeli

Fuerint huc de cœlo demissi. *Sal.* Verum mihi  
 Videris dicere soror: nam divina in eis,



Non humana relucebat formæ gratia.

Mag. Sic est profecto. Nunc in urbem protinus  
Recurramus, uti ea, quæ hic vidimus, nostris  
Commemoemus: animumq; illis expleamus

Troch.

Gaudio. *Mar.* Placet. *Sal.* Næ nos lætum adferemur  
nuncium.

ACTVS I. SCENA III.

CAIPHAS.

*Ejusdem rationis versus.*

Troch. 2.

**V**T nihil quietis est in pectore, propter nunciū  
Istum, quem ad me modò pertrulerunt ex ijs  
Quidam, quos istius impostoris sepulchro  
Servando præfecimus;

Nimirum terróre, ac repentino metu  
Se percussos, turbatosq; monumentum  
Reliquisse omnes. Atq; adeo id existimare  
Certo nunc accidisse, quod de eo fuit

Troch.

Ante prædicatum: nempe ut tertio die  
Revivisceret. Id ne nunc verè contigisse  
Credant multi, periculum puto esse maximum.  
Et ne istud fiat, nobis, quotquot rem curamus publi-  
cam,

Enitendum est sedulo. Itaq; consilium erit  
Inveniendum, quo huic occurramus malo. Nam si id  
Populo semel fuerit persuasum, actum est, perijmus  
funditus.

Quare ne quid tale eveniat, summa est adhibenda  
cautio.

Sacerdorum itaque & scribarum collegium,  
Cætumque omnem jubebo convocari:  
Ut ex eorum decreto, quod ad hanc rem opus erit,  
Primo statuatur tempore -----

ACTVS I. SCENA IV.

MAGDALENE, MARIA, SALOME,  
JESUS.

*Eiusdem generis versus.*

Pro-

----- Properate sodes

Sorores, ego praecebo, vos sequimini.

*Mar.* Agendum, sequemur sedulo.

*Sal.* Hem, Magdalene, quis is est obsecro, quem nobis  
obviam

Venire video? *Mag.* Nescio Salome. *Mar.* Ad nos affe-  
ctat viam.

*Ies.* Salvere foeminae. *Mag.* Salve vir humanissime.

*Ies.* Magdalena, salve. nostin' vocem auditam saepius? *Troch.*

*Mag.* At, at, quid hoc prodigii est? tu magister,  
Profecto tu magister meus es, salvum te esse gaudeo.

*Mar.* Deus bone, prae laetitia, atq; metu quid agam  
nescio.

*Ies.* Estote animo bono. Non spectrum est, quod vi-  
detis, aut

Phantasma. Me, me, inquam, vivum, salvumq; con-  
spiciamini.

Nunc itaq; absq; ulla mora renunciate

Fratribus, quae vidistis: eisq; uti in Galileam

Se conferant meis praecipere verbis, ibi me eos *Troch.*

Visuros; festinate inquam, laetoq; tristes

Exhilarate nuncio, nimirum me revixisse: *Troch.*

Mox ad Patrem, mihi vobiscum communem, ascen-  
surum.

Deponant igitur terrenos affectus, & animum

Ad spiritualia, & coelestia erigant.

*Mag.* Domine Domine, siccine me relinquis miserâ? *Troch.*

Et tecum ut colloquar amplius, negas mihi?

*Sal.* O Magdalene, cohibe te sodes, quid obsecro

Nobis felicius, quando illum, quem extinctum, atq;  
mortuum

Existimabamus, vivum salvumq; ipsae conspeximus.

Quid rem tam prodigiosam nostris impertire fratribus

Cessamus? *Ma.* Non dubium est nunc nobis quin re-  
vixerit:

Cum & Angeli ante istud factum esse dixerint,

Et ipse jam conspiciendum se praeberit nobis.

*Mag.* O insperatum gaudium! Sed vereor ut

Nobis fides habeatur, rem admirabilem,  
Nec unquam alias auditam nunciantibus.

**Troch.**

*Sal.* Meruo id ego quoq; nam mulieribus, facilis  
Illa ad credendum proclivitas, apud viros  
Plerumq; fidem derogat. Nihilominus tamen  
Ego verum id esse arbitror: adeo animus insolito  
Mihi gestit gaudio. *Ma.* Agite pergamus: jam non  
procul

Ab urbe absumus: & verbis non possum eloqui,  
Quam cupida sim hæc nostris narrare, & per totum  
Divulgare oppidum. *Mag.* Neq; ego hoc celabo  
Quenquam: etiam si mortis periculum ex eo  
Sciam oriurum mihi. *Sal.* Euge soror, sic decet.

ACTVS II. SCENA I.

CAIPHAS, ANNAS.

*Iambici.*

**Q**uid nunc agimus Anna: æquum est, si quidem illi  
verum prædicant.

*An.* Ego neq; quid dicam, neq; quid consulam scio:  
Adeo me tristissimus hic perturbavit nuncius  
Vah, quid hoc monstri est? Iracundia vix sum  
Apud me. Pro Deum immortalem! quæ est, si non  
hæc maxima

**Troch.**

In nos dicenda est contumelia. *Ca.* Rumor hic  
In ore est omni populo. Hoc ex ædibus  
Mihi modo prodeunti, quot dixeret nihilominus ta-  
men

**Troch.**

Ut verè hæc accidisse credam, animum non possum  
inducere.

Quid tu Anna? certane illa esse puras omnia?

*An.* Dicam sanè quod sentio,

Tu dijudica. Veluti cacodæmonis

Ope, atq; subsidio vivus multa edidis

Miracula. ita nunc quoq; suis

Præstigiis eundem illum, quo familiariter

**Troch. 2.**

Dum vivebat, utebatur, impium  
Genium illuisse arbitror custodibus,  
Hinc illæ terror, hinc illa trepidatio,

*Ca.*

*Ca.* Verisimile profectò atq; adeo verum mihi,  
*Vt* ex animo loquar, videris dicere. *An.* Quod si id  
 non fuit,

*Aut* si istud populo non facile posse putas persuade-  
 rier;

Habeo aliud quod magis probes.

*Ca.* Agedum, profer amabo; nam audire gestio.

*An.* Sepulchri custodes ad nos huc convocabimus,

Eisq; maxima obtrusa pecuniæ

Summa, quam ad eam rem nunc domo extuli, silen-  
 tium

Imponemus. *Ca.* Rectè laudo. *An.* Hem, mane & sine

Me pervenire quo volo. *Ca.* Perge, nihil impedio.

*An.* Aliud maj<sup>9</sup> ab ijs extorquendum nobis existimo.

*Ca.* Quid? dic sodes. *An.* Vt vanum, inanemque me-  
 rum eum

Fuisse prædirent, neque

A morte surrexisse illum, sed dormientibus

Ipsis, discipulos ejus venisse, atq; corpus illius

Abstulisse clanculum. Quid hoc. *Ca.* Probè herculè *Troch. 2.*

Nunquam audiui melius consilium dari.

Neq; dubium est, quin id pecunia facile ab ijs

Impetraturi simus: aurum enim, &

Argentum quid non efficit?

*An.* Nihil est tam sanctum, quod non violari, nihil

Tam munitum, quod non expugnari pecunia

Possit. Sed quosnam eos esse arbitrare, qui

Hac ad nos accedunt. *Ca.* Nisi

Quid me fallit prospectus ex satellitibus

Sunt ijs, quibus sepulchri commissa fuit

Custodia. *Ca.* Nihil te fefellit visus: Thraaso est, &

Sanga. Nescio quid inter se loquantur seriò. *Troch.*

Subsistamus paulisper hic, & eos opperiamur.

Præterea sermonem illorum clanculum

Observemus: qui procul dubio futurus est

De eadem re, quæ nos quoque perturbavit graviter.

*An.* Hac *Troch. 2.*

Igitur desectamus, mox ad eos conversi, negotium

Agemus nostrum: de pecunia loquor  
Eis donanda, intellexit in Caipha; *Ca. Proba.*

## ACTVS II. SCENA II.

THRASO, SANGA, ANNAS, CAIPHAS.

*Ejusdem generis versus.*

**O** Admirandum, & nullis verbis efferendum  
Prodigium! Nil pol in vita mihi accidit  
Formidabilius. *Sa.* Et mihi etiam nunc apimus  
Magno tremor metu. *Th.* Cui posthac dubium esse  
poterit,

**Troch.** Quin jam contigerit, quod de eo fuit divulgatum  
antea;

*Ca.* Audin' Anna quid dicat; *An.* Ego verò audio,  
Et me audire tædet. Sed remedium, ut arbitror,  
Jam inventum est ei malo. *Ca.* Scio, sed quid insuper  
Sint dicturi, porro auscultemus. *Sa.* Ego quoq;  
Nazarenum illum, multis tormentorum cruciatibus  
Afflictum, tortumq; atq; adeo cruci affixum,  
Non mortuum jam, sed vere revixisse auguror.  
Nam inusitata, atq; insolita erant illa, quæ  
Videbamus. Nec est quod somnium quisquam id  
Fuisse dicat, cum vigiles, uti præceptum erat  
Nobis, omnes excubaremus.

**Troch.** *Th.* Ego certe per totam illam noctem nunquam o-  
mnino me

**Troch. a.** Dormivisse scio. Sed quid, quod te rogem;  
*Sa.* Quid? cedo. *Th.* Nonne tibi terribilis ille fulgor  
Videbatur, qui ex monumento elucebat, quem mei  
Nullo pacto ferebant oculi. *Sa.* Neq; mei  
**Troch.** Profectò: nec unquam memini me perturbatum  
magis

Itaq; in pedes, quantum poteram, me protinus  
Conjiciebam. *Th.* Non tu hercle solus Sanga, sed  
Et ego, quo non alius confidentior  
Fuit hactenus, rum cæteri,  
Quotquot eramus, magno pavore territi,  
Fugiebamus omnes turpiter.

*Sa.*

*San.* Agnoscerem culpam, nisi necessitas,  
*Durum*, ut ajunt, telum noscogisser; nam paululum  
*Troch.* Si istic mansissemus, periissemus planissime.  
*Th.* Verum dicis, & ideo fuga vitæ consulere malui,  
*Troch.* Quam frustra repugnans interimi. *San.* Optimè:  
*Nam* vir fugiens pugnabit denuo. *Ca.* Tempus  
 Est interpellandi, nam garriendi  
 Nullum faciunt finem, accedamus propius ad  
 Illos. *San.* Hem Thraso, Annam, atque Caipham,  
 principes  
 Nostros hic consistentes video. *Th.* Sunt? profecto  
 sunt: parum  
 Mihi videntur hilares; & recta ad nos huc accedunt  
 via.

ACTVS II. SCENA III.

CAIPHAS, ANNAS, SANGA, THRASO.

*Eiusdem generis versus.*

**E**Ho, quo vobis iter est? aut qua de re hic fabula-  
 mini;

*San.* Quasi non viderimus eos antè, respiciamus

*Thraso.* *Th.* Intellego. *An.* Hem quid mustitatis in-  
 ter

Vos? *San.* Quis hic est qui nos? ho. ignoscere

Domini, non prævideramus vos: etiam pūne

Mens nobis planè obstupuit prævformidine.

*Ca.* Facessat stupor, atque omnis perturbatio.

*Sb.* Istud quidem, factum mihi esset difficilimum.

*San.* Ego etiam, quoad vixero, nunquam hujus nō:  
 Quis obliviscar

Infelix. Pedibus pol magnam habeo gratiam,

Qui me ex tanto surripuerunt periculo.

*An.* Næ vos imbelles, trepidi, atque uti mulieres,  
 estis creduli:

Ad ludicra spectra, & inania phanasmata

Turbati, atque exanimati protinus. *Th.* Eho, quid

Istud? Ludicrane tu illa & vana fuisse existimas?

Tota erras via, aliud profecto diceres.

Si adfuisses domine; nam nimium vera, atque certa  
erant

Omnia: qualia ego in vita nunquam vidi, neq; videre  
Cupiam unquam. Quid tu ais Sanga, in periculo  
Eodem qui mecum fuisti?

*San.* Fui herclè, & me incolumem evasisse gaudeo

*Ca.* O homines meticulosos, ignavos, atq; trepidos!

*Animo forti,* & invicto viros esse decet. *Th.* Non ita

Loquereris domine, si ipse præsens adfuisses;

*An.* Nugæ. Sed mittamus ea, & ad id quod rogo

Respondete mihi. Verène vos illum revixisse

Putatis? *Sa.* Id quidem haud dubium est mihi. *An.*

Quid tu

*Thraso?* *Th.* Verum ego Sangam dixisse existimo.

*Ca.* Prodigiosa sunt quæ prædicatis, dicite

Sodes, quis unquam mortuus revixit? fabulæ:

Mihi herclè non fit verisimile, neque commentum  
placet.

*An.* Nec mihi profectò, sed auscultate. Est quod  
seriò

Loquar vobiscum. *Sa.* Hic sumus domine: dic quæ  
Vis, aures ambo tibi præbemus sedulò.

*Ca.* Quomodocunque se res habet, celato opus

Est. *Th.* Hoc quidem factu esset difficillimum:

Cum rumor hic per totum dispersus sit oppidum:

*An.* Valeant ista, inveni remedium huic rei:

Atque id tale est, ut vobis adjutoribus

Feliciter successurum putem: neque

*Troch.* Ingrati erimus. *San.* Hujusmodi obsecro aliquid in-  
veni,

Nos quidem ad vestrum exequendum mandatum  
erimus

Parati per omnia. *Ca.* Iam dudum tale quid

Inventum est: & id utile, atque fructuosum

*Troch. 2.* Imprimis erit vobis. *Th.* Oh, arrige

Aures *Thraso.* *San.* Cedo quid sit, nam audire gestio.

*An.* Vestros

Omnes collegas absque ulla convocabitis mora.

Illos

Illos dico, quibus sepulchrum servandum mandavimus

Et ne sit inter illos, qui cunctetur, aut  
Difficilem sese præbeat: pecuniam hanc  
Omniem, quæ in turgido hoc marsupio est, inter  
Vos distribuetis. Eho, quid stas? accipe.

*San.* Hui, tam graves auri loculos? *Ca.* Rem acu tetigisti: purum enim

Et purum est aurum, aperij crumenam, *Th.* Bone Deus

Cui unquam quicquam accidit felicius? *An.* Aurum id omne

Inter vos dividite, dein

Foras egressi, per totum oppidum cuilibet,

Sive is sit vir sive femina, persuadebitis,

Quantum potestis, non illum revixisse,

Sed corpus ejus vobis dormientibus,

A discipulis illius ablatum esse clanculum.

Quid hoc? placet, an nondum eriam? *Sa.* Pol callidum

Consilium, laudo: & quod jubetis sedulo hercule

Faciemus: & credo successurum, nam quo modo

Id fieri soleat, callemus probè. *Ca.* Benigne dicitis

*An.* Præbete vos viros. *Sa.* Nunc ad sodales

Hinc recta properamus via? *Ca.* Agite, & hanc rem,  
uti vos decet

*Troch.*

Curate graviter, *Th.* Fiet,

Næ nobis hic dies illuxit felicissimè.

ACTVS II. SCENA IV.

MAGDALENE, PETRVS, IOANNES,

*Ejusdem generis versus.*

**D**um immortalem! Iamne erumpere hoc mihi  
gaudium;

Iamne exclamare licet? Vivit, vivit perfectò.

*Troch. 2.*

Quem nos omnes arbitrabamur mortuum,

O nos felices! quibus tam insperatum obtrigit

Gaudium. O Deus! serva obsecro

Hæc nobis bona. Sed quos nunc mihi potissimum,

*Qui.*



Quibus hæc commemorem optem dari; verbis enim  
Vix effari possem, quam cupida sim narrandi, quæ  
Apud sepulchrum, & in reditu ad urbem ipsa con-  
spexi modò.

Quæ non vana, at vera, indubitataque esse existimo.  
Sed video huc accedentes nescio quos: è grege  
Nostro sunt, nisi me fallit prospectus, paulisper his

**Troch. 2.** Subsistam, donec propius accesserint.

*Pet.* O hos infelices! qui tam amabili Domino,  
Atque magistro orbari sumus.

*Io.* Heu quanta de spe decidimus! speraveramus  
Enim illum tertio revicturum dici

Quod ex ejus sermone sæpe me intellexisse memini.  
At hæc spes nos fecellit miseros, Sed adest  
Magdalene. Et læta est, nisi me fallunt oculi.

**Troch.** *Mag.* Ioannes & Petrus sunt, nihil potuit fieri com-  
modus, huc

Ad me accedunt. Næ illos læto, gratoque imper-  
tiam

Nuncio. *Pet.* Eho Magdalene, quid tibi accidit?  
Videris enim mihi esse quam soles hilarior.

Quod equidem eo magis miror, quod in malo  
Versemur, minime ignotum sit tibi. *Mag.* Fratres  
Salvete, nuncium adfero vobis gratissimum.

*Ioan.* Quemnam obsecro? cedo sodes Magdalene. *Mag.*  
Atqui

**Troch. 2.** Ego vos oro, atque obtestor uti auscultetis. Ex  
Me faxo audiat rem miram, atque incredibilem.

*Pet.* Agedum, narra amabo, jam dudum nos præbe-  
mus

Attentos. *Mag.* Ignoratis, quantum gaudium

Ego apportem vobis. *Io.* Ah, aufer pollicitationes;

Rem potius ipsam paucis eloquere. *Ma.* Paucissimis.

**Troch.** Iesum dominum, atq; magistrum postum revixisse  
Vobis nuncio. *Pet.* Eho, vide quid dicas mulier, à  
morte

Tu Christum revixisse ais? *Mag.* Ego illum nuncium  
Nunc adfero profecto quem verissimum

ENE

**E**ffe deprehenderis. *Io.* Magdalene, faxit.  
Deus, vt vera ſint, quæ prædicas. *Mag.* Certa  
Res eſt, frater, dubitare dudum deſij.  
Nam ipſa hodie cum alijs quibuſdam egreſſa ſoro-  
ribus,

Sepulchrum inveni vacuum: plurimaque alia  
Prodigioſa, quæ nunc non eſt narrandi tempus.  
Deinde ad urbem cum reverteremur, ipſa  
Ego præſentibus alijs Chriſtum vidi vivum: atque  
adeo

Cum eo ſum collocuta familiariter. *Pet.* Sanahe  
Es Magdalene? *Mag.* Sana ſum Petre, & vera  
Quæ dico reperieris omnia. *Io.* O nos felices!  
Siquidem tu hæc certa prædicas. *Mag.* Procul abſit à  
Me, ut vos fallam: quid lutri ſi mihi, ſi mentiar?  
Aut quem æquè, ac me ipſam ſeſellero? Fratres, ita  
Mihi Deum velim propitium, ut ego vobis  
Vera, atque certa nuncio. *Pet.* Ioannes, ego ad  
Sepulchrum ipſe propero, remiſiſſurus  
Exactius: mulieri nihil fidei habeo,  
*Io.* Bene facis: matura reditum, nos te expectabimus  
domi.

ACTVS III. SCENA I.  
CLEOPHAS, LUCAS.

*Iambici.*

**E**Ho, quid ais Luca? Verane eſſe credis ea  
Quæ mulieris metu ſimul atque gaudio  
Percuſæ, nunciabant modò? *Luc.* Ego Cleopha  
Quid dicam, aut quid credam planè neſcio,  
Credulum mulierum genus eſt, quæ falli atque er-  
rare

Solent facillimè, *Cl.* Non illæ ſolum iſtud  
Nobis renunciaverè, at viri quidam  
Etiam ex noſtris, ut audio ad ſepulchrum  
Egreſſi invenerunt illud apertum, & vacuum.  
*Luc.* Scio frater, atque eidem illi reſurrexiſſe eum  
A morte affirmare non audent: neque id

Verè

Verè contigisse omnino credunt. *Cl.* Haud mirum  
profectò.

Quid enim prodigiosius est, & quid magis  
Humanæ naturæ adversatur, quam hominem mor-  
tuum

Reviviscere? *Luc.* Est ut dicis, & tamen ipse  
Mortuos frequenter in vitam revocavit.

Atque hujus prodigiosæ rei

Nos ipsi testes oculati sumus. *Cl.* Verè

*Troch. 3.* Tu frater isthæc prædicās.

Neque igitur absurdum, aut mirum videri

Debet, si quod in alijs efficere potuit, idem sua

Virtute nunc præstiterit sibi. *Luc.* Utinam verum

Sit, quod augurare Cleopha, & tamen istud ita esse ut

Credam, nondum possum animum inducere. *Cl.* Ne-  
que ego quidem.

Sed satis jam, satis hic latuimus diu

Sacerdotum nos odio atque metu territi.

Nunc, si videbitur, ex urbe ambulatum eamus.

*Luc.* Placet. Sed quo nobis eundum existimas?

*Cl.* In oppidulum Emauntem, non nisi spacio

Sexaginta stadiorum ab urbe distitum.

*Luc.* Nihil æq; fecero lubens, properemus: vix enim

Possum eloqui, quam cupidus sim hinc abeundi, &  
urbem

Relinquendi impiam. Væ vobis principes

Sacerdotum, qui cum tam horrendū perpetraveritis

Scelus, nondum tamen vos facti pœnitet,

Nondum flagitij commissi piger, tanta est

Animi odio, atque invidia excœcati pertinacia.

Porro non satis illis fuit,

Hominem ab omni fraude, & culpa alienissimum,

Planèque innoxium, atque de ipsis optimè

Meritum è medio tollere inauditis afflictum crucia-  
tibus,

Nisi nos insuper, quia ejus discipuli sumus,

Passim insectentur, & omnibus exagitent modis.

*Sed*

Sed ad portam devenimus, exeamus, ac  
Quis fortè nos agnoscens, nostrum impediât iter,  
Et in urbem retrahat. *Luc.* Rectè dicis, & ideo hic,  
Et alibi quoque tibi lubenter obsequar,

ACTVS III. SCENA II.

IESVS, CLEOPHAS, LVCAS.

*Eiusdem generis versus.*

**Q**Uæ ex Patris cœlestis decreto, pro salute  
Mortalibus miseris restituenda, mihi erant  
Subeunda, ferendaque toleravi, atque executus sum  
Omnia. Nunc hoc efficiendum restat mihi, ut ani-  
mos

*Troch. 3.*

Discipulorum meorum etiam nunc imbecilles,  
Arque incredulos confirmem eisque me  
Conspiciendum præbeam: quo  
Quidem spectaculo nihil illis erit  
Iucundius. At primum nunc me tertium adjungam  
Istis duobus, non ita longè præcedentibus,  
Cleophæ videhæc, & Lucæ: ita tamen, ne me  
Agnoscant, nisi postea, cum fuerit opus, facile eos  
assequar.

*Cl.* Spero hanc mihi ambulatiunculam fore  
Levatori Luca; præsertim cum te dulcem viam  
Habeam comitem, qui *pro vehiculo*, ut ajunt,  
Esse solet. *Luc.* Credo Cleopha, ego quoque non  
Parum colloquio delector tuo. Sed heu nos miseros!  
Qui quotidiano convictu, atque sermone,  
Tam pij, benigni ac prudentis magistri  
Spoliati sumus. Quod posthac poterit esse nobis  
Gaudium, hoc tanto præbatis bono? *Cl.* Ego certè  
mihi

*Troch. 4.*

Insuavem, atque injucundam vitam futuram  
Scio, quando me video destitutum eo,  
Qui in rebus adversis, ac tristibus solatio  
Esse solebat mihi, & propterea si mori  
Liceret, mortem huic vitæ præferendam existimem.  
Sed linguam nobis comprimendam censeo,

*Ind.*

*Luc.* Quid ita? *Cl.* Insequitur nos nescio quis. *Videtur?* *Luc.* Video.

Sed nihil ab ipso expectandum erit mali.

*Cl.* Propius accedit, atque adeo, nisi fallor  
Compellaturus nos videtur *Luc.* Subsistamus hic  
Paulisper. *Ies.* Quo vobis iter est viri? aut quodnam  
Istud inter vos est colloquium? haud lætum  
Vt arbitror: nam mihi parum videmini hilares;

**Troch.** Si quid animo vestro ægre est, agredum, proferte  
libere,

Credite hoc mihi amabo, aut opera aut consilio.

Aut re vos juvero. *Cl.* Magdam tibi gratiam  
Habemus vir honorande. *Ie.* Eja, ne celate quicquid  
Est ægritudinis: ut dolori vestro medear, si queam.

*Luc.* Amicè loqueris. *Cléo.* Res, quæ nos sollicitat,  
omnibus

**Troch. 4.** Est notissima, illis dico, qui hisce diebus  
Superioribus fuerunt Hierosolymis, ex qua  
Civitate, cum tu etiam, uti viderur, venias,  
Qui fieri potest, ut solus, veluti hospes novus;

**Troch.** Ignores ea, quæ hic sunt acta, pueris etiam  
Notissima? *Ies.* Quænam sunt ista, narrate  
Sodes, audire enim desidero. *Cl.* Dicam.  
De Iesu Nazareno nobis est sermo: qui  
Laudatus vir fuit, & Propheta; quo non alius un-

**Troch. 2.** quam

Dictis & factis potentior, Deo  
Hominibusque juxta charus. Hunc nostri  
Sacerdotes, populi que principes, odio

**Troch.** Atque invidia accensi, apud Pilatum præsidem  
Reum capitis peregerunt: neque desistendam sibi  
Putaverunt, donec miseris vexatum, atque afflictum  
modis;

In crucem adegerint, hominem infontem, atque in-  
noxium:

**Troch. 1.** Nos autem magnam spem de eo conceperamus,  
Nempe regem illum futurum populo Israëlitico,  
Atque adeo Messiam, quem diversa vatam

Divi-

Divinorum nobis olim promiserunt oracula,  
 Sed certa illius, atque ignominiosa mors,  
 Magnificam hanc spem nobis ademir infelicibus.  
 Cum persuasum tamen haberemus ante,  
 Futurum uti post triduū revivisceret. Hodie igitur,  
 Simul ac tertius illuxisset dies, mulieres  
 Quædam ex nostro sodalicio, ad sepulchrum  
 Egressæ, ac postea reversæ magis etiam  
 Attonitos, turbatosque nos  
 Reddiderunt: nunciantes monumentum se apertum  
 Reperisse, atque vacuum. Hoc etiam addentes, sibi  
 angelos

Apparuisse, qui affirmarent illum vivere  
 Salvum atque incolumen. Quæ cum nobis incredi-  
 bilia

Viderentur, neque fidem haberemus mulieribus;  
 Quidam ex nostris, ut rem cognoscerent exactius,  
 Ex urbe egressi, verumprehenderunt esse, quod  
 Nunciant famina: inane & apertum se reperisse  
 Sepulchrum, linteamen autem, & cæteras  
 Vestes, quibus involutum fuerat corpus, compli-  
 catas

Et repositas se vidisse: ipsum autem Christum ap-  
 paruisse

Nusquam. *Is.* O vos insipientes, hebetes, ac tardos  
 ad ea

Intelligenda, quæ tot olim oraculis,  
 Ac vaticiniis divini prophetæ de  
 Iesu prodidere! cur nunc mira, novaq; videntur hæc.  
 Vobis, quæ sacri quondam vates, numine  
 Cœlesti afflati eventura prædixerunt?  
 Cur non ea, quæ jam contigerunt, cum illis confertis  
 Potius, quam in lucē caligaris manifestissima?  
 Nonne hoc docent divini spiritus afflatu proditæ  
 Sacræ litteræ, sic visum cœlesti Patri  
 Fuisse, ut Christus hæc pateretur omnia,  
 Utque nova ratione morte videlicet sua,  
 Geni mortalium amissam repararet vitam;

H

Et

Et per crucis ignominiam regnum atque immortalē gloriam

**Troch. 2.** Affereret sibi; Hac de re cum plurima  
In Mysticis scriptis reperiantur, multò ante  
Denunciata, vos, quos cæteris sapientia  
Præstare oportebat, tam crasso, atque stupido  
Eriam nunc esse animo, ut Messiam expectetis ducem

Qui copijs ferratis, humanisque viribus  
Munitus, cæde, incendiis, ac sanguine  
Mundanum sibi regnum sit asserturus? An non hic  
Pudendus lapsus in vobis, qui Christo hætenus  
Passim adfuitis? & quibus arbitris, & testibus, sua  
Est is executus omnia?  
Aliud regnum ille affectavit, non hominum præsidis,

**Troch. 2.** Sed ab his longe diversis rationibus  
Stabiliendum, utque ea quæ dico intelligatis,  
Animum quæso advertite. A Mose mihi exordium  
Sumendum puto: qui patres vestros ex gravi,  
Duraque quondam exemit servitute,  
Pharaone Rege Egypti cum universo exercitu in  
rubro  
Mari submerso. Quidnam hoc prodigium, à Deo  
Vobis editum, aliud adumbrat, quam Christum filium

Dei in mundum hunc aliquando venturum, populumque sibi

**Troch. 3.** Fidentem à supplicio æternoliberaturum,  
Et cacodæmonis tyrannidem morte  
Debellaturum sua? Nam sic olim Deus

**Troch.** Ad Mosen, vestrosque patres est locutus,  
Prophetam ex gente tua, atque fratribus tuis  
Suscitabit vobis Dominus, quem audietis,  
Et cui parebitis per omnia; de quo creditis,  
Hoc esse dictum? Nonne de Christo? qui ex æthere

**Troch. 2.** Domicilio in terram de lapsus, non tantum precibus  
proijs

Qui

Qui deliquerant, apud patrem suum  
Intercessit, quemadmodum Moſen feciſſe  
Legitis: ſed ſuo ſanguine, ſuaque morte  
Vitam, atque ſalutem reſtituit omnibus. *Cl. O ho-*  
*minem.*

Exoptatum? ne tu nobis haud humana, at  
Divina proferſ oracula, Deum tibi  
Precor propitium, quiſquis es,

Qui increpatione tam ſalubri, tamque *Troch.*  
Amica, tarditatem incuſas noſtrā, ſed perge obſecro:

Nihil enim in vita, tua hac oratione, *Troch.*  
Unquam jucundius fuit

Mihi. Quid tibi videtur frater? *Luc.* Mirum ni Deus  
Noſtri miſertus, hunc virū reverendum huc miſerit, *Troch.*

Qui nos verbis conſolaretur ſuis.

*Ieſ.* Poſſem præterea vobis commemorare plurima,

Ex ſacrorum vatum deſumpta voluminibus: veluti

De Iona, qui in mare præcipitatus, & ceteri

Faucibus exceprus, tertio die vivus,

Salvusque in litrus eſt eiectus, quo miraculo

Quid quaſo aliud vobis denunciavit

Deus, niſi Chriſtum pro ſalute hominum mortem

Obiturnum? atque dein' tertio revicturum die?

Sed omitrenda cenſeo, quæ narrare longum

Foret. Veniamus ad propiora, quæ voſ ipſi

Præſentes illum non ita pridem audiviſtis loqui,

Quorum illud inprimis vobis conſiderandum ar-  
bitror,

Quod Ioannis diſcipulis reſpondit, quaerentibus

An ipſe eſſet promiſſus Meſſias, an aliſus eſſet

Expectandus. Renunciate, aiebat, Ioanni

Quæ audiviſtis, atque oculis ipſi conſpexiſtis: cæci vi-  
dent,

Claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt,

In vitam mortui reſurgunt, pauperes

Læto euangelij exhilarantur nuncio. *Troch.*

An non hæc eventura aperte multo ante

Denunciavit yates *Eſaias*? Ecce, inquit, Deus



Vester veniet, & servabit vos, tunc aperientur oculi  
Cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc  
Sali et claudus sicut cervus, & laxabitur

Troch.

Lingua mutorum. Nonne hæc ipsi coram vidistis?  
An non conspexistis agnum ab Esaia  
Prædictum, obmutescentem ad convitia, & probra  
omnia.

Quin etiam deprecantem pro mortis suæ  
Auctoribus? Dicite mihi

Troch.

Sodes, cum illum videretis cruci affixum,  
Atque altè erectum, an ne tum quidem in mentem  
Veniebat vobis serpens ille mysticus,  
A Mose olim in stipite suspensus? ut quicumque eum  
Intuerentur, morsu à serpentibus,  
Sanarentur protinus? Nunc ergo cum omnia hæc  
Inter se congruant, neque

Troch. 2.

Quicquam à Prophetis olim prædicatum sit  
De Christo, quod ille non perfecerit,

Troch.

Atque executus sit planissimè: quo pacto etiam  
Nunc veluti dormitantes, atque somniantes  
Diffiditis? Quin potius ex ijs, quæ  
Præcesserunt, & quæ ipsi postea coram  
Conspexistis, futura colligitis; Sed absumpendus est  
Sermo prolixior, quanquam plurima sciens  
Omisi, quæ commemorare longum foret.  
Ad oppidum Emauntem jam devenimus;  
Quo vos ire arbitror, mihi autem longius  
Hodie est eundem, itaque vobis valedicens,  
Omniaque prospera precans, oro ut hunc meum  
Sermonem, liberum quidem, sed ex animo tamen  
Benevolo, candidoque profectum, boni  
Troch. Consulatis. Cl. Domine, quia dulcem hæctenus,  
Et jucundum te nobis præbuiſti

Troch.

Vix comitem, dignaberis hic nobiscum vesperti  
Cœnare: quo quidem nihil nobis feceris

Troch. 2.

Gratius. Ies. Non possum: nam, ut videtis, vespera  
Appetit, & aliò me vocant negoriola mea,  
Luc. Sine te exorari domine, commodus

Hic

Hic dabitur cœnandi locus. *Ies.* Quamquam decreveram

Longius ire, tamen, quia me oratis, obsequar.

*Luc.* Hem, laudo. *Cl.* Gratias tibi agimus maximas.

ACTVS IV. SCENA I.

CLEOPHAS, LVCAS, IESVS.

*Iambici.*

**D**omine, accumbamus, tenuis est quidem apparatus,

Sed ad satisfaciendum naturæ necessitati

Abundè tamen eum suffecturum putamus.

*Ies.* Nihil est requirendum amplius, sed antequam

Attingamus quicquam ex iis quæ apposita sunt,

Divinæ erga nos munificentiae agamus gratias,

*Cl.* Rectè tu istud: nam non nisi a

Precatione cibum sumendum esse arbitror.

*Ies.* Pater cœlestis, qui cibo demisso ex æthere

Majores nostros quondam saturasti, rogamus, ut

Quæ nunc beneficio tuo

Simus sumpturi, nobis fausta, atque salutaria

Esse velis: ut animo simul & corpore

Ita recreemur, ut hac vita defuncti, cibo

Potuique tuo cœlesti tecum expleamur affatim,

*Luc. Cle.* Amen. *Ies.* Attingite jam, quæ nobis divina est

Largita benignitas, ac primum hunc accipite

Panem, & satisfacite corpusculo. *Cle.* Hui. quid sibi Troch.

Vult hæc non ignota nobis panis distributio?

Atque prodigium! quo ille tam subito se ex nostris subduxit

Oculis? *Luc.* Præ timore animus inhorrescit mihi, nec quid loquat,

Nec quid faciam scio. *Cl.* O nos stupidos, tardos, atque hebetes nimis! Troch.

Nonne cum nobis familiariter inter eundem Troch. 2.

Exponeret ex sacris literis prophetiarum

Atque figurarum oracula, sensimus admirabilem

H 3

Quen-

Quendam ardorem in animis nostris : qualem quidem

Haud posset excitare in auditoribus

Troch. 2. Cujusquam alterius quamvis facunda oratio.

*Luc.* Est ut dicis frater pungebat, rapiebat, atque

Troch. 2. Adeo inflammabar illius sermo : cujus etiam  
Nunc stimulos, scintillasque mihi in animo hærere  
sentio

*Cl.* Quanta severitas erat in illius vultu?

Quanta in verbis fides? Sed jam dudum mihi

Omnis perijt cœnandi cupiditas, surgamus, &

Troch. Statim recurramus in urbem: quo fratribus  
Nostris hoc tam gratum, atque admirabile  
Impertiamus gaudium. *Luc.* Ego quoque abunde  
sum satur.

Nam prodigiosum hoc me satis superque explevit

Spectaculum. *Cl.* Vñde obsecro Luca, an non eodem  
modo

Troch. 2. Panem fregerit quo facere consuevit?

Vt non tam manibus fractus, quam cultro acuto

Scissus videatur, adverte, & specta miraculum

*Luc.* Manifestum certè, atque indubitatum suæ

Troch. 3. Vitæ nobis hic signum exhibuit. Sed surgamus  
*Luc.* In

Me nihil est moræ. Præcede, consequor.

#### ACTVS IV. SCENA II.

CAIPHAS, ANNAS.

*Eiusdem rationis versus.*

Satis adhuc, ut puto, res nobis succedunt feliciter,  
Atque ex animi sententia,

Quid pecunia efficiat vides. Næ illi suum.

Troch. Sedulo egerunt negotium: per totam enim  
Urbem jam pridem invisus ille nobis est

Sopitus rumor. Atque hoc jam passim percrebuit, &

Divulgatum est, non illum à morte resurrexisse, sed

Ejus corpus, dormientibus custodibus,

Troch. A discipulis clam esse ablatum. *An.* Gaudeo, hanc

Rem

Rem uti illis suaderemus, succurrisse nobis.  
Atque ut quod sentio loquar, verisimile mihi  
Hoc nostrum inventum videtur: neque in ea  
Re hallucinari, aut falli nos existimo.

Troch.

Quis enim non potius istud esse verum censeat,  
Quam mortuum, & per trës dies sepulchro  
Inclusum vivum revixisse? *Ca.* Quomodocunque  
Se res habet, sapienter, callidèque istud

Troch.

A nobis est excogitatum, nam dispendium  
Pecuniz istius ego nihil moror. *An* Neque  
Ego profecto, quin nihil unquam cuipiam rei.  
Impensum esse puto utilius, ac commodius: atque  
Ideo recte vulgo dicitur: *pecuniam in loco*

Troch.

Negligere maximum interdum esse lucrum. Quan-  
quam hoc quicquid est

Iacturæ, aliunde facile sarciemus propediem.

Nunc nihil aliud nobis restat, nisi ut omnibus

Enitamur viribus, ut universum istud

Hominum seditiosorum extirpetur genus.

Neque est quod cuiusquam nos misereat, cum om-  
nes

Eorum conatus eo spectare videamus,

Vt sacri nostrorum patrum tollantur ritus: & no-  
stram

Ipsi suam hæresin præstigiis, atque technis

Dispergant quolibet. *Ca.* Rectè, ita me Deus amet

Consulis. *Nam principijs* obstandum est; & satis

Periculi jam adire cœpimus. Quod si

Nos in hac re aut languere, aut cessare viderint,

Immane, quantam illi passim turbam brevi

Conciverint! *Ann.* Id ne fiat, nobis, qui principes  
sumus

Civitatis: summa adhibenda cautio est.

Troch.

Atque ideo crastino die

Totum Sacerdotum, atque Scribarum ordinem

Curabo convocandum: ut ex eorum sententia

Decernatur, quod ad hanc rem pertinere videbi-  
tur.

Maximè. *Ca.* Rectè, placet, nunc intro eamus.

Sed audi quid te præterea velim. *An.* Quidnam cedo.

*Ca.* Ut adesse in cœna mihi digneris vesperi.

Invitavi alios etiam quosdam de nostro grege,

Tibi non ignotos, indulgebimus genio,

Atque hilarem hanc sumemus noctem. *An.* Benignè, atque

Amicè loqueris; & ideo id tibi nullo modo

Negandum existime, *Ca.* Benè facis, laudo. *An.* I præsequor.

### ACTVS IV. SCENA III.

IOANNES, CLEOPHAS, IESVS.

*Eiusdem generis versus.*

**V**ide etiam nunc amabò Cleopha, ut hæc certa,

Atque indubitata fiat, quæ prædicas: ne nos

In breve, falsumque conijcias gaudium.

*Troch.* *Cl.* Verissima sunt, quæ nuncio Ionnes: quæ non ego  
Solus vidi, sed frater quoque Lucas mecum.

Iraque non aucti istius prodigiosæ rei,

Sed oculati testes ambo sumus, Atque quod

*Troch. 2.* Ego tibi renunciaui, idem illum commemorasse jam  
Reliquis nostris fratribus arbitror: nam ad illos

Recta modo properabat via. *Ioan.* O Deus!

Serva hoc nobis bonum. *Cleo.* Frater, nunquam quoad  
vixero mihi

Ex animo ista excident dicta, quibus ille nos

In itinere simul increpabat, atque consolabatur

Familiariter: ex sacris literis nobis

*Troch.* Diversa inculcans oracula. Neque ea solum,  
Sed insuper alia multa, quæ nobis præsentibus

Ipse aliquando prodigiose fecit, & locutus est

Salubriter, *Io.* Nihil profecto mirum, si vester animus

*Troch.* Commoveretur, cum ille loqueretur vobiscum,  
Ex cujus ore non suadela, sed divinus ipse

Emanat spiritus. At eccos omnes cum Luca simul

*Troch. 2.* Huc accedentes, vide sodes ut gestiant.

Ec

Et quam læti, atq; alacres fient. *Cl.* Et merito quidem.  
Cum tanto, ac tam insperato exhilarari sint gaudio  
Agite fratres, quam vobis voluptatem  
Lucas impertit, cerra atque indubitata est nobis.  
Nunc unum hoc restat, ut Deo  
Simul omnes gratias agamus, pro tanto illius  
Erga nos beneficio, ut probros, gratosque homines  
decer.

*Ioan.* Ita sanè nos facere oportet. *Ies.* Pacem vobis pre-  
cor

Fratres. *Ioan.* Hui, quid hoc novæ rei est! Deum  
Immortalem! serua nos obsecro. *Cleo.* O prodigium!  
membra mihi

Tremunt metu. *Io.* O meticulosos! ego sum, mittite  
Timorem, non spectrum videtis, aut simulachrum  
ludicrum.

Et vanum: sed me, me dico ipsum, non incognitum  
Vobis: vidistis ante me frequentius,  
Eundem nunc coram conspicietis, agitedum,  
Accedite propius, atq; contemplantini  
Obsecro manus imprimis, ac pedes meos,  
Manifesta habentes clavorum vulnera, quid hæsitatis?  
Advertite mentem, oculosq; intendite acriter:  
Et desinite tandem existimare vos

Troch.

Videre spiritum Spiritus enim nec carnem habet,  
Nec ossa, quæ me habere conspiciamini.  
Quod autem nunc videtis me, nunc inconspicuus sum  
Humanis oculis, non est præstigium, aut fallacia,  
Sed dos, & corporis mei præstantia,  
Immortalitate jam donati. Talia

Troch.

Erunt, & vestra corpora, ubi supremo mundi die  
Aliquando revixerint. Sed ô vos auxios,  
Ac pavidos! Bona animo estote, & confidite.

Manus atq; pedes clavis transfixos, modo  
Vobis conspiciendos præbui, nunc pectus lancea  
Perforatum inspicite. Hæc vulnera

Troch.

Mihi servare volui, ut certissimis vestigiis,  
Et signis veritatem humani corporis

H s

Mihi

Mihi asseram, & vobis, aliisq; probem. Sed ut  
 Ab omni vos ambiguitate liberem (nolo.  
 Enim quicquam in vobis resistere diffidentia)  
 Habetisne hîc aliquid quod edam? eia apponite.  
 Nam nullum vobis exhibere possum certius  
 Argumentum vitæ meæ, atq; corporis  
 Vivi, quam si me edentem conspexeritis.  
 Apponite inquam, & desinite esse increduli.

Troch.

*Isa.* Visam quid apparatus nobis fiet. *Ies.* Exiguus, isq;  
 Vilis erit satis. *Isa.* Ecce partem piscis assi,  
 Et apjarii favi. *Ies.* Hæc abunde  
 Suffecerint. *Isa.* Hui, quod novum ego miraculum  
 Video? hæsitare dudum desij. O nos felicissimos!  
*Ies.* Oh, nihil est quod miremini.

Troch. 2

An nunc novi videtur vobis accidisse quippiam?  
 Quæ jam sunt facta, eventura sacra multo  
 Ante vobis vatum prædixere oracula.  
 Et eadem fide etiam reliqua præstabuntur omnia.  
 Quæ ab iisdem quondam sunt denunciata: de  
 Reditu videlicet meo ad Patrem: de spiritu  
 Cœlesti mittendo, qui vos, hoc corpore  
 In cœlum sublato, consolabitur.

Troch.

Et confirmabit in adversis omnibus.  
 Tunc Evangelium per totum terrarum orbem  
 Intrepidi dispergetis, neq; reges, neque  
 Tyrannos metuentes ullos, quanquā nō deerunt, qui  
 Vobis reclamabunt, qui persequentur, qui è  
 Medio vos tollere conabuntur, Sed nihil  
 Agent, frustra; se fatigabunt, vobis enim  
 Divino spiritu confirmatis, neque  
 Nocere, neq; lædere poterit quisquam. Quin idē ille

Troch.

Spiritus eloquentiam admirabilem.  
 Atq; animi invictam fortitudinem vobis

Troch.

Infundet. Et quibuscunq; sua crimina,  
 Ac delicta remiseritis, remissa erunt,  
 Quæ vero retinueritis, retinebuntur omnia. Insuper  
 Rebus prodigiosè gestis, atq; editis miraculis

Troch. 2. Gratosos efficiet vos passim, atq; celebres.

Sed

Sed jam tempus est hinc abeundi. Pacem precor  
 Vobis, pacem relinquo omnibus, *Io.* O Summe Deus!  
 Cui unquam quicquam accidit admirabilius?  
*Cl.* Hui, ex oculis nostris quo se subduxit tam cito?  
*Io.* O magnum, & nullis verbis efferendum gaudium.  
 Oh, vix sum apud me, ita lætitia, ac formidine  
 Menturbata est, mihi. Quam doleo Thomam hodie  
 Non adfuisse nobis. *Cl.* Ego cum tibi, ubi  
 Est, inventum dabo. *Io.* Age propera, ac matura re-  
 ditum. *Cl.* Eo.

## ACTVS V. SCENA I.

THOMAS.

*Iambici.*

**A**dmirabilia profectò sunt, & nova,  
 Atq; adeo inaudita, ac minimè verisimilia,  
 Quæ non solum mulieres, sed omnes etiam  
 Fratres nostri sibi evenisse prædicant.  
 Nimirum Christum revixisse, atq; cum se vidisse  
 Salvum, & incolumem, quem omnes quidem scimus  
 Suspensum in cruce, mortuum, & sepulchro condi-  
 tum.

Troch. 3.

Ego certè nihil malim, quam id ita esse, ut asserunt.  
 Sed quo magis istud verum esse cupio, hoc minus  
 Ut ita credam esse, animum possum inducere.  
 Sed eccum accedentem Petrum, Ioannem atq; Cleo-  
 pham,  
 Reliquosq; fratres. Hi eandem cantiunculam  
 Ad aures occinent mihi.  
 Sed nihil agent: obfirmavi enim animum, neq;  
 Ab hoc proposito ullis me patiar avocari  
 Rationibus. Silicem celerius, aut caute Marpesiam,  
 Quam me commoverint. Opperiat hic eorum  
 Adventum, & quid inter se locuturi sint  
 Observabo sedulò. -----

## ACTVS V. SCENA II.

PETRVS, JOANNES, THOMAS, IESUS.

*Ejusdem generis versus.*

Quan-



----- Quamquam satis

Certum atq; indubitatum jam nobis est, Christum  
magistrum,

Nostrium revixisse : & cum nullus inter nos

Troch. 3.

Sit, qui ipsum vivum, & nobiscum loquentem,

Atq; adeo comedentem (quod certissimum

Vitæ est argumentum) non conspexerit: tamen

Istud Thomæ fratri nostro probare non

Potuimus hactenus. Quia ipse eum

Non vidit, ludificatos nos phantasmate, aut

Spectro aliquo existimat. *Io.* Ita est ut dicis Petre:

Ab hac persuasione abduci non potest. *Pet.* Ego

Certè nullo modo mihi dubitandum jam arbitror

Amplius atque hanc mentem illi etiam velim dâri.

*Io.* Procul

A nobis absit illa pertinacia.

Atq; incredulitatis culpa. *Th.* Audio. culpam tamen

Licent appellent, ego eam nihil moror: neq;

Tam pertinaciam meam, ut ex animo loquar,

Quam illorum stultitiam atque in credendo facili-  
tatem

Incusandam puto: qui rei

Neutiquam credibili, continuò fidem

Troch. 2.

Sibi habendam esse existimant.

Sed accedam ad eos, & quasi antea non viderim

Affimulabo. Fratres, hæcne eratis? quomodo se ha-  
bent

Res? *Io.* Hæc Thoma, opportunè nobis venisti ob-  
viam:

Nam te quaesitum egressi sumus

Troch. 3.

Foras *Th.* Quid ira, aut qua de re? sed scio, quid sit

Futurum: nam idem erit, nisi quid me fallit animus,

Quo me hosce octo obtundere non desistis dies.

Troch.

*Pet.* Rectè conjectas: de eodem certe quamquam te

Mutasse jam sententiam

Existimamus, neq; refragaturum nobis diutius.

*Io.* Acquiesce frater nihil falsi renunciavimus tibi,

Ipsi vidimus, & audivimus eum loquentem,

Et

Et comedentem insuper: quid amplius requirendum  
puras?

*Th.* Nimium profecto credulum me esse arbitrer,  
Si id vobis credam Verus est dictum: *Qui facile credit,* Troch  
*Facile fallitur. Pet.* Non illa credulitas  
Est Thoma, patere te induci, atq; assentire  
Nobis. *Th.* Nihil agitis. *Ioan.* Eia, sine tibi istud persua-  
derier.

*Th.* Non sinam inquam, quid me de re eadem appel- Troch. 2.  
latis

Toties fratres? hoc ego ex animo nunc vobis dico:  
Non credo illum à morte revixisse, nisi ipse eum  
Vivum hisce conspexerim oculis: imo ne oculis qui-  
dem solis

Fidem sum habiturus: nam nisi in ejus manibus, &  
pedibus

Clavorum viderim vestigia, tum in latus,  
Quod illi perforavit lancea, digitum  
Inseruero, nunquam credam illum vivere.

*Pet.* Ea nobis conspicienda exhibuit omnia.

Crede hoc mihi frater. *Th.* Non credam. *Io.* Ah, ada-  
mantinum

Proposuit, nunquam divelli à sententia  
Semel infixæ. *Th.* Sic sum: hec aliter uti existimem, Troch. 2.  
Efficietis unquam, ne me obtundite amplius.

*Io.* Pax vobis fratres. *Th.* Hui, quam ego novam rem  
video?

Deum immortalẽ! serva me miserum obsecro.

*Io.* Thoma, quandoquidem habere fidem ijs hæsten?  
Noluiſti, qui me viderunt à morte vivum,  
Nisi ipse me coram conspexisses: accede huc pro-  
pius & Troch.

Inſere manum in clavorum vulnera, ac inspicere  
Vera, atq; manifesta ferri vestigia, quin admove  
Digitos in latus meum, & contra lanceæ vulnus; Troch.

Et posthac noli alijs in rebus eodem incredulus  
Esse modo, sed fidem adhibe promissis meis,  
Quæ quamvis incredibilia sunt fortasse humanis sen-  
sibus

Tamen ea, neq; te, neque alium

Quenquam fallent unquam: mentiri enim non est  
meum,

Quapropter quaecumq; aut Pater

Meus cœlestis olim se vobis per vatum oracula

Effecturum recepit, aut

Ego eventura prædixi, illa iam maiori ex parte sunt

Exhibita. & quod præterearestat, præstabitur

Vobis. *Th.* Dominus tu meus es, tu Deus meus.

Eheu me infelicem! ut nunc totus displiceo mihi,

Qui tam incredulus, ac pertinax fui hætenus,

Quàm me pudet mei! malo

Equidem me dignum quovis deputo.

Troch.

*Ies.* Recipe animum Thomæ, quia

Vidisti me, & loquentem audivisti in super,

Tandem credis. Quam putas eos fore

Troch.

Beatos, qui cum me non viderint, neque

Audierint, credituri sunt tamen, valete.

Pacem vobis commendo, & concordiam, quibus

In hoc mundo felicius

Reperitur nihil -----

### ACTVS V. SCENA III.

THOMAS, PETRVS, IOANNES.

*Ejusdem generis versus.*

----- Bone Deus! totus horreo, ac tremo:

Membra metu debilia sunt, genua labant mihi:

Tum in pectore nihil consilii consistere

Potest. Et tamen ut pertinacia, atq; incredulitas

Mentem meam occupavit hætenus, ita nunc

Postquam illa diffidentia

Est exempta, animus planè confirmatus est

Mihi *Pet.* Divina id in te frater, gratia efficit:

Troch.

Quam nos quoq; experimur affatim. *Th.* Mi Petre;  
sentio,

Sentio, inquam, cœlestem in me operantem spiri-  
tum,

Sed ipse me nunc execror,

*As.*

Ac detestor, qui nulli omnino auscultans, tam  
Præfractum, durum, & pertinacem me hæcenus  
Præbuerim. Quod quidem peccatum esse fateor gra-  
vissimum:

Eiusq; ex animo jam me pœnitet. Sed gaudeo  
Tamen, cum hoc delictum remissum sit mihi,  
Eho, quis obsecro me vivit felicior?

Nemo certè quisquam. O quibus preconiiis.  
Divinam erga me prædicabo munificentiam?  
Hoc satis certò scio,

Nunquam me quicquam dicturum tam magnificè, Troch.  
Quin Christi Domini. atq; Magistri mei longè id  
Superet clementia. *Pat.* Pide hoc abste frater, &  
Verè dicitur: *Humana enim natura* magna est fragili-  
tas,

Atq; omnes, ad deteriora proclives sumus.  
Ideoq; ætæ esset de nobis, nisi Deus  
Sua nos confirmaret gratia. *Tb.* Istud ut  
Verum esse confitear, res ipsa me compellit. Nunc  
Hoc nobis restat fratres, ut Deum simul  
Laudemus, eiq; gratias agamus, pro  
Maximis ipsius erga nos beneficiis:  
*Ioan.* Rectè tu istud Thoma, & uti te decet: Sed sub  
Noctem fratribus, ac sororibus omnibus  
Convocatis, id fiet tutius, & commodius. *Thom. pla-*  
*cer.*

## PERORATIO.

*Iambici.*

**H**ic spectatores, auctor sibi desistendum putat:  
Cum ascensus Christi ad cælum, qui nunc restat  
scenito

Aprè exhiberi non possit choragio.  
Sed antequam domum hinc eatis, paucula  
Audite quæso, quæ ex usu vobis fore.  
Confido; & unde magnum gaudium, ac voluptatem  
Non mediocrem vos percepturos arbitror,  
Estote igitur paulisper attenti, mihiq; aures  
Arrectas, & animos præbete benevolos,

Ex

Ex omnibus quæcunq; sacris continentur literis;  
 Vna hæc nobis consideranda maxime,  
 Ac perpendenda est historia: quæ nos docet  
 Christum, ut pacem cœlestem nostro crimine  
 Offensum, placatum, ac propitium nobis redderet;  
 Humana carne indutum, mortem morte vicisse  
 Sua: & ex miserrimo, atq; æterno servitio  
 Nos in libertatem afferuisse sibi. O victoriam,  
 Cum qua nullus Triumphus posset comparari!  
 Quæ nobis clausam ad cœlum referavit viam,  
 Salutemq; amissam restituit omnibus.  
 Vbi jam tua Mors sunt spicula,  
 Quibus hæcenus impune impetijsti quoslibet?  
 Vbi lethalis morsus? ubi Tartareæ faces?  
 Sanguineum jam tibi est contusum, atque obtritum  
 caput:

Vis elanguit omnis, quæq; ante millia  
 Multa hominum crudeli tua premebas  
 Tyrannide, nostiisq; illudebas calamitatibus.  
 Nunc ipsa obtorto collo in vincula, atq; carcerem;  
 Protracta, luges, lamentaris, ejulas.  
 At nos contra triumphamus. gaudemusq; affatim  
 Ergastulo, atq; faucibus cacodæmonis  
 Exempti: Nunc itaq; nihil superest, nisi ut  
 Assertorem, atq; vindicem Christum, Deum,  
 Dominumq; nostrum, summis efferamus laudibus:  
 Eiq; gratias agamus supplices,  
 Pro immensa ipsius erga nos clementia.  
 Quod sedulo ut pro se quisq; faciat, hinc domum  
 Digressus, vos omnes oramus, tum id quoq;  
 Ut, si quod egimus placuit, plaudatis comiter.

**F I N I S.**



# TERENTII CHRISTIANI TYPHLVS.

## *Actorum nomina.*

TYPHLVS.  
SIMEON.  
ANNA.  
JESUS.  
JOANNES.  
PETRVS.  
IGNATIVS.

MYDA.  
MELCHIAS.  
JUDAS.  
CLEOPHAS.  
ISACHAR.  
AZARIAS.

## PROLOGVS.

### *Iambici.*

**E**ia benè se habent principia: gaudeo,  
Et rem nobis feliciter successuram auguror  
Quando magnam undiq; hominum multitudinem  
huc

Confluxisse video, spectatum scenicos  
Hos nostros ludos. Quid? ludos appello? cum;  
Quod sumus exhibituri, castum futurum sit,  
Pium, ac sacrum, ex sacris depromptum literis.  
Profectò tale erit, haud profanum, aut ludiorum,  
Quapropter ut attentos vos præbeatis oro: nil  
Nisi quod æquum est postulo: atq; ob id spero  
In hac re vos morem gesturos mihi: quos candidos,  
Atq; tremantes esse arbitror.

Nigros vero, & malevolos istos Zoilos  
Facile contemnitis, bonorum adjacis.  
Quibus, si placeamus, nihil nobis nocere  
Poterunt mali, nihil invidi: qui qualibet sibi

Carpenda censent, etiam quæ limata sunt probè  
 Itaq; tota mihi errare videntur via,  
 Qui curiosis istis criticis se satis  
 Facturos unquam existimant.  
 Quare hos missos facio. Facebant improbi,  
 Quo crucientur magis, quod tum illis evenit,  
 Quando se despici, atq; negligi vident.  
 Sed satis est verborum. Nunc quam acturi sumus,  
 Puer hîc, quem exire videtis in proscenium,  
 Paucis vobis commemorabit comœdiam.  
 Auscultate oro, atq; animum advertite sedulo.

## PERIOCHA.

**Q**ui cæcus erat natus. Jesu beneficio  
 Visum accipit. Ingens admiratio, ac stupor  
 Homines capit. Pharisei ringuntur: boni  
 Plaudunt, cæcoque de visu sibi dato,  
 Amicè gratulantur. Atque is oppidum  
 Totum perambulans, ubiq; prædicat  
 Jesum. Qui illum à Judæis rejectum, in suam  
 Statim benignè, & comiter recipit gregem.

## ACTVS I. SCENA I.

## TYPHLVS.

*Iambici.*

**N**æ ego hominum qui vivunt sum infelicitissimus  
 Neq; usquam gentium quenquam reperiri pos-  
 se existimo,

Cui omnes vitæ commoditates eq; adversæ sient,  
 Vtpote qui non solum perpetua cæcitate, (qua  
 Nullum homini gravius accidere potest malum)

*Troch. 2.*

Sed paupertate etiam, rerumq; omnium  
 Inopia discruciatu fuerim hactenus.  
 Deum immortalem! quam ego culpam commerui  
 ut me

Ad hunc afflictares modum? Utinam divinæ tuæ  
 Voluntati visum sit, ut me ex hisce calamitatibus,  
 Erumnisq; eximas. jam pridem enim vitæ

*Me*

Me piget meæ. Nam quis non perpetuam hanc.  
Noctem durissimamq; egestatem pertæsus, aboleri  
Malit, quam vivere? Mihi certe mors quovis  
Beneficio esset gravior. Neque  
Mirum profecto, cum omnibus vitæ carcam  
Voluptatibus: & semper in luctu atq; mœrore  
Vivendum sit mihi. Quod si accipiendi visus  
Spes aliqua alicundè affulgeret, ea utcunq; animum  
Consolaret meum; quæ nunc quia nulla est, quid  
aliud

Restat, nisi ut dum vivam sim miserrimus? O dolor  
Multò omnium gravissimus!

Sed crepuit ostium. tacebo, ut quis sit qui exit, audiam.

ACTVS I. SCENA II.

SIMEON, ANNA, TYPHLVS.

*Iambici.*

**A**udire visus sum mihi vocem filii,  
Lamentantis & calamitatem deplorantis suam.

*An.* Ea quidem querela illi quotidiana est.

*Troch. 2.*

*Sim.* Nihil mirum, cū iusta querendi causa ei semper  
Sit misero. At ecce illum hic stantem; accedamus  
propius;

Et consolando, & commode loquendo animum  
Ei confirmemus. *An.* Nihil æquè fecero lubens.

*Ty* Nisi me aures fallunt, patrem, & matrem foras  
Egressos inter se loquentes audio.

*Sim.* Quasi non ante viderim assimulabo. Eho,  
Quem ego hic lamentantem audio? filium  
Esse arbitror. Atq; is est ipse. Mi fili, animo  
Vti quieto sis. quæque desinas

Obsecro. *Ty.* Quo pacto possim pater?

Qui quovis misero sum miserior. *An.* Mi fili, non nos Troch. 2.  
later

Quam indigna perpetiari. At quid vanis tibi  
Prodest animum excruciasse querimonijs?

*Ty.* Facile cum valemus, recta consilia ægrotis damus,  
Tu si hic sis mater, aliter sentias. *Sim.* Istud quidem



- Verè dicis fili, *cuique* suum malum grave est,  
Troch. Non item aliis: quando non nisi qui calceum  
Induit, sentit qua parte pedem urgeat.  
Atqui ita me Deus amet, ut hoc infortunium  
Tuum haud minori mihi dolori, atq; ægritudini,  
Quam tibi fuit hætenus. Ty. Credo pater,  
Sed quid mihi nunc adfers, cur expectem, aut sperem  
hanc meam  
Vitam non perpetuò miserrimam fore?  
Troch. *Sim.* In hac re fili polliceri possum nihil.  
Hoc tantum oro, ut quod ferendum est, æquo animo  
feras.  
Cum questibus, lachrymisq; nil nisi malum  
Conduplices tuum. Ty. Scio pater. Sed quis in  
Troch. Tanis miseriis à querendo & flendo temperet?  
Troch. *Sim.* In Deo omnis spes sit tibi: cui quid ruz  
Saluti expediat, exploratum est maximè.  
Qui neq; quenquam solet affligere temerè, neq;  
Nostram querit perniciem, aut exitium, sed salutem  
Potius. Et quanquã aspera, duraq; sunt; quæ in hac  
Vita nobis eveniunt, nequaquam tamen  
Accusandus est ille: utpotè qui optimè  
Novit, quid cuique conducât potissimum.  
Troch. Atque ideo quemadmodum probus medicus non  
dulcia,  
Sed amara frequenter nobis præbet pharmaca.  
Ty. Non inficior hæc à te & verè, & piè dici pater:  
Troch. Neq; Deum accusandum unquam existimavi  
Mihi. queror tantum & lamento tecum sæpius,  
Quando, in quibus miseriis vivam, cogito  
Infelix. *An.* Id quidem concedendum videtur  
Tibi. Quanquam & nos parçè, atq; duriter vitam  
Egimus hætenus, pater quotidiano, graviq;  
Labore, ego lana, ac tela victum queritans.  
Quapropter quod fors fert, patienti animo ut feras  
Oro, laturus aliquando patientiæ  
Tux abundè magnum præmium.  
*Brevi est hæc vita, quam in ærumpis, atq; calamitati-*  
bus

Exigimus, ad alteram illam aspiremus, quam uti Troch.  
Æternam, ita gaudio, ac voluprate undique  
Plenam esse credimus : hac spe ut nos consolemur  
debet.

*Sim.* Pie hoc quidem mater dicit tua : quapropter  
Moderatè, quod ferendum est, patere. *Ty.* Dabo ope-  
ram.

*An.* Hem puer, ad templum, ut soles, cum deduci-  
ro : ac

Deinde redi, est quod mandem amplius.

ACTVS I. SCENA III.

JESVS. JOANNES, PETRVS.

*Ejusdem generis versus.*

**A** Pud improbum hoc, & pertinax, Phariseorum  
genus, nihil

Effectum est hactenus, nec unquam me quicquam

Effecturum arbitror. Altius illorum animis

Insedit superstitio, atq; adeo impietas, quam ut Troch.

Vllis admonitionibus eximi queat.

Si induci possent, ut morbum suum agnoscant,

Sanabiles essent: nunc si remedium eis

Adhibeas, nihilo plus agas, quam si adversus Troch.

Stimulum calcitres. Et tamen omnibus enitar modis,

Ne quid, quod ad salutem ipsorum pertinet,

Prætermisum à me intelligant.

*Ion.* Quid facias magister, cum inter illos vix ullus Troch.

Sit cui præceptis qui aures præbeat?

Quin pro maximo beneficio tibi maleficio repen-  
dere

Conantur maximum. Quis homines tam impios

Tua non indignos fateatur gratia?

*Ies.* Meritò quidem reiiciendi, ac contemnendi

Sunt, qui ad meliora monentem spernunt pertinaci-  
ter, verum

Plus quam merentur præstabitur illis : ut sibi per o-  
mnia

Satis factum sciant: neq; quicquam præter contuma-  
ciam I 3 Suam

Suam possint causari. Nam quos verbis nondum in-  
flectore

**Troch. 3.** Potui, experiaran miraculis  
Commovere queam. Atq; hic statim ad eam rem  
Opportunitas offertur mihi. Videtis ne  
Cecum illum, non procul à foribus templi sedentem,  
*Pet.* Videmus Domine. Quin eundem hic alias  
Frequenter confidentem, ac mendicantem  
Consperimus. cui cæcitas, ut multos dicere  
Audiui, nullo contigit infortunio:  
Sed ita ex matre illum natum esse asserunt, ut lucem  
videris

Nunquam, quo quidem homini nihil accidere potest  
Miserius. *Ies.* Mentis cæcitas, quæ hoc Phariseorum

**Troch.** Genus corripuit, multo gravius est malum  
*Ioa* Credo. Sed cum non ita pridem paralytico,  
A te sanato dixeris: vade & vide  
Ne posthac pecces amplius, ne quid gravius  
Accidat tibi: peccatum morbi causam fuisse  
Indicabas, ut opinor. Itaq; hinc mihi  
Nunc in animum hæc incidit meditatio:

**Troch. 2.** Nimirum cujus culpa homo hic in tam grave  
Incommodum strillapsus: non ipse  
Opinor, quando nullus, antequam natus  
Est, peccat, atq; ideo parentum. vitis hoc  
Illi accidisse videretur malum. *Ies.* Neq; hic  
Suo delicto commeruit, ut cæcus nasceretur,

**Troch.** Neq; parentes ejus. Non enim ob parentum  
Peccata Deus punit liberos, ut lex docet, nisi  
Illi vitam parentum imitentur impiam.  
Verum huic casu, non culpa alicujus cæcitas  
Contigit, multa multis in vita accidunt  
Mortalibus. Et tamèn per huius infelicitatem  
Dei celebrabitur potentia: cui hi, plus  
Quam cæci Pharisei reclamant, atque  
Resistant pertinaciter. Et quia hoc malum  
Ejus generis est, ut humana ei medi-  
ri Nequeat industria, Dei gloria illustrabitur  
Magis, ubi mea opera in medicabile hoc vitium

Homines sublatum esse viderint:

Troch.

Ob id enim in terram sum missus, uti factis talibus  
Incredulis probem me vera loqui: utque à cæcitate  
Animis sanentur, qui verbis fidem

Habitori sunt meis. Atque id quidem

Dum dies est exequendum erit mihi. Nox ad

Opus est inutilis, quæ tamen aderit brevi. Tum qui

Troch.

Operari maxime volent, efficient nihil. Atque hæc

Non nisi ex me oritur lux. Iraque enitendum est

Troch. 2.

Omnibus, ut dum ego eis præfens adsum, salutis

Suz negotium peragant. Et huic certe

Mei tendunt conatus: nimirum, ut cuncti

Cæcitate ex animis eiecta, videant

Atq; agnoscant Deum, meq; ejus filium in

Hunc terrarum orbem missum: Quem tamen

Non habituri sunt diu. Aderit propediem

Troch.

Tempus quo hinc discedam: Nunc præsentem ode-  
runt,

Quem sibi reddi frustra optabūt, postea. Neq; hæc eo

Nunc dico, quasi post discessum meum

Nulli ad salutem sit futurus accessus.

Diem, atq; lucem hanc vos præstabitis cuilibet:

Tum sacræ literæ, quæ copiam ac facultatem

Ea operandi præbebunt, quæ ad salutem pertinent.

Sed ad cæcum nunc accedamus. Fazo ut prodigio-  
sum, &

Nunquam ante auditum videatis miraculum.

ACTVS I. SCENA VI.

TYPHLVS, JESVS, IGNATIUS, MRDA.

*Lambici.*

**E**Hodum, adeste oro populares, & munusculo

Dato succurrite infelici. *Ies.* E terra cum

Erigite paulisper. *Ty.* Quis is est, qui me attingit? &

Quem ego hic audio Toquentem? *Ies.* Postea scies.

Nunc te contrectandum atq; sanandum præbe. *Ty.*

Nihil

1 4

Bft.

Est quod fecero lubentius. *Ies.* Oculos tibi  
 Luto oblitos, ut opinor, sentis. *Ty* Sentio,  
 Et ut mihi pro sit opto. *Ies.* Bono fac sis animo: & vide  
 Ne quod Deus largiri dignatur, tua  
 Tibi intercipiat diffidentia. *Ty.* Nihil quidem  
 Diffido, & animus nescio quid mihi præfagit boni.  
*Ies.* Ad piscinam Siloe absq; ulla te confer  
 Mora, atq; illic, oculis quod ille vi, lutum ablue.  
*Ty* Ibo statim, & præceptis parebo tuis.  
*Ies.* Fac ita. Vale. *Ty.* Vale & tu vir honorande.

*Troch. 2.* Sed o me miserum! Quis me eo deducet? puer abest,  
 Nec est rediturus ante vesperum, *Ig.* Ego tuum  
 Istum puerum, ubi ubi est, quæram: atq; adeo tibi  
 Inventum dabo aut si eum reperire nequeo,  
 Ipse te istuc deducam. Operire me

*Troch.* Hic paulisper, jamjam redeo. *Ty.* Nunquam in vita  
 Animus, ut nunc exhilaratus fuit mihi.  
 Neq; quæ sit causa scio: nisi quod ab hoc homine,  
 Qui oculos luto oblevit, quiq; ad piscinam me  
 Ire iussit, aliquid expecto boni. O Deus!  
 Si hoc mihi tuo beneficio contingat, ut  
 Videam, atq; ex his perpetuis tenebris eximar,  
 Quis me homo erit felicior? & confido fore,  
 Adeo animus insolito mihi gestit gaudio.  
*Ig.* Hem tibi puerum. Opportune eum  
 Inveniebam domi. *Ty.* Bene fecisti quisquis  
 Es, & habeo gratiam. Ehem, ades dum Myda. *My.* ad-  
 sum,  
*Ty.* Ad piscinam Siloe recta me deduces via. *Myd.* Fa-  
 ciam.  
*Ig.* Utinam tuo id fiat bono. *Ty.* Fiet. Bene vale ---

## ACTVS I. SCENA V.

IGNATIVS, MELCHIAS, JUDAS.

*Iambici.*

----- Quam velim

Ut quod sperat, eveniat misero. *Mel.* Hem, quo abire  
 Paras

Paras Ignati? *Ign.* Non ita procul. *Mel.* Paulisper  
mane,

Atque huc ad nos accede propius, est quod tecum  
agamus,

*Ign.* Non hercle otium est nunc mihi: nā aliud me mea  
Vocant negotia. Tamen si quid est, quod me vis, dic  
paucis.

*Mel.* Paucissimis. Vidisti una nobiscum, quid

Cæco isti sit factum: & quo ille ire sit iussus.

*Ign.* Scio. *Mel.* Sed dic sodes, num ex vili, sterilique  
ista aqua

Remedium ei sperandum existimas?

*Id.* equidem certò illi non ausim pollicerier:

Et tamen bona spes habet animum meum,

Non frustra eum istuc iturum. *Mel.* Ridiculum

Mea quidem sententia planè errat, qui

Innatæ cæcitatæ vitio ab aqua sibi

Remedium quærendū arbitretur. *Iu.* Planè assentior

Tibi Melchiar? & quemadmodum abiit istuc, ita

Eum reversurum puto. *Mel.* Id quidem, hand du-  
bium est mihi.

*Ign.* Sit ira. Tamen benè mihi fecisse videtur,

Qui ad piscinam iussus ire,

Sibi obsequendum existimavit, cum

Id factum sit facillimum, & nullius impendij,

Quod si aliud gravius illi imperasset,

Anne parendum fuisset ei? *Iud.* Nequaquam:

Quid enim necesse erat inanem sumere operam.

*Ig.* Quis istud sciat, nisi periculum sit factum? *Mel.* Qui

Tale quid periclitatur, quid aliud quam se ludos po-  
pulo,

Deliciasque facit? Quod quidem huic homini stulto

Iam jam est eventurū, ubi deceptus à piscina redierit

Miser. *Ign.* Arbitraret id futurum,

Nisi audivissem ab eodem illo Iesu alia etiam

Prodigiosa esse exhibita miracula. *Mel.* Quæ sunt  
istæ? *Ign.* Ab.

Quasi nescias, Paralyticum dico sanatum, qui malo

I s

Isto

Isto annos discruciatuſ fuerat plurimos.

Præterea hominū millia paucis panibus, atq; exiguo

Obſonio exaturata affatim. Et aquam inſuper

In vinum commutatam in nuptiis. Quid, an

Non hæc divina quadam viſtute ab eo effecta.

Videatur? *Iud.* Minimè herclè, cacodæmonum.

Ope illa fecit: hos ſibi habet amicos, &

Familiares, atque adeo adiutores ſibi: ut pote

Ex illorum grege proſectus. *Ign.* Id equidem ali-  
quoties

Illi objecitiſ. Sed quid ipſe? an obmureſcebat ad ea,

Haudquaquam proſectò. Verum os obturabat

Vobis planiſſimè. Adeo ut præ pudore cedoretiſ.

*Troch.* Nihil invenientes, quod reſpondere poteratiſ.

Atque huius rei ego ocularuſ ſum teſtiſ: aderam.

Enim, & pudebat me veſtri: nihilominuſ.

Tamen non acquieſcitiſ.

*Troch.* Pereſtinacia, ut mihi videtur, excœcatiſ

*Mel.* Apage, nihil nobiſ. commerciij tecum

*Troch.* Eſſe volumuſ, cum à ſcelerato illo ſtare videariſ.

*Ign.* Ut lubet. Nihil & ego voſ moror.

### ACTVS II. SCENA I.

#### TYPHLYS, IGNATIVVS.

*Lambici.*

**D**um immortalẽ, æquiſ me vivit fortunatiõẽ

Atque adeo venuſtatiſ. voluptatiſque pleniorẽ

Nemo herclè quiſquam. Nam Deuſ

Poteſtatem in me hodie plane oſtendit ſuam.

*Troch.* Sed quæ ego nova video prodigia? quæ miracula?

Nunquam ante viſa mihi? itaque adeo ne cogitata.

Aut animo concepta unquã? O cœlum, o terra, quam

Voſ aſpicio lubenſ! Quæ ideo jam eſtiſ gratiſſima,

Quod hætenuſ ignota fuiſtiſ mihi. Præ gaudio.

Neq; ubi ſum, neq; quid agẽ, neq; quid loquor ſcio.

*Troch. 2.* Oh, cui unquam in viã quicquam accidit feliciuſ?

Aut quiſ me nunc non beatuſ prædicet?

Facieſſat ægritudo, valeat mœror, omneſque

Ec-

Cedant curæ, iam nihil posthac intervenire  
Poserit, quod hoc mihi gaudium ex animo eximas.  
Sed, quid? nemo gestientem me videt?

Troch. 2.

Nemo gratulatum accurrit?

Ig. Reviso quomodo illi cæco cesserit

Res: quem nunc à piscina rediisse, aut jam jam

Rediturum existimo. Sed nisi mihi oculi

Hallucinantur, video eum huc accedentem:

Atque adeo sine ductore: nam illum haud ducit sed  
sequitur puer.

Deus bone! quam ego rem novam conspicio! Ibo

Et obviam, atque compellabo. Ty. Eho populares,

Accedite sodes, ut videatis, quæ mihi præstitit Deus.

Ig. Ehem, quid gestis, aut quid lætus es mi homo?

Ty. Quid hærus sim rogas? Sed ausculta obsecro.

Quis tu sis nescio, ac me, ut opinor, ante novisti,

Et conspexisti sæpius.

Ig. Novi equidem cæcum quemdam, tibi non dissimilem,

Quem apud templum sedentem, & mendicantem

Vidi frequenter. Ty. Is ego sum ipse, o bone,

Tunc oculis orbarus vivebam miserè: nunc

Visu accepto, nullam hominem me feliciorum cen-  
seo. Ig. O

Admirandam divini numinis potentiam!

O prodigium ante hac auditum nunquam! Ego te  
vidicentem

Ad piscinam cæcum, nunc redeuntem, bone

Troch.

Deus, quem qualemque video? Ty. Amice dicam:

Conspicientem atque perfectè inluentem

Omnia. Qua quidem voluptate

Nihil mihi potest esse gratius. Ig. Credo,

Troch.

Idque tibi contigisse ex animo gaudeo.

Næ ille divina virtute præditus

Est homo, qui quod neque auditum, neque

Visum est unquam, præstare potuit. Ty. Id quidem

Ha id dubium est mihi. Nunc recta me ad parentes  
confero,

Quon



Quose ego jam jam deliburos reddam gaudio,  
 Simul ac apertis oculis me omnia intuentem, atque  
 Cognoscentem videbunt. *Ign.* I sane, ut tu illis nun-  
 cium

Adferes lætissimum.

Ego ad forum hinc eo : deinde alio :

Per totam urbem hoc ut dispergam prodigium. Atque  
 Oportunè huc video accedentes Iudam , & Mel-  
 chiam

Nullos æque atque hos nunc mihi cupiã dari obvios.

ACTVS II. SCENA III.

IUDAS, MELCHIAS, IGNATIVS.

*Iambici.*

Troch. 3. **N**unc verba sibi data, osque sublitum cæcus  
 Ille novit optimè. *Mel.* Illudetur passim ab om-  
 nibus,

Et meritò, qui isti impio seductori sibi  
 Parendum arbitratus est. Sed video Ignatium huc  
 Venientem, quem offensi missum faciebamus modo.  
 Quid homini acciderit nescio; lætus est, & huc  
 Ad nos accedit. *Ig.* Appellabo ego eos prior.

Troch. *E*ho boni viri, etiam nunc Iesum illum spernendum,  
 Aut accusandum vobis arbitramini?

*Mel.* Quid ita : cedo. *Ign.* Hoc equidem primum  
 Hominem ego

Illum divinum esse existimo, quem vos odistis, &  
 Hactenus estis persecuti. *Iud.* Ah, quid sibi  
 Hæc vult oratio? *Ign.* Cæcus ille à piscina reversus est  
 Oculis apertis perfectè videns, atque  
 Cognoscens omnia. *Mel.* Næ tu mihi parum videre  
 sobrius

*Ig.* Quid ita? *Mel.* Quia neque verum, neque verissi-  
 mile est,

Quod prædicas. *Ig.* Immo nihil verius. Ipse hominem  
 Vidi, atque adeo cum ipso locutus sum diu.

*Iud.* Erras profecto : alius is, quem vidisti,  
 Fuit. Cæco isti oculi aperientur nunquam. *Ig.* *Quin*  
*Eun-*

Eundem istum, non alium vidi, & visu præditum  
Compellavi, atque oculis probè utentem suis.

Troch.

*Ind.* Fabulæ sunt, quas adfers, quibus

Ego fidem minimè habendam puto, *Ign.* Tun' fa-  
bular

Me adferre dicis? Nihil eo unquam reperietur verius  
Aut certius. Sed satis hic sum moratus diu. Ab eo,  
Totumque perambulo oppidum

Hoc tam prodigiosum factum narraturus quibusli-  
bet.

ACTVS II. SCENA III.

IVDAS, MELCHIAS.

*Iambici.*

**A** Bije tandem, atque utinam revertatur nun-  
quam.

Invisus ille, atque odiosus homo nobis hoc

Totò occurrit die. Sed est quod te rogem

Melchia. *Mel.* Quid cedo? *Ind.* Verumne tu isthuc  
esse

Credis, quod ille nobis persuadere conabatur?

*Mel.* Nequaquam. *Ind.* Neque ego ita esse puto: Et  
tamen

Troch.

Quia ipse se illum vidisse ajebat, magnus mihi  
Scrupulus est injectus. *Mel.* Facessant scrupuli.

Si omnino videt ille cæcus, quod tamen

Minimè ita esse arbitror, non id divina ope,

Sed ex codæmonis astu illi contigit. Per hunc

Ille sua exequitur omnia. *Ind.* Idem & mihi videtur:

Nam homo improbus est ad concitandas turbas,

Atque tumultus movendos natus. Quem nisi

E medio sustulerimus, magnum herclè nobis

Pariet malum. *Mel.* Huc ut omnibus

Troch,

Viribus incumbamus necesse est. *Ind.* Hac in re

Bonam me spero navaturam operam. Et quo pacto

istud fieri

Solet, probè calleo. Neque id factu difficile erit

Nobis, cum adiutores habituri sumus plurimos.

Omnes

Omnes enim nostri illum oderunt : atque ob id  
E medio sublatum volunt.

*Mel.* Id certe fiet propediem. Et nisi fiat, perijmus. &  
Plane ætæ erit de nobis. Quando eo

Omnes ipsius conatus tendunt, ut nostra  
Auctoritate ac dignitate sublata,

Ipse novam in has regiones religionem  
Inferat: atque adeo populi se regem faciat.

*Jud.* Non multum abesse mihi, quod dicitis, à verò

Videtur Melchia : audio enim discipulos illius  
Inter se dicere, eum esse Messiam, Prophetarum  
Sacrorum oraculis olim promissum nobis.

Quod si semel populo fuerit persuasum, omnes  
Majorum nostrorum ritus, omnesque ceremoniæ  
Spernentur, atque pedibus conculcabuntur

**Troch.**

A quibuslibet. Interim nos contempti, & sine

Honore ullo cuncti vivemus. Id ne eveniat, an

Non in tempore providendum est nobis ? *Mel.* Est.

**Res**

Enim nullam patitur moram : nam principijs

Est obstandum. Quod si nos ociosos cessare,

Aut languere intellexerit, continuo aderit ferocior,

**Troch.**

Suorum, quos corrogat undique, confusus multi-  
tudinē.

*Jud.* Quò magis rem mecum perpendo, hoc periculū

Puto nobis impendere gravius : itaque ut huic malo

**Troch.**

Remedium statim queramus, imprimis est

Opus. *Mel.* Agedum, laudo consilium tuum. Eamus

Nunc intro, & super hac re civitatis principes

**Troch.**

Consulamus : præterea eorum sacerdotum ordinem

Quos, quo volumus, facile impulerimus. *Ju.* Placet.

**ACTVS II. SCENA IV.**

**SIMON, TYPHLVS, ANNAS.**

*Iambici.*

**D**um immortalem ! quod ego novum video spe-  
ctaculum,  
Siccine te à cæcitate liberatum esse

**Filius**

Fili? Quis unquam in vita tale, & tam mirum vidit  
Prodigium. Ty. Nemo unquam pater  
Atque id mihi nunc primum accidisse, multo  
Omnium est gratissimum.  
Oh, quibus ego verbis hanc meam felicitatem pro-  
loquar,  
Quæ ex improvise, & præter omnem opinionem  
accidit

Mihi? Tum maxime quibus præconijs,  
Et laudibus illum celebrabo, qui tantum in me  
Contulit beneficium? Id quidem scio nihil  
Me unquam tam magnifice quicquam dicturum,  
quod

Non illius erga me superet munificencia:  
Qui me ex morte in vitam revocavit Non enim  
Nisi mors vita illa, quam vixi hætenus,  
Erat appellanda. An. Credo fili: & propterea magis,  
Tibi gratulamur: atque nobis etiam, qui ex  
Gravissima miseria & calamitate te exemptum  
Conspicimus. O Deus! serva obsecro hoc nobis  
Gaudium. Sim. Mi fili, quantum moerorem mihi  
tua

Cæcitas ante attulit,  
Tantum nunc in animo percipio gaudium:  
Cum te tristissimo hoc incommodo video  
Liberatum. Sed quid obsecro

Troch.

Et reddemus, qui hoc tibi beneficium præstitit?  
Aut quo munere hanc erga nos compensabimus  
Beneficentiam? Ty. Nescio profecto: nil enim  
Vulgare debetur ei. Et quæ paupertas nostra sit  
Scio. An. De eo minime nobis laborandum arbi-  
tror:

Troch.

Nam audio hominem illum nulla expetere ma-  
nera,  
Parvo contentum. Sim. Audi & ego illud. Tamen  
etiam

Atque etiam erit nobis videndum, ne culpam  
Ingratitudinis, quâ nullum detestabilius

Vitium

Vitium esse censeo, incurrisse videamus.

**Troch.** Si gratiam ei referre haud possumus, agere  
Certè possumus: idque prima oblata occasione  
Nobis faciendum existimo. *Ty.* Ita quidem docet.  
*Sim.* Eamus nunc intro: & Deo inprimis pro tam  
Insigni, & inaudito in nos beneficio gratias  
Agamus. *Typh.* Rectè, atque pie. *Sim.* Praecedo, se-  
quimini.

## ACTVS III. SCENA I.

CLEOPHAS, IGNATIVS.

*Iambici.*

**M**ira atque prodigiosa sunt, quæ commemoras  
Ignati. Sed vide sodes ne in falsum me  
Conijcias gaudium; nam nihil est quod malim om-  
nium  
Quam hæc nunc verè à te dici. *Ig.* Age, age, se-  
quere

**Troch.** Me si ipse te ad eum deducam, ut videas, & loquen-  
tem

Audias: nam ubi habitat scio. *Cl.* Si id feceris,  
Gratissimum erit mihi. Cupio hominem intueri  
Oculatum, quem cæcum miseratus sum frequentius:  
Cupio cum eo colloqui, eique hoc tantum bonum  
Gratularier. *Ig.* Eamus ergo. Sed quid tibi  
Videtur de isto Iesu cujus ope visum  
Suum cæcus est consequutus? *Cl.* Plane divinum, &  
Quo vis homine præstantiorem istum esse censeo  
Huc ad nos à Deo missum. Talem & ego eum  
Esse arbitror: cum ea faciat, quæ humana arte aut  
Industria fieri nullo possunt modo.  
*Cl.* Est ut dicis, Deum habet adiutorem sibi:  
Nihilominus tamen nostri Pharisæi, atque  
Scribæ, nihil omnino his rebus commoti, pertinaci-  
bus;

Et obfirmatis animis illi adversari non desunt.  
*Ig.* An hoc tibi mirum videretur Cleophas?  
Oderunt hominem, ut pote qui similes illorum

Sancti-

Sanctimoniam passim reprehendit, eosque  
Traducit liberè. Viri illi habiti fuerunt hactenus  
Pietatis opinione reverendi: & tales etiam  
Nunc haberi se volunt.

Troch.

Ille autem fucatam istam, quam sibi induerunt,  
Personam, eis detrahit, & quales sunt, conspiciendos  
Cognoscendosque manifestè proponit omnibus  
Non sine magno ipsorum dedecore, ac ignominia.

Troch.

Hinc

Illæ lachrymæ. *Cl.* Probè intelligo: & idem  
Suspiciari læpius in mentem venit mihi,  
Honorem & dignitatem, in qua nunc sunt, ne amittant

Metuunt, & propterea quæ benè sunt facta, & quæ  
Laudem merentur, ut malefacta reprehendunt:  
Et semper sibi aliquid in ijs calumniandum existimant:

Quamquam nihil est quod dicunt, & propterea ad ea  
Quæ ille ipsis objecit sæpe, obmutuerunt torpiter.

Troch.

*Ig.* Nihil mirum: *pam veritatis* simplex est oratio: &

Fucus suo se indicio prodit. *Cl.* Id quidem

Verè dicis. Sed cum semper in egestatis ipsius

Factis causati sint aliquid, & hic etiam

Invenient, quod culpandum censebunt sibi?

*Ig.* Nihil, ut ego quidem existimo. *Cl.* Et tamen audio

Illos murrare aliquid. Quod tamen nihil

Est. *Ign.* Quid obsecro? *Cl.* Dicam. Sed nescio

Quem huc nobis obviam venientem conspicio.

Nisi oculi me fallunt, ipse est quem quærimus

*Ig.* Profectò is est ipse. Probè hominem novi.

Paulisper hic subsistamus, & opperiamur eum accedentem.

ACTVS III. SCENA II.

TYPHLVS. IGNATIVS, CLEOPHAS.

*Iambici.*

Saris diu domi defedi: in publicum  
Prodire nunc lubet mihi:

K

Ve

Ut me felicem videant, qui infelicitatem  
 Sæpe ante deploraverunt meam. Neque  
 Quicquam reticebo : atque hoc à quo mihi profectum est

Bonum , & quo pacto id consequutus sum , celabo  
 neminem. at

Troch.. Video non procul hinc stantes nescio quos , eos  
 Adoriar, atque compellabo. Ign. Viden' eundem esse  
 Cleopha ? cæcum illum dico mendicum. Cl. Est is  
 ipfus.

Ad nos huc accedit. Ig. Oh, benè  
 Se res habet. Nihil mihi potest evenire gratius.

Ty. Eho boni viri, novistis qui fui antea?

Cl. Probè : nimirum cæcus ille, non ita

Procul templo mendicare solitus. Ty. Benè

Dixisti : is sum ipfus. Cl. Pro Deū immortalē! quam

Ego novam rem intueor? Quoties ego te vidi

Cæcum? quoties tua calamitas doluit mihi?

Troch.. At nunc hanc tantam felicitatem ex animo

Tibi gratulor: Deumque oro, ut bonum hoc tibi

Troch. Perpetuum, atq; stabile esse velir. Ty. Habeo gratiam

Vir humanissime. Sed ubi ego nunc illum reperiam,

Qui oblitis luto oculis, ut viderem, auctor fuit

Mihi? Ille hujus mei inventor, perfectorque

Est gaudij. Huic uni acceptum fero, mihi

Quod evenit bonum. Et quanquam ea mea est pau-  
 pertas, ut

Illi pro merito gratiam referre nullo

Queam modo : tamen non committam, ut beneficij

In me collati immemor esse videar. Ig. id quidem

Ut facias æquum est : & nisi feceris, peccaveris

Gravissimè. Ty. Scio hoc, scio amice: & propterea à

Patentibus statim digressus, eum, ubi est,

Ut quaeram, prodii foras Et spero illum mihi

Obviam alicubi venturum Cl. Idem & nos spera-  
 mus valde.

Ty. Valere viri. Sed quo, aut qua ego nunc pergam  
 via;

Aut

Aut ubi hominem istum reperiam, profectò nescio:  
Quando illum neque novi, neque conspexi unquam.  
Sed

Video non ita procul hinc stantes, nescio.  
Quos. Ad eos ibo, atque rogabo, ut hominem istum  
commonstrent mihi.

## ACTVS III. SCENA III.

IVDAS, MELCHIAS, TYPHLVS.

*Lambici.*

**E**st ut dixi Melchia per totum hic rumor est  
Dispersus oppidum. Ad te eunti quod mihi  
Dixere, in ore est omni populo. Neq; quod remediũ  
Huic malo quæramus scio. Adeo hæc res consilia  
Mihi perturbavit omnia, *Mel.* Ego quoque quibus  
Modis obrurari vulgo poterit os, planè nescio.  
*Iud.* Reperiendum tamen, atque excogitandum erit  
aliquid.

Sed quisnam ille, quem huc venientem conspicio;  
videtur nos

Compellaturus. *Mel.* Hui quem ego istum hominem  
esse dicam?

Nescio quid mali animus augureretur mihi. *Ty.* Satis  
Hic substiti diu. Adoriar illos. Heus boni viri.

Oro ut, quæ paucis sum dicturus, audiat *Mel.* Quid  
Est? *Ty.* Cupiam mihi monstrari istum hominem,  
quem Iesum

Appellant. Id si præstiteritis, magnum me a vobis  
Confitebor accepisse beneficium. *Iud.* Quid cum illo  
Negotij est tibi? aut cur visum, aut auditum

Eum experis? *Ty.* Nihil profectò mihi esset gratus, *Troch.*  
Nihil jucundius, quam illum videre; quem  
Ego quovis honore dignum deputo? &

Gui gratias libenter egero. *Nel.* Quamobrem? *Ty.*  
Rogas?

Ille mihi aperuit oculos atque cæcitatem

Ademit. *Iud.* Quis tu igitur es? cedo. *Ty.* Quis? cæcus  
ille, quem



Apud templum sedentem, & mendicantem sæpe vos

**Troch. 2.** Conspexisse arbitror. *Mel.* Tun' is es? *Ty.* Is sum con-  
templamini

*Me,* an sim, nec ne. *Iud.* Videris esse : nihilominus ta-  
men

Te eundem esse ut credamus animum inducere non  
possumus.

*Ty.* Desinite obsecro dubitare viri : idem ego ille sum  
Mendicus, qui cæli luce carui hætenus,

Quam ut magno gaudio, ac voluptate viderem,

Effecit ille, quem nunc quæro. *Mel.* Ehem: quo abis?

Mane paulisper, & dic sodes, quo modo visum

Acceperis tuum. Nullisne est usus pharmacis?

*Ty.* Nullis plane : tantum lutum , quo ille mihi ob-  
leverat

Oculos, in piscina eluebam. Atque istuc simulacra fe-  
cisse,

Visum accipiebam protinus: quæque antea

Non videram, conspiciebam omnia. *Iud.* Mira sunt

Quæ commemoras. *Ty.* Sunt fateor, sed verissima.

*Iu.* At ubi tibi istum hominẽ quærendum existimas?

*Ty.* Hoc me nescire jamdudum dixi vobis,

Atque ideo orabam, ut cum monstraretis mihi:

Sed videor nihil apud vos effecturus: &

Nescio quos huc procul adventantes conspicio,

Ad illos accedam. Valere. *Mel.* Ah , quid properas?  
mane.

Ibimus una tecum: nam qui sin, me novisse existimo,

*Ty.* Eamus igitur illis obviam,

#### ACTVS III. SCENA IV.

ISACHAR, AZARIAS, MELCHIAS,

IVDAS, TYPHLVS.

*Iambici.*

**A** Ut me animus fallit, aut hic impostor magnum  
Aliquod nobis adferet incommodũ. Ille est, qui  
Turbas has excitat, & qui quæ certa habuimus ha-  
ænus

In

Incerta, atque infirma ut sint, efficit omnia.

*Aza.* Deus istum seditiosum perdat hominem, ad nos

Vexandos, atque cruciandos natum. Sed Iudam & Melchiam

Huc accedentes video. *Isa.* Video & ego. Verum ille tertius

Qui eos comitatur, quis sit nescio.

Eamus illis obviam, ac compellemus. Viri

Honorandi, salvere. *Mel.* Salve & tu *Isachar.*

Hem, tu quoque hic eras *Azaria.* *Aza.* Eram Sed quis

Ille? *Ty.* Oh, qui sis rogas? An ignoratis me,

Qui omni populo hactenus fui notissimus?

*Isa.* Ego hercle qui sis planè nescio. *Ty.* Cæcum

Illum atque publicum mendicum apud fores

Templi sedentem, an non vidistis unquam? *Aza*  
Vidimus

Equidem illum. Sed ad quid istud? *Ty.* Ah, rogas

Is ego sum. Contemplamini me amabò:

Troch.

Præter oculos nihil in me mutatum reperietis.

*Isa.* Vtinam verum sit, quod prædicas. Sed unde

Tibi ista profecta est oculorum commutatio?

Troch.

Vnde visus, quo caruisti hactenus? *Ty.* Ab homine

Ignoto, quem Iesum appellari audiui sæpius.

Quem utinam mihi contingat videre, & colloqui.

Troch.

*Isa.* Quid is fecit tibi? *Ty.* Frequenter jam dixi,

Et idem, si vultis, dicam denuo. Nam quod pulchrum est

Et profuit, repetere sæpius lubet. Oblinebat

Ille mihi oculos utque in piscina Siloë

Abluerem eos jubebat Quod simul fecissem,

Continuo apertis oculis intuebar omnia.

Quid hoc an non prodigiosum, atque inauditum

Facinus videtur vobis? Ego quidem non nisi divina  
ope

Tale quid quenquam efficere posse arbitror.

Troch.

*Iud.* Erras mi homo. Non ille talis est, qualem

K 3

Tu

Tu eum esse existimas. Patrem quidem Deum  
Haber in ore, & ab eo se huc missum prædicat,  
Sed commentum est merum. Nam si pater illi esset  
Deus,

Troch.

Vt gloriatur impudens nihil die sabbato,  
Quo cessandum ab omni opere est nobis,  
Sibi moliendū existimaret. *Isa.* Rectè tu isthæc Iuda,  
Nam apud majores quoq; nostros violare sabbatum  
Scelus habitum fuit gravissimum. Atque id non  
Humanum inventum est, aut commentum, sed Dei  
Præceptum, cui ut dicto obedientes simus, æquum  
esse arbitror.

Quod is nequaquam fecit hætenus: Atque ideo Deo,  
Non illi, quod tibi contigit, acceptum feres.  
Sed dic mihi sodes; quid sentis de illo? *Ty.* Oh, quid  
sentiam

Rogas? Prophetamagnus, insignisque vir

Troch.

Mihi videtur: cujus ego virtutem in me  
Expertus sum planissimè. *Axa.* Abi hinc, & quære  
illum

Troch.

Si is tibi quærendus videtur. *Ty.* Hoc quidem fa-  
ciam & eum

Me aliquando inventurum spero. *Isa.* Iamne abiit  
ille?

Et liberè hic nobis loqui

Quæ volumus licet? Enim vero aut animus me fallit  
Aut hic homo magnam nobis est excitaturus  
Tragœdiam: cujus conatibus improbis  
Nisi resistamus, video miseram hujus fabulæ  
Nobis expectandam esse catastrophem. *Mel.* Est ut  
diciis:

Et quo hæc res sit evasura metuo. *Axa.* Idem &  
Mihi curæ est maximè. Et tamen si salvi esse volu-  
mus,

Remedium adversus hoc malum inveniendum erit  
Nobis. *Isa.* Id equidem effectum reddam sedulo.

Eamus nunc intro. Vniversum nostrorum ordinem  
In crastinum diem jubebo convocari,

In

In quorum conventu super hac re consultabimus.  
 Quod quidem, ut opinor, magno ejus fiet malo.  
*Mel* Fiet procul dubio Atque ubi isthuc acciderit  
 Nullus erit, qui non meritis hoc illi evenisse  
 Sit dicturus. Quin laudabunt conatus nostros, quico Troch.  
 Sublato, consulimus nobis, *Isa*. Sic est, præcedo,  
 sequimini.

## ACTVS IV. SCENA I.

CLEOPHAS, IGNATIVS.

*Iambici.*

**R**Evise quid noster agat Ignatius, ut cum  
 Eo de hac re confabulet, quæ ut nullum hac no-  
 æ somnum in

Oculis perceperim, effecit mihi. Plurima  
 Occurrunt, quæ me diuersum trahunt. Magis  
 Tamen huc inclinatur animus, ut ea quæ facit  
 Hic Iesus, divina virtute potius, quam  
 Ope cacodæmonis fieri, ac præstari existimem.  
 Reclamant illi civitatis nostræ principes,  
 Et omnibus resistunt viribus, verum  
 Parum, aut nihil potius mihi videntur dicere.  
 At quisnam iste est, quem huc advenientem con-  
 spicor?

Nisi mihi hallucinantur oculi, Ignatius.  
 Est, nihil herclè potuit fieri opportunius.

*Ig.* Bonè Deus! quantus civitatem implevit rumor? &  
 Quam magna inter homines dissensio est. *Cl.* Propius  
 Ad illum accedam, ut quæ loquitur intelligam.

*Ig.* Quanquam insigne illud factum laudant plurimi  
 (Quod equidem summis est celebrandum præconijs)  
 Tamen totus Phariseorum, atque Scribarum  
 Ordo id omnib<sup>9</sup> vituperat, culpat, atq; calumniatur  
 Modis. *Cl.* Idem illum, quod me, sollicitum habet, sed  
 alloquar.

Hem Ignati, commodè mihi venis obviam?

Nam ad te ibam. *Ig.* Et ego ad te. Verum dic mihi so- Troch.  
 des quid tandem

Futurum existimas? Conspirant Pharisei,  
Consiliumque ineunt, atque omnem dant operam, ut  
hunc Iesum

Dolis fallant, laqueisque irretiant suis.

*C* In eo viros se præbent strenuos. Neque

Tam religio, quam invidia, odiumque eos stimu-  
lat,

Nam contra illum quod adferunt, id quidem

Leve, & nullus momenti esse cesso.

Nimirum istud factum esse sabbatho. Hoc solum

Est, quod calumniantur, & in quo disputant.

Et valde errant, mea quidem sententia.

Qui illum, qui, quamvis festo die, bonum,

*Troch.* Piumque aliquod exequitur opus, culpandum arbi-  
trantur sibi.

*Troch.* *Ign.* Hic tibi planè assentior, & tamen vereor,

Ne illi, qua sunt malitia, hominem fallacijs,

Ac technis circumveniant innocentem. Nam

Huc omne studium, omnem operam, omnesque co-  
natus suos

*Troch.* Conferunt, *C.* Verum dicis, Sed quænam ista est per-  
versitas,

Aut cæcitas potius, ut ab eo sibi metuant,

Qui ipsis consultum vult maximè?

*Troch.* Eum oderint, qui benè monendo, ac consulendo

Salubriter, optimè de illis meritis est hactenus?

Cæcus quidem fuit ante hic mendicus, sed oculorum  
illa erat

*Troch.* Cæcitas, mens visum habebat

Suum. Hi vero Pharisei, cum oculos habeant.

Apertos, animum pertinacia, atque malevolentia

Excæcarum habent. Sed quosnam huc, accedentes  
conspicor,

Pharisei, & Scribæ mihi videntur. Abeamus sodes

Hinc, Nolim mihi cum illis quicquam commercij

Esse. Ego quoque hoc hominum genus odi pessi-  
mè

**ACTVS**

ACTVS IV. SCENA II.

ISACHAR, JUDAS, SIMEON, ANNA.

*Iambice.*

**D**E cæci istius ad nos vocandis  
Parentibus, consilium probo; itaq; famulo meo  
id

*Troch.*

Dedi negotii, ut accersat eos huc ad nos.

*Iud.* Bene fecisti; ex illis enim facile  
Intelligemus, quod scire volumus, & de quo  
Laboramus! Namq; ut quod sentio loquar,  
Non arbitror hunc eorum filium esse, qui  
Visum se accepisse passim prædicat.

Sed video illos huc accedentes. Commodè,  
Atq; adeo in ipso tempore profectò. Hem viden'?

*Troch.*

*Isa.* Video & servum meum una redeuntem. *Iud.* Hic  
eos

Operiamur. *Fiat. Sim.* Non de nihilo est, quod Pha-  
risæi

Et civitatis principes,

Ad se nos vocaverint. *An.* Quæ ejus rei  
Causa sit, probè me intelligere arbitror,  
Neq; te latet, ut opinor, de quo nobiscum sint  
Acturi. *Sim.* Scio quid dicas: nimirum de filio.

*An.* Id ipsum, *Sim.* Eam rem, si scire volent, explica-  
bimus

Eis planè, atq; apertè, nulla circuitione

Vsi. Sed video ego illos non procul hinc consistentes

*An.* Sunt? certè sunt. Accedamus ad eos, ac comitèr  
Salutemus. *Sim.* Sic herculè faciendum est nobis.

Salvete viri honorandi. *Isa.* Salvete & vos. Sed  
Nostin' causam cur te una cum uxore ad nos jusseri-  
mus

Accersier; *Sim.* Non. Quanquam quid suspicari  
Mihî videor propemodum. *Iud.* Itane? *Si.* Ita. *Is.* Dic  
igitur

Cur vos huc à nobis vocatos arbitremini.

*Sim.* Nisi quid me fallit mens, rumor iste, qui de

*Troch.*

K 5

Nostro

Nostro per totum est dispersus oppidum ,  
 Vos commovit, ideoq; nos accersendos  
 Existimastis. *Isa.* Rem tetigisti, acu. Sed dicite  
 Mihi lodes, est ne ille vester filius,  
 Qui cæcus natus, nunc apertis videt oculis?  
*Sim.* Idem est. *Isa* Mira hercle narras. Quid tu mulier  
 quem

Eum esse dicis? *An.* Non alienum, sed meum :  
 Quem ego ex hoc concepi, & peperii. *Isa.* Neq; verum  
 neq; verisimile

Mihi dicere videmini. Sed unde hæc tam repentina  
 Illi accidit mutatio? *Sim.* Hoc quod scimus, ut  
 Indubitatum, certumq; testari possumus:  
 Nimirum eum esse filium nostrum, & cæcum  
 Fuisse natum: Sed quo pacto, aut per quem visum  
 acceperit,

Ignoramus planissimè,  
 Hoc ille vobis melius, certiusq; dicet, quam  
 Nos. Neq; enim puer est, ut quid acciderit sibi, ne-  
 sciat.

Vocate eum potius, & nos missos facite.  
 Ipse loquatur de se quæ novit. *Isa.* Vbi nunc est  
 Ille? *An.* Domi erat modo. *Isa.* Revertimini igitur  
 Istuc, ac dicite ei, ut huc ad nos absq; ulla  
 Veniat mora: namq; hic illum expectabimus.  
 Ehem, properate, quid statis. Abierunt nunc quidem  
 Illi, & veniet is fortasse. At ne nihil omnino  
 Efficiamus metuo. Loquentem enim illum audi-  
 mus antea,

Troch.

Neq; profectum est quicquam. Idem  
 Et nunc futurum existimo. Et tamen ut ab hoc  
 Iesu nobis caveamus, idq; in tempore ipsa res  
 Nos monet. Nam si cessare, aut languere  
 Cœperimus, hui, quantam fenestram illi ad  
 Audaciam aperuerimus. Quodcunq; lubebit,  
 Licere sibi arbitrabitur homo sceleratissimus.  
*Iud.* Sic se res habet, ut dicis. Confidentia  
 Atq; improbitas ejus nobis satis, superquo

Troch.

Nota

Nata est omnibus. At ecce huc advenientem, quē  
Vocari iussimus. *Isa.* Video. Huī tam cito?

ACTVS IV. SCENA III.

TYPHLVS, ISACHAR, JUDAS.

*Iambici.*

**Q**Uantum mihi negotii facessunt hi  
Pharisæi. Quando semel ijs apertè rem  
Omne commemoravi, quid est quod me revocant?  
An nunc negaturum me, quod dixi antè, existimant?  
Prohibeat hoc Deus, Sed video eos  
Hic stantes, accedam. Eho sicine me revocandum.  
Putastis, quem parum amicè hesterno rejecistis  
Die? *Isa.* Ita visum fuit nobis. Nunc serio  
Adeā, quæ percontabimur, fac ut respondeas.  
Quid ille fecit, aut quomodo oculos tibi  
Aperuit? *Ty.* Vah, ridiculum: Heri satis dilucidè  
Vobis commemoravi omnia, non necesse igitur  
Esse puto, ut eadem hic narrem denuo. Nihil  
Enim vobis à me requirendum arbitror amplius,  
Si sincero animo percontamini, ea quæ  
Dixi, sufficere debent vobis. Sin aliud  
Est, quod vos movet, eandem cationem  
Ut recantem, haud facile me induci pariat,  
Quod si rem ob id inquiritis exactius, ut ejus  
Disciplinam sequamini, per quem Deus  
Tanta operatur, & cuius ego virtutem in me  
Sum expertus, laudo. Sed aliud est quod vos sti-  
mulat.

*Troch.*

*Troch.*

*Isa.* Apagesis. Quid hic vult mendicus sibi?  
Tu huius hominis sis discipulus, nos talem detesta-  
mur

Magistrum, utpote Moſis discipuli: cum quo Iesus iste  
Nequaquam est conferendus. Moſen quondam cum  
Deo

Locutum certò ſcimus: itaq; quicquid ab  
Illo nobis est præſcriptum, religioſè  
Obſervandum cenſemus. Iſtum autem alterum

*Ve*



Vt audiamus, minimè nobis expedit :

**Troch.** Neq; est necesse, cum unde profectus sit, planè  
Ignoremus. *Ty.* Divinam suam potentiam  
Satis superque tum in me, tum in alijs multis  
Sæpe ostendit. nihilominus tamen vos etiam nunc ei

**Troch.** Aures ocluditis, quin quod pie factum est, uti  
Malefactum calumniâmini. Sed est quod vos rogè, an  
Deum hominis improbi vota, aut preces exaudire  
Putatis? Id quidem nemo mihi facile persuaserit,  
Verum qui ipsum religiosè, ac pie colit,  
Eiusque præceptis paret, eum audit, ut ego  
Quidem arbitror. Quod si Deus

**Troch. 3.** Per hunc Iesum cæcitatem mihi ademit,  
Quamquam divinæ totum hoc acceptum ferri  
Debet munificentia, tamen Deo  
Gratus, & amicus sit oportet. quo ministro  
Tam insignè beneficium præstitit mihi.  
Neq; enim vulgare, quod in me factum esse videtis,  
miraculum

**Troch.** Est. Prodigia quidem multa olim maioribus  
Nostris spectanda exhibuit Deus:  
At non per improbos, sed sanctos, ac pios viros:  
Verum quis obsecro fuit  
Unquam, qui hominè à nativitate cæco  
Aperuit oculos? & depulsa perpetua  
Nocte, lucem infudit? quod nisi hic  
Iesus profectus esset à Deo, nisi  
Divina virtus illi adesset, nihil profectò  
Posset istiusmodi. Dei  
Enim ope, non humana hoc mihi præstitum est inda-  
stria. *Iud.* Ah,

Tacè impudens. Tu qui in peccatis natus es  
Totus, quiq; homo vilissimus es, atq; omnium  
Rerum imperitus, nos docebis? O facinus,  
Indignum! In malam hinc abi cruce

Furcifer. Næ tu hæc magno tuo malo  
Dixisse scies propediem. *Ty.* Nihil ego vestras minas  
moror.

**ACT.**

**D**Eum immortalem ! quanta est in ijs animi obfirmati

*Troch.*

Pertinacia, quos nova hæc superstitio,  
Atq; hæresis corripuit? *Id*, Id hercle quotidiana nos  
Abunde docet experientia. Nōne videmus homines  
Simulac huic impostori auscultare cœperint,  
Ita mutari: ut non agnoscas eosdem esse?

*Isa* Tales ego novi plurimōs,

*Troch.*

Et plures erunt brevi, nisi

Cohibeamus, atq; adeo plane tollamus, &

*Troch. 2.*

Radicitus extirpemus pestiferum hoc hominum genus, à quibus

Nisi nobis caverimus, certum exitium uniuerso

Nostro est oriturum Ordini. *Id*. Vere isthæc à te dicta sunt

Isachar: & quo hæc res nobis evasura sit,

Nimis vereor. *Isa*. Agedum, malo

Nodo malus nobis quærendus erit cuneus.

Idq; ut tandem faciamus, ipsa res, ac tempus nos monet,

Nam nimia nostra erga illos indulgentia hoc

Nobis peperit incommodum: Itaq; pessime

Eo pacto in rempublicam consulimus,

*Troch. 2.*

Qui tam leni animo nos esse ostendimus

Hactenus. Nunc itaq; expergiscamur, &

Quod ante lenitate est commissum, severitate

In posterum compensemus. Nam improbis

Hominis huius seditiosi conatibus

Vt obistamus, omnino est necesse. Idq;

Adeo quam fieri poterit ocyssime. Deteriores enim

Omnes sumus licentia,

Quam nisi ei, eiusq; discipulis adimamus, quicquid illis in

Mentem venist, volent: neque

*Id*

Id pravam, an rectam æquam, an iniquam sit cogitant.  
bunt.

Quodcumq; lubuerit, sibi licere existimabunt

Homines nequissimi. *Iud.* Est ut dicis Isachar.

Quapropter dum licet, atq; consulendi tempus est,

Perniciosissimum huius cohibeamus

Inceptam: ulciscamur eum, qui exitium nobis

Molitur omnibus. Atq; adeo perdamus

Totum illum sceleratorum, atq; impiorum hominū  
gregem.

**Troch.** *Isa.* Ita fiet. neq; enim conquiescam unquam, neq; desinam

Donec hoc perfecero. *Iud.* Eho laudo: isthuc tene.

*Isa.* Ego, quod in illos me facere dignum est, invenero

Intro nunc concedamus, *Iud.* Ubi voles. I præ, sequor.

### ACTVS V. SCENA I.

#### IGNATIUS, CLEOPHAS.

*Iambici.*

**O** Homines perversos, ac pertinaces! Cum

Tam multis miraculis, & prodigiis

**Troch.** Iesus hic Deum sibi propitium, atq; adiutorem

Esse manifesto declaraverit: nihilominus,

Tamen totus Phariseorum & Scribarum

Ordo in fontem, atq; hominem pium omnibus

Insectatur modis. Ah, itane fieri oportet? Quid

Tibi videretur Cleopha? *Cl.* Dicam hic liberè,

Quoniam tutò licet, & soli sumus. Ego & ea

Quæ aliis ante, & potissimum quod nunc huic præstitit

Cæco, non nisi diviño auxilio eum fecisse jamdudum

Persuasi mihi. Quis enim homo tale quid

Effecit unquam. *Ig.* Nemo certè. Quare moliantur  
quod

Volent calumniatores isti improbi,

Nihil tamen invenient in eo, quod culpæ aut reprehendere

Jure queant. Nugæ sunt, & frivola, ac planè

**Absur-**

Abſurda, quæ adferunt. Quoniã factũ tam præclarũ,  
 Atq; inſigne inſiciari non poſſunt ex ſabbato  
 Violato ſibi ſumunt calumniam. Sed audiſtin'  
 Quanta confidentia ijs ſe oppoſuerit ille, cui  
 Ieſus aperuit oculos? *Cl.* Non, ſed narra obſecro,  
 Nam audire geſtio. *Ig.* Non ſolum apertè apud  
 Ipſos confeſſus eſt, à nullo ſe niſi à  
 Jeſu hoc accepiſſe beneficium, ſed ſevera  
 Inſuper oratione intrepidè, quicquid ab  
 His obijciebatur confutavit. *Cl.* Oh, quid audio?  
*Ig.* Planeq; illis os obturavit. *Cl.* Benè, ita me  
 Deus amet, factum, gaudeo. *Ig.* Quo res evaſerit  
 Audi. Cum veritate convicti, nihil  
 Haberent, quod reſponderent, mendicitatem homini  
 Obijciebant ſuam. *Cl.* Ridiculum. *Ig.* Sceleratum etiã  
 eum

Eſſe dicebant, & in peccatis natum  
 Præterea indoctum, atq; omnium rerum imperitum. *Troch.*

Ut in

Pauca conferam, pudore tandem affecti,  
 Iraque concitati, illi liberaliter *Troch.*  
 Eum rejecerunt, dira minantes, *Cl.* O impium  
 Hominum genus! At quis eſt, quem huc accedentem  
 conſpicio?

*Ig.* Vbi? *Cl.* In ultima iſthac platea. *Ig.* Video. Sed quem  
 eum

Eſſe arbitraris? *Cl.* Eundẽ de quo hic loquimur. *Ig.* Is  
 Eſt certe, nihil potuit accidere opportunius.  
 Appellabimus eum, ubi propius acceſſerit.

ACTVS V. SCENA II.

TYPHLVS. CLEOPHAS. IGNATIVS.

*Iambici.*

**A**N, quam me illi Phariſæi rejecerunt contuma-  
 citer!

Quam atrocita ſunt minati? Verum parvi ego  
 Minas illorum facio. *Cl.* Audin' quid dicat, *Ign.* Pro-  
 pemodum.

Taceamus, ut audiamus cætera. *Ty.* Ex ſua quidem

*Syna-*

Synagoga me ejecerunt, quid tum? a Deo  
 Me non rejectum existimo, qui tantum beneficium  
 Præstitit mihi. *Cl.* Nunc plane quæ loquitur audio  
 Ty. Sed quidnam sunt isti? Non prævideram  
 Eos, compellabó: nam non omnino ignoti sunt mihi  
 Quando ante cum illis sum locutus. Salvere  
 Viri. *Ig.* Salve & tu. Sed quo pacto tibi res successit  
 Cum Phariseis? de eo enim adveniens videbaris  
 Dicere aliquid. Ty. Facessant Pharisei & Scribæ, im-  
 pium

Hominum genus, aliud nunc ago. *Cl.* Quid sodes?  
 Ty. Quærendus

Mihi est Iesus iste, quem invenire non potui hæten?  
 Dicite mihi obsecro, vidistisne eum utpiam?  
 Aut si scitis, ut sit, oro ut monstretis mihi.  
 Nam nihil malim, quam eum videre. Neq; videre  
 Solum, sed pro tam insigni erga me beneficio  
 Gratias illi agere, & adorare insuper.

*Ig.* Amice, gaudeo non solum corporis,  
 Sed mentis insuper tibi apertos esse oculos,  
 Namq; hoc ex oratione tua mihi deprehendere  
 Videor: quæ ut cuiusq; est animus, declarat maxime.  
 Ty. Quid vobis dicam viri? Non solum visum accepi,  
 Sed totum me intus commutarum sentio.

*Cl.* O hominem felicissimum! Ty. Sed dicite  
 Amabo, ubi me Iesum istum inventurum arbitramini  
 Abunde nunc quidem sum fœlix, at tumdemum lon-  
 ge me

Putabo felicissimum,

Vbi conspiciendi, & adorandi illius mihi  
 Data erit copia. Agite dum, adjuvate me obsecro, &  
 Per totum eum quæramus oppidum. *Ign.* Quam  
 quam est

Quod agam domi, tamen libenter tibi mea  
 Suo veniam opera. *Cl.* Ego quoq; una eo:  
 Et spero nos cum inventuros alicubi.

ACT

ACTVS V. SCENA III.

JESVS, JOANNES, PETRVS.

*Iambici.*

**Q**uanta, & quam pertinax Phariseorum sit contumacia,

Quantaque impietas, audivistis modo. Sed ille laudandus

Est, & dignus eo, quod consequutus est,

Beneficio: qui divinam in se gratiam

Agnoscebat, impiis illis confidenter se opposuit

Calumniatoribus. A quibus etiam si est rejectus,

Deum tamen propitium habet sibi. Et ex commercio, ac

Communione hominum improborum si quis ejicitur

Non ignominia afficitur, sed laudem potius

Consequitur. Nam ut bonis probari, ita malis displicere

Laudabile est, & quem impii oderunt, Deo charus

Est. Itaque gratiam hominum contemnendam existimate,

Et adnitimini, ut divina vobis

Opituletur benignitas: cujus subsidio quaslibet

Malevolorum hominum molitiones, conatusque

Declinabitis facillime. *Ion.* Verissimum

Esse illud, quod dicis magister, sæpius

Re ipsa experti sumus. Sed nescio quos huc

Venire conspicio. *Pet.* Inter illos est, nisi

Fallor, cui tu oculos aperuisti Domine.

Et de quo hic nobiscum es locutus. *Ies.* Is

Est ipse. Subsistamus paulisper, eumque opperiamur

Accedentem: nam me quærit, meque sibi dari expetit.

ACTVS V. SCENA IV.

TYPHLVS, CLEOPHAS, JESVS, MELCHIAS.

*Iambici.*

**Q**uid isthuc esse dicemus, quod cum totum oppidum

L

Pet.

Petambulaverimus, nusquā illum invenerimus tamē  
*Cl.* Aliās quidem ille mihi sæpe obviam venit:

Atq; ideo cur idem nunc non sit factum, vehementer  
 Miror. Sed quinam isti sunt, quos non ita procul

Hinc consistentes video? Oh, amice, gaude habes

Hominem, quem quæris. Propè eū, eiusq; discipulos  
 Novi. *Ty.* Utinam verum sit quod prædicas. *Cl.* De eo

Quidem haud dubium est mihi. *Ty.* Quid igitur ces-  
 sas? Hem rape

Me ad eum sodes: nam nullus est, quem æquē con-  
 spexero

Lubens. *Cl.* Agedum, ad illum recta te ducimus via.

Sequere. *Ty.* Sequor. Sed hoc primum dic sodes, quis

Eorum sit, qui oculos aperuit mihi? quo tanti in me

Collari beneficii auctorem cognoscam, & ut

Æquū est, venerer. *Cl.* Eum ego tibi monstrabo, ubi

Propius accesserimus. *Ies.* Ad nos huc properat. Ob-  
 viam

*Troch.* Illi procedamus. *Cl.* Ipse huc se convertit.

*Ty.* Dic, inquam, quis sit, quē quæro? *Cl.* Quietus, ut

*Troch.* 3. Sis oro, jam jam scies. *Ies.* Eho, accede propius

Huc ad me o bone: est quod te rogem

*Ty.* En adsum, & lubens quidē. *Ies.* Credisne in filium

Dei? *Ty.* Credo vir reverende. Sed eum nondum

Novi: itaq; rogo, ut quis is sit, commonstres mihi.

*Troch.* *Ies.* Quem videre optasti; & quem quæxivisti,

Et qui nunc loquitur tecum, ipse est, qui tibi oculos  
 Aperuit, & in quem credere

*Troch.* Te oportet. *Ty.* Credo credo mi Domine, teque Dei  
 filium

Esse, ad genua tibi supplex accidens, confiteor, &

Agnosco lubens. Eho sicine te tandem

Reperi, quem per totam urbem quæxivi hætenus;

Oh, divine vir, fili Dei, mearum

Omnium voluptatum inventor,

Atq; auctor: quibus ego te nunc laudibus efferam;

Nescio certè. Vides in quibus sim gaudiis? Vides

Oculos planè esse apertos mihi? Nulla mihi res

Potest

Poterit tanta intervenire posthac, ut  
Ægritudinem pariat. *Ies.* Bene facis, qui beneficii  
Accepti memor, te gratum præbes. Arsurge  
Jam, & vide ut affectibus moderere. Nam ut virum  
Decet fortem, res adversas æquo pati  
Animo, ita Deo nihil displicet magis, quam si  
Quis dulci fortuna ebrius, se immoderate efferrat.  
*Ty.* Credo mi Domine, sed ut ignoscas obsecro  
Præ gaudio neq; quid facio, neq; quid loquor scio  
*Ies.* Humanum istud quidem, cum non vulgare sit,  
Per me tibi quod contigit.

Troch. 3.

Ego, qui lux sum mundi, huc ad vos veni, non aliam  
Ob causam, nisi ut invertantur rerum vices:  
Vtq; prodita, per lucem Evangelicam, falsa  
Fucatæ religionis specie, qui ante non  
Videbant, nunc videant, & qui vident, visum  
Perdant suum. Cæcus quidem corpore fuit  
Hic: sed animi cæcitas, qua hoc tempore  
Correpti sunt plurimi, vitium est multo gravius  
*Mel.* Ohe, quid ais? Num & ego, & nostri ordinis ho-  
mines

Troch.

Troch. 2.

Cæci sumus? *Ies.* Si cæcitatem mentis  
Agnosceretis, remedium vestro morbo facile  
Reperiri posset. Nunc quando a vitio illo vos  
Alienos, & multo aliis sapientiores  
Esse creditis, nullo modo sanari  
Potestis. Hic cum cæcus esset corporis  
Vitium agnovit, & propterea lucē est consequutus.  
Hominum vulgus, in erroribus  
Vobiscum versans, conspectis miraculis, meisq;  
Auditis sermonibus. Evangelicæ veritatis  
Lucem, amora mentis caliginē, cupidē  
Amplectuntur. Vos autem cognitione legis turgidi  
Atq; arrogantes, cum oppugnatis legis auctorem,  
Planē estis cæci, totaq; erratis via.  
Populus citius visum accipit, quia facile  
Induci potest, ut se minus  
Perspicacem esse fateatur,

Troch. 2.

Troch.

Troch. 2.



Erroremq; agnoscat suum: atq; ideo quæ in illis est  
 Caligo, ruditas potius est appellanda,  
 Quam malitia. Cæterum vos, qui quovis cæco  
 Cæciores estis, & nihilominus doctores

**Troch. 2** Plebis esse vultis, id est cæcorum duces,  
 Adeo cæcutitis, ut qui vobis remedium  
 Adhibere paret, nihil agat. Nam & ipsi lucem asper-  
 namini,

Falsaq; specie sanctimoniz  
 Alios seducitis, non hominum consulentes  
 Saluti, sed vobis prospicientes potissimum.  
*Mel.* Vah, quod ante dixi sæpius,  
 Idem nunc dico denuo. Homo es ad maledicendū, &  
 Convitiandum natus. Sed parum feliciter.  
 Ut auguror, hæc tibi cedit improbitas. Apage, tuæ  
 Virulentæ orationis

**Troch.** Jamdudum me cepit satietas. *Is.* Abiit ille? neq;  
 Mirum, nam quæ ex me audivit, ingrata illi fuisse o-  
 mnia,

**Ty.** Mi Domine, abeant qui volent. Ego si me reci-  
 pere

**Troch.** Digneris, tibi tuisq; me lubenter  
 Addixero: neq; à te nunquam recessero. *Is.* Euge,  
 benè facis,  
 Laudo. Sequere. **Ty.** Sequor, ac lubenter herculè.  
 Vos interim spectatores valere, & mecum plaudire.

**F I N I S.**

TR



# TERENTII CHRISTIANI PENTECOSTE.

*Actorum nomina.*

AZARIAS.	CAIPHAS.
HANANVS,	IACOBVS.
SIMEON.	IOANNES.
MELCHIAS.	ACHIOR.
PETRVS.	SYRVS.
ALEXANDER.	IOSEPHVS.
ANNAS.	

PROLOGVS.

*Lambici.*

**A** Lektionibus scholæ gravioribus,  
 Studijsq; severioribus ad tempus breve  
 Cum essemus liberati, in otio tamen  
 Ut planè versaremur, noster noluit  
 Didascalus. Novam itaq; hanc, & sacram suam  
 Nobis discendam, agendamq; dedit fabulam.  
 Neq; quisquam, ut opinor, hic adest, qui me sibi  
 Confutandum, vel reprehendendum cogitet,  
 Quod historiam, non profanis sed mysticis  
 Ex literis sumptam, appellare fabulam  
 Sim ausus. Ita ego illam nomino: sed sacram, & piam  
 Non talem, quales Ethnicorum fabulæ  
 Fuerunt plurimæ, lascivis ac turpibus  
 Plenæ probris: fœda meretricum, & adolescentium

L 3

Pa-

Palam narrantes crimina. Deorum quoq;  
 Adulteria, & incestus. Nihil tale hic sibi  
 Noster choragus exhibendum existimat:  
 Juventuri sibi commissæ, veluti decet,  
 Ac par est, consulens, Itaq; in scriptis suis  
 Spurcos & inverecundos jocos, cane  
 Pejus, & angue devirat. Sed eccum adest  
 Qui periocham comœdiæ quam hic acturi sumus,  
 Vobis narrabit, attentis quæso auribus,  
 Animisq; eum auscultate. Audito, & cognito  
 Argumento, facilius percipietis cætera.

## PERIOCHA.

*Iambici.*

**A** Postoli divino imbuti spiritu,  
 Linguis loquuntur variis. Quotquot audiunt,  
 Mirantur. Ebrios quidam illos asserunt.  
 Quos Petrus confutat. Tria hominum millia  
 Ad Evangelicam se convertunt fidem.  
 Sanatur claudus. Optimè meritis mala  
 Refertur gratia, Deinde gravibus minis  
 Interdicitur illis, ne Christum prædicent  
 Visquam: quos illi nihil morantur, Ad pedes  
 Apostolorum Josephus pecuniam  
 Profunda acceptam, effundit liberaliter.

## ACTVS I. SCENA I.

AZARIAS, HANANUS, SIMEON, MELCHIAS.

*Iambici.*

**D** Eum immortalem! quidnam hoc est novæ rei?  
 Nonne omnes hi loquentes quos audivimus  
 Dudum Galilæi sunt? *Ha.* Certè sunt. *Aza.* Quid igitur

*Troch.* Mihi accidit, quod, quæ loquebantur, planè intelligerem,

*Ha.* Ego quoq; nōstrates me audire existimabam.

*Sim.* Non illi suo sermone, sed nostro videbantur

*Vti, Aza.* Oh, quis tale quid factum unquam audivit?

*Haud*

*Hu-*

Humanum illud beneficium, at divinū esse arbitror. *Troch.*

*Mel.* Næ vos tota erratis via,

Ebrii sunt, ac musto pleni, hinc facundia

Illa. *Ha.* Non vinum, ut quod sentio loquar,

Sed aliud herclè eos disertos efficit.

Verum quid aut quale istud sit, me nescire fateor.

*Mel.* Vah, temulentia mera est. *Sim* Ne ita

Loquare ô bone. Nimis vile esset vinum, si ebrietas *Troch.*

Hominitale quid præstare posset.

Vidisti, & audivisti. opinor, ebrios

Loquentes sæpe. Dic mihi

Sodes, an tam prudenter, atq; sobriè

Loqui unquam vixi sunt tibi?

*Loquaces* ebrios videas multos, sed eloquentem

Nullum, Ex ore autem horum quæ proveniebant,

qualia

Et quam pia ac magnifica erant? *Troch.*

Quæ quidem animum plane commoverunt meum.

Itaq; divino illos spiritu afflatos puta.

*Az.* Idem & ego jam dudū persuasi mihi. *Ha.* Et ego

Neq; hanc opinionem à quoquā mihi velim eximi.

*Si.* Me quoq; si in diversam quis pellicere sententiam

Conectur, nihil agat: nam sana, quæ audiui, mihi visa

Sunt omnia. *Mel.* Oh, credite hoc mihi, erratis,

Erratis procul dubio. Quod ante dixi,

Idem nunc dico denuo: ebrii sunt, &

Musto impleri. *Aza.* Neq; verum, neq; verisimile

Mihi videris dicere. Sed egreditur unus

Ex illis, & huc accedit; videtur nos

Compellaturus Subsistamus hic sodes,

Illumq; si quid forrè est dicturus, audiamus,

*Aza.* Sequuntur & alij, quid sit futurum nescio. *Troch.*

ACTVS I. SCENA II.

PETRVS, AZARIAS, SIMEON, HANANVS.

*Iambici.*

**S**Equimini me fratres. atq; ad eos quos videmus hic

Stantes, eamus, illosq; alloquamur. Eho viri,

Quicumq; estis, adeste huc. & ad ea, quæ dicturus sū,

L 4

Aures

Aures accomodate attentas, dociles, atq; benevolas  
 Et rem, uti se habet cognoscite,  
 Id enim vestra potissimum refert. *Az.* Dic quod tibi  
 Placet: ausculturabimus libenter, tuaq; oratio (ut  
 Pro alijs etiam loquar) grata admodum nobis erit,  
*Pet.* Exordiar igitur. Hi Galilæi, qui apud  
 Me consistunt, non ebrii

*Troch.* Sunt profectò, ut quidam existimant:  
 Cum hora sit diei tertia: quo quidem  
 Tempore nullos, aut paucos admodum ebrios  
 In hisce nostris conspiciamus regionibus.  
 Sed quod per Ioelem vatem olim est denunciatum,  
 Id nunc accidit. Nam sic locutus est vir ille

*Troch.* Divinus, ac cœlesti afflatus numine:  
 Temporibus ultimis, inquit Dominus, meo  
*Troch.* Spiritu omne hominum genus perfundam largiter,  
 Nam vestri filii atq; filiar vaticinabuntur, &  
*Troch.* Juvenes, senesq; somnijs docebuntur,

Servi mei, atq; ancillæ numine  
 Concitati divino, admiranda prodigia  
 Denunciabunt. Sed priusquam hæc fient, plurima  
 Virtute mea exhibita conspicietis miracula, in  
 Cœlo, atq; terra: sanguine

Nimirum, & igne, fumidoq; vapore. Interim  
 Sol, qui omnia illustrat, caligine obscurabitur;  
*Troch.* Et luna sanguine, antequam  
 Magnus, atq; illustris ille Domini veniet

Dies. Quicumq; autem nomen Dei invocaverit  
*Troch. 2.* Salvus erit. Hæc ante tot secula nobis sacer  
 Vaticinatus est propheta

Joel. Nunc vobiscum ut rem perpendatis obsecro,  
 Quod de mittendo, atq; infundendo spiritu suo  
 Prædixit, palam hodie hic exhibitum vidistis.  
 Reliquorum quædam magno terrore exanimati  
 Tum conspiciebamus, quando in cruce  
 Jesus pendens, animam exhalabat. Quod autem

*Troch.* Restat, simili præstabitur fide. Atq; ob id  
 Nihil est quod desperetis: certam enim ille vates

Salu-

Salutis commonstrat viam,  
 Cum periculum denunciât, quin insuper  
 Addit, quid vobis faciendum fiet. Neque  
 Grave, aut molestum est, quod jubet,  
 Sed factu facile: Dei, ait, nomen implorate, &  
 Parata vobis est salus.  
 Porro quo pacto nomen Dei sit invocandum,  
 Audite nunc visi Israëlitarum. Multos ego  
 Inter vos esse existimo,  
 Qui novistis Iesum Nazarenum, quem Deus  
 Varijs sacrarum vatum oraculis olim  
 Promissum non ita quidem coram conspiciendum  
 Atque audiendum exhibuit nobis: miraculis,  
 Rebusque prodigiosè gestis, omnibus  
 His commendatum regionibus: atq; hæc ille omnia  
 Divina effecit ope, præsentibus vobis.  
 Quapropter non arbitror, necesse esse,  
 Ut hæc oratione longiori  
 Commemorem. Quis enim vestrum est qui ignorat  
 homines  
 Ægro, infirmoque corpore, ab  
 Ipso sanatos plurimos? cæcis suum  
 Restitutum visum? leprosos mundatos?  
 Ejectos cacodæmonas, atque adeo mortuos  
 In vitam revocatos? Nemo inter vos, ut opinor, est  
 Qui hæc, & multa insuper alia,  
 Ab eo facta inficietur. Notiora enim sunt, quam ut  
 queant  
 Negari. Talem igitur hunc cum nobis largitus est  
 Deus,  
 Non casu, aut fortuito, sed certo ipsius consilio,  
 Ad conservandum gentem Israëliticam,  
 Eum vos impiorum hominum opera  
 Comprehensum, cruciatibus ac tormentis gravissi-  
 mis  
 Affixistis. Neque eo contenti, in crucem, uri homi-  
 nem  
 Sceleratum, sustulistis innocentem.

Troch.

Troch.

Deus autem, quemadmodum illum vobis tradiderat  
Occidendum, ita, (quod divinorum vatum ora-  
culis

Eventurum multo ante prædixerat) in vitam tertio

Revocavit die. Nunc audire oro, quæ

De illo dixit David, cœlesti spiritu

Afflatus: Propositum mihi

Dominum ante oculos semper habeo;

Troch.

Atque illo propitio, & adiutore, nulla

Re commoveor; nec mens mihi

Eam ob rem solum gessit gaudio: at multo magis

Quod planè persuasum habeam, illum apud inferos

Animum non derelicturum meum, neque permissu-  
rum, ut is

Qui sua ei pietate placet,

Intereat unquam: sed commonstraturum illi potius

Rectam vitæ viam, ne aberret uspiam.

Fortasse sunt inter vos, qui hoc oraculum

Troch.

Ad Davidem potius, quam ad Iesum referendum  
existimant.

Novi ego quam magnificè sentiat

De illo vestro Patriarcha. In quo quidem

Reprehendendi nullo modo videmini mihi

Fuit ille certè vir pius,

Troch.

Sanctus, atque Deo clarus. Sed, ut de eo

Vestro patre loquar liberius, minimè illud est ei

Attribuendum, quod de Messia est dictum. Mortem  
enim

Troch.

Obiit David, & sepultus est,

Neque revixit unquam. Atq; id verum esse declarat

Ejus sepulchrum, quod etiam nunc est apud

Nos: in quo nihil, nisi ossa illius squalida,

Ac sicca supersunt. Verum cum esset spiritu

Divino illustratus, certoque crederet

Eventurum, quod Deus ipsi se facturum

Recepisset: nimirum Christum ex ipsius

Stirpe, secundum carnem oriturum, illumque fore  
immortalem,

Et.

Et perpetuò cum Patre moderaturum omnia:  
Non ad se vaticinium illud arbitratus est esse  
Detorquendum, sed ad hunc Iesum, qui mortuus  
Revixit. Atque hujus rei  
Nos oculati testes sumus: qui non modo  
Cum illo viva familiariter  
Viximus, & res ab eo prodigiosè gestas conspexi-  
mus,

Troch.

Sed postea cum à morte revixisset, vidimus  
Eum sæpe. Neque vidimus  
Solum, sed faciem illius agnovimus, tum vulnere  
Vestigia contrectavimus,  
Nobis itaque ut in hac re fidem habeatis, par, atque  
Æquum esse arbitror. Ab hominibus  
Quidem ad extremam dejectus est ignominiam,  
Sed à Deo ad supremam gloriam est erectus. Nunc  
itaque

Ab eo profectum est nobis beneficium,  
Plane novum, atque inauditum hactenus:  
Nimirum quod nos audiveritis linguis loquentes  
Variis, à vobis intellectis omnibus.  
Porro veluti ad Davidem, hoc quod dictum est ora-  
culum,

Troch.

Qui mortuus est, neque revixit, accommodari  
Nequit, ita multo minus reliqua videlicet  
De ascensu illius ad cælum, de confessu ad Dei  
Patris dexteram, de regno cœlesti,  
Quod in æternum illi est promissum, Id quoque  
quod David

Troch.]

In Psalmo loquitur mystico: Dixit Dominus Domi-  
no meo,

Sede ad dextram mihi, donec eos, qui tibi  
Adversantur, pro scabello pedibus subjecerim tuis  
Non de se est profatus, verum de Christo, Dei  
Filio, Iesu isto Nazareno quem in crucem  
Sublatum summam infamia

Troch:

Afficiendum vobis esse putastis. Quanquam ni-  
hil

Esse.



**Troch. 3.** Effecistis, operamque in eo lusistis omnem. Nam  
Revixit ille, atque in cœlum, unde venerat,  
Ascendit, nobis rem tam admirabilem  
Coram conspicientibus. *Sim.* Commovit nos tua  
Tam cordata oratio. Sed quid faciemus viri  
Fratres peccavimus graviter, & pœnam nos  
Meruisse fatemur. Quod factum est, in infectum red-  
di non potest.

*Pet.* Scio ego isthoc. Sed id non imputabitur  
Vobis, si verè peccati vestri vos pœniteat,  
Et sacro sancto baptismi lavacro in nomine  
Iesu abluamini. Quod ubi fuerit factum,  
Vobis gratia sancti infundetur Spiritus,  
Qua nos jam donatos conspiciamini,  
**Troch.** Neque nunc, qualia sint, quæ ante perpetravit  
Quisquam secum meditabitur:  
Sed hoc sibi persuadebit, totum esse gratuitum  
Quod largitur Deus, omnium  
Delictorum vestrorum planè oblitus. Ad  
Vestram enim gentem Ioëlis proprie pertinet  
Oraculum, quanquam & ad alios innumeros,  
quos

A vera religione nunc  
Alienos, Deus sua clementia, in  
**Troch.** Regni sui consortium  
Convocabit. Atque id ex verbis, quæ apud eundem  
**Troch.** sequuntur

Vatem, intelligitur facilè. Namque hæc subjicit:  
Quicumque invocaverit nomen Domini  
**Troch.** Salvus erit, itaque in mandatis dedit nobis Deus,  
Ut vobis primum hanc gratiam  
Denunciemus; ac deinde ut gentes quoque

**Troch.** Eodem invitemus: quibus ille salutis viam  
Per eandem fidem patere

**Troch. 2.** Voluit. Siquidem hoc munus non ex hominum me-  
ritis,

Sed ex Dei gratuita beneficentia,  
Atque liberalitate donatur nobis.

Nunc

Nunc itaque videre fratres, ut tam insignem, tamque obviam

Divini numinis in vos amplectamini  
Clementiam. *Ha.* Oh, jam dudum eam

Amplectimur reverende vir, atque peccasse nos poeniteret.

Nunc ergo quicquid tu posthac nobis præceperis,  
Exequemur sedulo.

Troch.

*Pet.* Hem laudo. Eamus jam intro: quæ ad salutem  
Porro vobis erunt opus, illic paragentur omnia.

ACTVS I. SCENA III.

ALEXANDER. MELCHIAS.

*Iambici.*

**E** Ho, quid tibi de eo videtur Melchia,  
Quod longiori oratione multorum  
Commovit animos, & quem sunt sequuti plurimi,  
Assentientes illi per omnia. *Mel.* Equidem

Quid dicam planè nescio:

Nisi hoc unum, quod auditu tibi minimè  
Erit jucundum: nimirum hac rem ad perniciem

Nostram pertinere, & ad exitium religionis,

Quam à majoribus olim nobis traditam,

Troch.

Inviolatam, atque incorruptam servavimus hæcenus.

*Al.* Metus ille tuus haudquaquam vanus mihi videtur:

Nam, nisi me fallit animus, id unum moliuntur

Homines illi, seditiosi, atque huc omnibus

Troch.

Incumbunt viribus. Quorum conatibus

Improbis nisi restiterimus, nisi eorum

Cohibuerimus audaciam, idque primo tempore,

Quam illi nobis tragœdiam, quas turbas, &

Tumultus concitabunt? *Mel.* Neque visos, neque

Auditos unquam. Nam operæ precium est herculè

Advertere, quod palam, coramque omni populo

Dicere non erubescant, Nazarenum istum,

Quem jure nos occidimus, Dei fuisse filium.

Et

Et Messiam sacrorum vatum oraculis  
 Nobis olim promissum: illumque tertio  
 Revixisse dic: atque in cœlum, unde venerat,  
 Reversum esse in super. Eho, quid videtur? an  
 Non seditiosa hæc est oratio?

**Troch.** Nonne talibus verbis invidiam, atque odium  
 Populi in nos facile concitent?

*Al.* Facillimè. Nam cui persuasum est, virum  
 Eum pium fuisse, & innocentem,  
 Atque adeo filium Dei, quem nos ut maleficum  
 • E medio sustulimus, quo animû illum esse, & futurû

**Troch.** In nos arbitraris? *Mel.* Pessimò herculè.

Atque ideo ne fides eis  
 In hac re habeatur, prospiciendum nobis erit

**Troch. 2.** Gnæviter. Atque id ni fecerimus, actum est: nihil  
 Nos morabuntur, ubi se superiores  
 Esse senserint. Atque ideo hæc res mihi curæ est ma-  
 xime.

*Al.* Et mihi quidem: nam de nostra omnium  
 Auctoritate, ac dignitate agitur: quam illi sibi  
 Planè contemnendam arbitrabuntur, simul  
 Ac victores evaserint.

Quod ne fiat summa nobis est adhibenda cautio.

**Troch.** *Mel.* Rectè tu quidem isthuc, itaque in hac re me liqu-  
 benter

Præstabo adiutorem tibi.

*Alex.* Hem laudo. Nunc ad civitatis principes,  
 Sacerdotesque concedamus, ut  
 Super hac re consilium una capiamus, quomodo  
 Et illos ulciscamur, &

Nobis caveamus in tempore. *Mel.* Placet, Præcede,  
 sequor.

## ACTVS II. SCENA I.

ANNAS, MELCHIAS, CAIPHAS.

*Iambici.*

**M**ira profecto sunt, quæ nobis intus narraſti Mel-  
 chia.

Quan-

Quamquam illa audiveram ante. Sed  
 Si vixero, nunquam istud impunitum  
 Relinquetur. Quin seditiosum hoc, atq; maledicum Troch.  
 Hominum genus eo redigam, ut neque quo fugiant,  
 neque

Vbi tunc delitescant, usquam sint locum  
 Inventuri. Quod ubi evenerit, merito  
 Id illis accidet, qui sibi quicquid lubet,  
 Troch.  
 Faciendum existimant. Atque id an æquum sit, an  
 Iniquum, nihil vident, nihilque pensi habent  
*Mel.* In illos & ego graviter animadvertendum ar-  
 bitror:

Quando id culpa commeruerunt sua. *Caip.* Istud her-  
 culè

Fiet propediem. Dormiunt.

At ego eos, uti merentur, excitabo sacrilegos.

Qui se nullis teneri legibus, nosque

Sibi contemnendos, atque illudendos putant.

*Mel.* Id ut facias, te dignum est *Caipha.* Planè enim  
 Troch.  
 Perijmus, nisi àudacissimum

Illorum cohibeamus incœptum, tantumque dede-  
 cus,

Ac probrum à nobis propulsemus, technis, ac dolis

Confuta illorum refellamus mendacia,

*An.* Eho, rectè. Quis enim ferat,

Quæ nobis obijciunt homines vilissimi?

Quos à retribus, telonioque impostor ille

Ascivit sibi. Qui nunc nescio qua freti confidentia,

Turbas atque tumultus passim excitant: novosque

Ritus commenti, religionem à majoribus

Nobis traditam, abolendam existimant.

Ridiculum, à illos prudentiores

Nobis esse arbitrabimur?

Qui divinas vel memoriter tenemus literas?

*Mel.* Facebant illi idiotæ, sacrorum mysteriorum

Planè rudes: nobisque ea explicanda

Relinquant, qui omnem ætatem in hoc studio con-  
 sumimus.

illi

Et Messiam sacrorum vatum oraculis  
 Nobis olim promissum: illumque tertio  
 Revixisse die: atque in cœlum, unde venerat,  
 Reversum esse in super. Eho, quid videtur? an  
 Non seditiosa hæc est oratio?

**Troch.** Nonne talibus verbis invidiam, atque odium  
 Populi in nos facile concitent?

*Al.* Facillimè. Nam cui persuasum est, virum  
 Eum pium fuisse, & innocentem,  
 Atque adeo filium Dei, quem nos ut maleficum  
 • E medio sustulimus, quo animû illum esse, & futurû

**Troch.** In nos arbitraris? *Mel.* Pessimo herculè.  
 Atque ideo ne fides eis

In hac re habeatur, prospiciendum nobis erit

**Troch. 2.** Gnauiter. Atque id ni fecerimus, actum est: nihil  
 Nos morabuntur, ubi se superiores  
 Esse senserint. Atque ideo hæc res mihi curæ est ma-  
 xime.

*Al.* Et mihi quidem: nam de nostra omnium  
 Auctoritate, ac dignitate agitur: quam illi sibi  
 Planè contemnendam arbitrabuntur, simul  
 Ac victores evaserint.

Quod ne fiat summa nobis est adhibenda cautio.

**Troch.** *Mel.* Rectè tu quidem isthuc, itaque in hac re me liqu-  
 benter

Præstabo adiutorem tibi.

*Alex.* Hem laudo. Nunc ad civitatis principes,  
 Sacerdotesque concedamus, ut

Super hac re consilium una capiamus, quomodo  
 Et illos ulciscamur, &

Nobis caveamus in tempore. *Mel.* Placet, Præcede,  
 sequor.

## ACTVS II. SCENA I.

ANNAS, MELCHIAS, CAIPHAS.

*Iambici.*

**M**ira profecto sunt, quæ nobis intus narraſti Mel-  
 chia.

Quan-

Quamquam illa audiveram ante. Sed  
 Si vixero, nunquam istud impunitum  
 Relinquetur. Quin seditiosum hoc, atq; maledicum Troch.  
 Hominum genus eo redigam, ut neque quo fugiant,  
 neque

Vbi tutò delitescant, usquam sint locum  
 Inventuri. Quod ubi e venerit, meritò  
 Id illis accidet, qui sibi quicquid lubet, Troch.  
 Faciendum existimant. Atque id an æquum sit, an  
 Iniquum, nihil vident, nihilque pensi habent

*Mel.* In illos & ego graviter animadvertendum ar-  
 bitror:

Quando id culpa commoverunt sua. *Caip.* Istud her-  
 culè

Fiet propediem. Dormiunt.

At ego eos, uti merentur, excitabo sacrilegos.

Qui se nullis teneri legibus, nosque

Sibi contemnendos, atque illudendos putant.

*Mel.* Id ut facias, te dignum est *Caipha.* Planè enim Troch.  
 Perijmus, nisi audacissimum

Illorum cohibeamus incœptum, tantumque dede-  
 cus,

Ac probrum à nobis propulsemus, technis, ac dolis

Consuta illorum refellamus mendacia,

*An.* Eho, rectè. Quis enim ferat, Troch.

Quæ nobis obijciunt homines vilissimi?

Quos à retribus, telonioque impostor ille

Ascivit sibi. Qui nunc nescio qua freti confidentia,

Turbas atque tumultus passim excitant: novosque

Ritus cœnæ nostri religionem à majoribus

Nobis traditam, abolendam existimant. Troch.

Ridiculum, à illos prudentiores

Nobis esse arbitrabimur?

Qui divinas vel memoriter tenemus literas?

*Mel.* Facebant illi idiotæ, sacrorum mysteriorum

Planè rudes: nobisque ea explicanda

Relinquant, qui omnem ætatem in hoc studio con-  
 trivimus.

illi

Ille se ad relictum referant opus: neque  
 Quæ supra illos sunt, inquitenda putent sibi.  
*Ca.* Id nisi faciant, magnum aliquod eis brevi eveniet  
 Malum. Atque ita me Deus amet, ut ego,  
 Quod in hac re vehementior sum, non animi  
 Atrocitate commoveor, sed impudenti  
 Illorum audacia, qua quidvis sibi licere  
 Impune existimant. *Mel.* Ea  
 Inprimis erit nobis cohibenda, si salvi  
 Esse volumus. *An.* Istud igitur decretum sit, nec  
 Ab eo nos ullis patiamur avocari  
 Rationibus. -----

## ACTVS II. SCENA II.

IACOBVS, IOANNES, PETRVS.

*Iambici.*

----- Deus bone! quantâ commutatio  
 In nobis hesterno est facta die? & quàm feliciter  
 Nostrum succedit negotium? Deus procul dubio  
 Adjutor est nobis. Nam non nisi illius  
 Auxilio talia nos præstare potuissimus. *Ioan.* Est  
 Vt dicis frater: tria enim hominum millia,  
 Aut paulo minus eo, Petri oratione

*Troch. 3.* Commoti ad fidem se converterunt euangelicam.  
 Quod quidem haud nobis, sed soli ascribendum est  
 Deo:

Cui totum hunc profectum acceptum ferre debe-  
 mus:

Cum nostra industria hic effectum sit nihil.

*Iac.* Verè tu isthuc, atque piè. Quid enim nos posse-  
 mus homunculi,

Nisi adiutorem? atque propicium nobis haberemus

Deum? Ab eo enim ad nos proficiscuntur omnia

Ille est, qui nos sua benignitate ad hoc

Munus vocavit; qui que nos sua dignatus est

Clementia. Itaque nobis ille laudandus,

Atque omnibus est celebrandus modis.

Sed eccum Petrum accedentem. *Ps.* Deo

*Troch.*

Maxi-

Maximas ago gratias, cum pro insigni illius  
In nos heri collato beneficio, tum pro  
Tam fecundo, copiosoque profectu quem præter  
Opinionem consequuti sumus. At Iacobum, &  
Ioannem

Troch.

Hic stantes conspiciot, ad eos  
Accedam. Eho, hiccine eratis fratres? Salvete  
*Is.* Salve Petre. Næ hominum qui vivunt sumus  
Felicissimi, quibus tanta Deus præstitit.

Troch. 2.

*Pet.* Laudari ille à nobis satis  
Nullis unquam poterit modis.  
Nostis quot sua confessi crimina, &  
Sacro sancto baptismi lavacro abluti,  
Doctrinam sint amplexi euangelicam? *Is.* Oh, scimus  
Et hic de eo loquebatur. *Isa.* Quis hoc  
Eventurum dixisset unquam;

Metu hætenus delituimus,  
Neque prodire ausi fuimus in publicum.

Troch. 2.

Nunc autem id divina nobis præstitit  
Gratia, ut omni timore liberati, neminem  
Formidandum nobis arbitremur. Sacerdotum  
Enim minas jam nihil moramur, qui nobis  
Divino numine confirmatis, neque  
Nocere neque obesse queunt. *Pet.* Sic est: nam Deo  
Protectore satis erimus muniti. Sed hoc  
Inter cætera mihi mirum videbatur,

Quod omnes illi, quotquot Iesum essent professi,  
Communia sur statim facerent omnia, nihil  
Proprium servantes sibi. Hæc sunt Evangelici  
Proventus felicissima exordia. Id autem velim

Troch.

Nunc ut vobiscum perpendatis fratres, quo pacto  
Res novi testamenti convenient cum figura

Troch.

Veteris. Moses, ut nostis omnes, quinquagesimo à  
Pascha die primitias iussit offerri Deo. At

Nunc non spicarum, sed animorū primitiæ Domino  
Sunt consecratæ. *Is.* Intellego probe.

Quamquā nō nisi rudimenta euangelicæ pietatis ego

M

Hæc



*Hæc esse existimo. Quod hætenus est traditum,  
Primæ doctrinæ lac est: posthac ad solidum  
Erit proficiendum cibum.*

*Pet. Vtrumq; necesse est ut paratum habeamus: cum  
Præceperit nobis Dominus, ut gentes doceamus  
Omnes, ejusque illis proponamus præcepta,  
Quibus qui non paruerit, quamvis sit aqua tinctus,  
Tamen salutem consequetur nunquam.*

*Io. Verum isthuc est, quod dicis: aqua per se nihil  
Potest: firma in Deum fiducia*

*Troch. Nos salvos facit. Pet. Oh, rectè Ioannes,  
Sed ne immemores tanti erga nos sumus beneficii,  
Convocatis fratribus Deo  
Gratias agamus, illumque oremus,  
Ut quod incæptum est feliciter, sua  
Benignitate etiam uberius provehere, ac secundare  
Dignetur. -----*

### ACTVS II, SCENA III.

HANANVS, AZARIAS, SIMEON.

*Iambici.*

*----- O nos felices! qui ex tenebris, in quibus  
Versati fuimus hætenus,*

*Troch. Exempti, & ad lucem euangelicam perducti sumus.  
Maximam tibi o Deus habemus gratiam,*

*Troch. Qui hoc singulare, atque eximium beneficium,  
Præstitisti nobis. Azs. Euge, piè, atque ut te decet  
Frater: quandoquidem ille per suum*

*Filium Iesum, hæc nobis effecit omnia,*

*Sim. Ita est profectò: At verbis eloqui*

*Non possum, quam commutationem,*

*Troch. Quantamque alacritatem in animo sentiam,  
Neque id aliunde, quam ex divina beneficentia  
Mihi evenire existimo.*

*Ha. Eandem gratiam ego quoque in me experior af-  
fatim,*

*Oh, quam tranquillo ege nunc sum animo. Nihil*

*Post-*

Posthac erit, quod curæ, aut ægrotudini

Mihi sit futurum. Quæ hætenus

Posse di, lubenter in medium omnia

Contuli. *Aza.* Idem & mihi statim faciendum cen-  
sebam. Nam quod

Troch.

Nobis superest, cum tenuioris fortunæ fratribus

Vt communicemus, æquum esse arbitror.

Troch. 2.

*Ha.* Nihil ego pecuniam, aut agrum, aut villam mo-  
ror,

Dei benignitate abunde divitem

Me fore confido. *Sim.* Mihi quoque

Persuasionem eandem jam dudum ipdui;

*Nam parvò contentis necessaria desunt nunquam,*

Sed bone Deus, quantà inter hos est animorum con-  
cordia?

Quantus consensus idem & volumus, & nolumus

Omnes. *Aza.* Nullum est desiderium, aut controversia,

Vbi pacificus ille spiritus animos

Arbitratu moderatur suo.

*Atque hic deorum est verum gaudium, ubi mens est be-  
ne sibi.*

Troch.

Conscia, certa que de divinis promissis fiducia,

Sed quid de illis futurum est, qui sua

Excæcaripertinacia,

Troch.

Neque ullis commoti prodigiis, Deo

Etiã nunc obfirmatis resistunt animis?

*Ha.* Ipsi viderint: nam tantam perversitatem,

Atque impietatem nunquam impunitam relinquit

Deus. Si. Nisi respuerint, culpamque suam agno-  
verint,

Væ illis. Sed nolo in eos quicquam ominari

Gravius. Deum oremus potius;

Vt quibus nunc mundanarum cupiditarum

Troch. 3.

Caligine cæcitantur oculi, illos sua

Illustrer clementia.

*Ha.* Utinam istud fiat. Sed ne id frustra optemus

Vehementer merito, nam ubi animus

Semel se cupiditate devinxit mala,

M a

Con-

Consilia necesse est sequi consimilia.

Quid enim effeceris adversus hos

Troch.

Qui scientiæ opinione turgidi,

Atque elati, præ se contemnunt quoslibet?

Qui, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant.

*Axa.* Pro illis tamen nobis orandus est Deus.

*Sim.* Rectè sentis. Sed intro nunc ad fratres, &

Sorores redeamus: conspicio huc procul

Adventantes nescio quos: & ut hinc

Abeamus, tempus nos monet.

ACTVS II. SCENA. IV.

ANNAS, CAIPHAS, MELCHIAS.

*Iambici.*

**E**Nimvero Caipha, nihil loci est segnitiae, nec

Socordiae, quantum & modò,

Et alias seditiosorum istorum nebulonum

Troch. 2.

Intellexi audaciam,

Quam nisi omnibus conatibus

Cohibeamus, profectò magnum aliquod malum

Troch.

Nobis excitabunt. *Ca.* Id fiet procul dubio.

Video enim quam rem agant: ut nostra auctoritate

Contempra, ipsi regnent, huc affectant viam.

Troch.

Errant, si nos sui consilij ignaros arbitrentur.

Quare ut improbis horum conatibus

Obstetamus, videndum est sedulò. *Mel.* Rectè,

Laudo. Huc enim nobis est incumbendum, idque

Sine ulla mora. Nam quam multos falsa

Religionis opinione, & simulata pietatis specie

Ad se pellexerint, satis, superque notum est omni-

bus.

*An.* Ita me Deus amet, si vivo, non auferent

Inultum; ut & ipsi ne quid tale posthac audeant,

Et alij ad simile facinus sint tardiores.

*Ca.* Ah, mala multa hæcenus illos nostra docuisse fa-

cilitas.

At nunc faxo, ut hanc animi nostri lenitatem

Sibi in crudelitatem commutatam sentiant.

*Malo*

*Malo enim nodo, ut dici solet, malus*

Est querendus cuneus. Itaque à nullo me exorari si-  
nam, Troch.

Quin pro tam insigni isthac confidentia,

Illos uti dignum est, ulciscat mastigias.

Malim me inhumanum, quam in tam gravi periculo

Aut negligentem, aut socordem viderier : *Melch.*

Probè:

Isthuc tene. Quæ enim in tanta sceleris immani-  
tate

Coercendæ esse potest crudelitas?

Troch;

Nam nisi audacissimis horum conatibus

Maturè restiterimus. & execrandam hanc hæresin

Radicitus extirpaverimus, propediem arma

Quoque ad evertendum religionis nostræ statum

Corripient homines isti, omnium

Qui vivunt, aut vixerunt unquam, perditissimi.

Troch.

At tales sunt herculè. Itaque neque metus à peri-  
cula

Neque pudor à turpitudine, neque ratio

Ab hac sua malitia, atque impietate eos

Avocare potuit hætenus,

Troch, 2.

Quorum cum blanditijs condita est oratio,

Minimè profecto mirandum est, si phaleratis suis

Dictis circumveniant, fallantque plurimos.

Vah, nescio quos illi nos homines esset existimant,

Qui tantum scelus, atque flagitium se impune

Troch.

Laturos arbitrantur. Sed uti dici tempus est,

Eamus nunc intro. Cras admodum diluculo

Ex communi omnium decreto statuetur

Quo pacto impofterum in eos animadvertendum  
fiet.

ACTVS III. SCENA I.

PETRVS, IOANNES, ACHIOR.

*Iambici.*

EAmus nunc in templum Ioannes sacris uti  
Vacemus precibus. *Ion.* Ago placeat.

M 3

*Pet.*

*Pet.* Quamvis nusquam preces

*Troch. 2.* Nostras aspernetur Deus,

Tamen hic aures supplicantibus

Præbet maximè *Ach.* Totam ferè

Hic desedi diem miser: & quod accepi

Exiguum est admodum. Sed quoniam sunt isti,

Quos huc accedere conspici?

Ab his spero me accepturum aliquid: quandoquid-  
dè viri

*Troch.*

Humani mihi videntur. Subvenite mihi obsecro,

Quicumque estis o boni qui,

A natali claudus fui die: & cui

Cum extrema paupertate res fuit hæc.

*Pet.* Aurum aut argentum, quod tu expectas non habeo,

Aliud, quod gratus erit, atque optabilius,

Dabitur tibi. Quod cum consequutus fueris, non  
mihi,

*Troch.*

Sed divinæ id acceptum feres clementiæ,

Quod enim hodie eveniet tibi,

Non humana arte, aut industria fiet,

Sed solus id in te sua virtute operabitur

Deus. *Ach.* Mi homo, utinam ratum sit, quod præ-  
dicas.

*Pet.* Bono animo esto: & vide ne quod Deus

Est largiturus, tibi tua

Eripiat diffidentia.

*Troch.*

*Ach.* Nihil diffido quicquam, & nescio

Quam in solito animus mihi gestiat

Gaudio. *Pet.* Nihil mirum. Sed agendum, in nomine

Iesu Nazareni surge, & quocunque lubet ambula.

*Ach.* Deum immortalem! quodnam hoc est prodigi-  
um?

Pèdes, talosque mihi plane confirmatos,

Atque solidatos esse sentio. Oh, quis me

Homo vivit fortunatior? nemo herculè

Quisquam; nam in me Deus hodie

Potestatem ostendit suam. Præ gaudio

Equi-

Equidem, neque quid loquor, neque  
Vbi sum scio : quia præter spem , atque incredibile  
hoc mihi

Accidit. Eho divine vir,

Quo ego munere tantam erga me compensabo bene-  
ficientiam?

Aut quo pacto tibi tam bene de me merito gratiam

Referam? *Pet.* Itane statim oblitus es.

Tibi quod dicebam modò ? *Ach.* Quid istud ? *Pet.*  
Hem, rogas?

Vt neque mihi, neque cuiquam alijs sed soli Deo

Quod esses consequuturus beneficium, tibi

Ascribendum esse crederes.

*Ach.* Memini probè, & scio non nisi cœlesti gratia

Adjutum, te tantam rem efficere potuisse.

*Pet.* Rectè: opus enim istud majus est.

Quam ut humana hic quicquam sibi adscribere queat

Industria. Hoc tantum nunc faciendum tibi

Arbitror, ut templum nobiscum ingressus, Deo,

Pro beneficio in te collato, agas

Gratias. *Ach.* Nihil est quod æquè fecero lubens.

*Troch.*

ACTVS III. SCENA II.

SIMEON, AZARIAS, PETRVS.

*Iambici.*

**P**Rò summe Deus ! quòdnam ego portentum , at-  
que prodigium

Conspexi modò ? Homini à nativitate claudò cor-  
poris

Firmitatem tribui, idque unico

Verbo, quis obsecro tale quid aut vidit, aut

*Troch. 2.*

Audivit unquam? *Az.* Monstri simile : atq; ideo quid

Deo dicam planè nescio. *Sim.* Neque ego quidem.

Nisi quod divino eos credo illustratos numine.

*Az.* Idem & ego jamdudum persuasi mihi.

Sed in templum sequamur illos, ut quid prætera illi  
sit

Futurum cognoscamus. *Sim. Fiat. Pet.* Agitandum viri

Israëlitæ, audite me, obsecro loquentem. Nescio  
Profectò quidd dicam, cur id, quod modo divina gra-  
tia

In hoc claudo exhibitum est miraculum,  
Tantopere animos commoverit vestros. Quasi  
Troch. Non alia, eaque majora, ante conspexeritis  
Prodigia. Nec est quod nos intueamini,  
Quorum virtute est effectum nihil. Hic quidem,  
Quem claudum vidistis hætenus,  
Nunc in templo, ut coram videris, obambulat  
Sano, integroque corpore.

Troch. In eo, atque alijs multis jam vobis Deus  
Conspiciendum præbet, quod olim  
Divinis vatum oraculis  
Eventurum prædixit. Itaque novum videri  
Non debet, quod multo ante est denunciatum.  
Vos equidem religiosè colitis Abrahami, Isaci,  
Atque Iacobi Deum, Sed hunc Dei, ad vos missum  
filium

Adeo non excepistis amicè, ut latroni  
Troch. Postpositum, indignis affligeritis modis;  
Atque ut maleficum, reclamante etiam Pilato præ-  
fide,

Interficiendum decreveritis vobis. Cæterum  
Deus humana malitia abjectum filium, ad  
Troch. 2. Supremam evexit gloriam:

Atque à morte revocatum immortalitate  
Donavit. Cujus rei nos testes sumus:  
Qui eum à morte redivivum conspeximus;  
Audivimus atque contrectavimus insuper.

Troch. Ac deinde in cælum etiam ascendentem vidimus.  
Nunc autem virtute illius non solū hoc quod modo  
Contemplati estis miraculum.

Coram vobis hic exhibuit Deus,  
Sed alia insuper plurima: quæ ut hic commemorem  
Non est necesse, quando minimè ignota sunt  
Vobis. Neque hæc eo dicta velim fratres, ut

Troch. Vos ad desperationem

Adi-

Adigam, cum divino consilio id sit factum:

Itaq; peccatum vestrum, utcunq; excusat ignorantia

Nesciebatis enim sub forma humana,

Eaq; vili, & contempta, divinam illam

Latere naturam. Nunc igitur restat, ut Dei

Imploretis clementiam:

Quæ parata, atque obvia

Erit vobis, siquidem ex animo, atq; serid

Vestræ culpæ vos pœniteat: & Jesum, quem prius

Agnoscere nolulistis, nunc Dominum vestrum,

Deiq; filium esse confiteamini.

Qui veluti hic inter vos versatus est aliquot

Annos, ita reversurus est, ut vivos, atq; mortuos

Judicet. Neq; id quo tempore sit futurum

Scimus. Oportet enim prius per universum

Terrarum orbem Dei Evangelium prædicari

Quod eventurū omnes divini olim denuntiaverunt

Vates, inter quos Moïsis gravissima

Apud vos est auctoritas,

Quo duce Ægyptum reliquistis,

Et mare, per quod nulli unquam patuerat via,

Transistis: deinde peragastis desertum, atq;

Legem accepistis. Atqui ille hunc Jesum ad vos ven-

rurum

Prædixit. Ita enim loquitur, quemadmodum

Omnes nostis: Prophetam vobis excitabit

Dominus Deus vester, non ex alienis, ast ex fratribus

Vestris, cui parebitis per omnia.

Quod si quis erit, qui ei auscultare noluerit,

Ex universo populi cœtu ejicietur. Neq;

Moses solus de Iesu est varicinatus, sed

Prophetæ etiam reliqui à temporibus Samuelis,

Vsq; ad Joannem Baptistam exacte de ejus

Nativitate, doctrina, miraculis,

Morte, resurrectione, atq; ascensu ad cælum

Nobis prædixere omnia. Recordamini

Obsecro, vos Prophetarum, atque Patriarcharum

esse

Troch

Troch.

Troch.

Troch.

Troch.

Troch. 2



Filios, quorum Princeps fuit Abraham:  
Cum quo pactum, fœdusq; iniit Deus:  
Nempe ut per illius semen, salutem  
Per totum terrarum orbem consequerentur omnes.

Troch.

Vos tamen præ cæteris sibi eligendos  
Puravit: ad quos filium suum misit:  
Non alio consilio, nisi ut ab erroribus  
Revocatos, vitæ æternæ vos participes efficeret.  
Quapropter si sapiris, amplectimini hanc oblatam  
gratiam.

Sed veniunt huc Sacerdotes, atq; magistratus  
Templi. *Sim.* Saducæi etiam adsunt: ne quid mali  
Faciunt nobis metuo. *Pet.* Bono esto animo. *Nihil*  
*Mali, salva innocentia* accidere poterit nobis: neq;  
Dubito, quin nos sint appellaturi. Male  
Enim eos habet, quod de sanato claudo per totum op-  
pidum

Troch. 2.

Est divulgatum. Maneamus hic atq; expectemus  
Quid sit eventurum denique.

## ACTVS III. SCENA III.

ANNAS, CAIPHAS, JOANNES, PETRVS.

*Iambici.*

**Q**uo nos magis seditiosum hoc hominum genus  
Extirpare, atq; perdere  
Conamur, hoc proficimus minus. Et nescio  
Io quam catastrophē hæc nobis evasura sit  
Tragœdia. *Ca.* Infelicem mihi animus auguratur ex-  
itum.

Audivimus sanatum claudum, & quomodo  
Ad ipsos quotidie concurrant plurimi.  
Sed pro Deum immortalem! quantam ego hic video  
hominum

Troch.

Multitudinem? *An.* Impostores etiam istos  
In medio eorum conspicio. Hem. sequimini me, ut  
impium

Borum interturbemus conciliabulum.

*Ca.* Præcede, nihil in nobis est moræ. *Ion.* Huc se con-

f.

*Pet.*

*Pet.* Video, sed nihil omnino me illorum terree  
Accessus. Audiamus quid fiat dicturi.

*An.* Eho, audite quid in mentem nunc veniat mihi

*Ca.* Quid? dic sodes. *An.* Cum illis ut loquamur expe-  
dire

Non arbitror: sed statim eos comprehendamus, atq;  
in vinculis

Asservandos curemus sedulo. *Ca.* Rectè:

Nam altereando cum illis proficiemus nihil.

*An.* Ehem, comprehendite duos istos populi sedu-  
ctores

Eos dico, quos in medio omnium videtis

Consistentes, Euge, benè fecistis. *Io.* Quidnā hoc sibi  
Vult? Itane apprehendi jubetis innocentes?

*Troch.*

Proq; beneficio maleficium rependitis

Nobis? Ah, siccine fieri decet? *Ca.* Beneficia

Illa vestra nihil moramur. Eho, quid cessatis?

*Troch.*

E templo eos abripite, & asservate sedulo.

Causam illorum crastino cognoscemus die.

ACTVS III. SCENA IV.

HANANVS, SIMEON, AZARIAS.

*Iambici.*

**O** Indignum facinus! Hæccine vides, atq; pateris  
Deus? nā tua nimis magna est clementia.

Spero tamen illos non impunè laturos tantū scelus,

*Sim* Cohibe te frater, ac moderare affectibus.

*Tarda est quidem* divina vindicta,

Sed tarditatem supplicii gravitate sæpe

Compensat. *Aza.* Verè tu isthuc dicis Simeon: Impi-  
etatis suæ

Ultorem aliquando sentient Deum. Nolo

In illos quicquam gravius dicere:

Ipsi se deliquisse intelligunt

Postea, idq; serq; cum nullus respiscendi

Erit locus. *Han.* Id quidem fiet p̄ocul dubio.

Præterea spero nostris cras subventurum Deum:

Cuius ope adjuvi, universo Pharisæorum,

Et Saducæorum gregios

*Ob.*

Obturabunt facillimè. Nihil enim hic est,  
 Quod aut reprehendere, aut calumniari  
 Queant. Res est peracta subitò: neq; clam aut in  
 Occulto sed palam pro templi foribus:  
 Non magicis artibus, sed invocato nomine  
 Jesu, quem illi extinctum planè persuadent sibi.  
*Sim.* Mirum certè est, hominibus istis tantàm inesse  
 Ingenii pertinaciam animiq; malitiam, ut ea,  
 Sibi incusanda, atq; vituperanda existiment,  
 Quæ laudem promerentur maximam,  
 Quam gratis auxiliari miseris; Ah, talemne de.  
 Se benè meritis referendam gratiam putant?  
 O homines ingratiſſimos!

*Axa.* Quem sæpe claudum viderunt sedentem pro  
 foribus

Templi, nunc cum valido, confirmatoq; corpore  
 Coram ambulante conspiciant: non desinunt  
 Tamen calumniari, atq; incusare tam pium, &  
 Tam divinum opus. Ah, quæ est, si non hæc ingra-  
 tudo

*Troch.* Est appellanda maxima;

*Han.* Non herclè ingratitudo illa, at mera est

Perversitas, atq; malitia, animiq; obſirmati

*Troch.* Cæcitas voluntaria. *Sim.* Verum dicis, Sed quid  
 Moveat illos, satis, superq; notum esse arbitror.

Vident populum miraculis

Commotum, ad nos concurrere undique,

Jesuque nomen, quem ipsi, ut sceleratum, atq; male-  
 ficum

E medio sustulerunt, confiteri plurimos:

Et numerum quotidie augeri credentium.

Hoc illos male habet impios,

Animosq; eorum torquet, atq; affligit maximè,

Hinc illa plus quam hostilis in

Nos ſmultas, atq; odium. *Axa.* Vera herclè sunt

*Troch.* Quæ prædicas. Sed jamdudum sol occidit,

Et vespèra appetit, Eamus nunc intro, atq; Deum o-  
 remus, ut

**Cras**

Tras illis subvenire sua dignetur gratia, &  
Quod inceptum est feliciter,  
Ab bonum perducatur exitum. *Han. Recte mones.*

ACTVS IV. SCENA I.

ACHIOR, ANNAS, PETRVS, IOANNES.

*Iambici.*

**R** Eviso quid futurum sit de illis viris  
Probis, piisque, quos heri  
Pharisæorum, atq; Sacerdotum principes  
E templo trahi iuebant,  
Satis, ut mihi quidem videbatur, inhumaniter,  
Quod si quid in eos forte statuunt durius,  
Graviusve, palam me illorum opponam tyrannidi:  
Etiam si mortem intentent, atq; minentur mihi.  
Quam hercule parè malim, quam eos, qui tam bene  
De me sunt meriti, tractari patiar indignius.  
Sed quid hoc! omnes eos foras ægressos conspicio.  
Petrus quoq; & Joannes adiuor. Oh, bene est.  
Gaudeo, propius ad illòs accedam, ut videam,  
Quid sit hìc evenurum, hoc agam.

*Troch.*

*Troch.*

*An.* Eho, respondere ad ea jam nobis,  
Quæ interrogaruti sumus.

*Troch.*

*Pet.* Percontamini quæ vultis, speramus nos  
Satis facturos vobis. *An.* Confidenter id  
Quidem satis. *Ion.* Qui non deliquit, illum  
Pro se intrepide, atq; libere loqui decet.

*An.* Ecce autem alterum: in eodem ludo eos  
Ad nequitiam edoctos dixeris.

Si unum noris, omnes cognoveris. Verum  
Mittamus illa, & de hoc, quod decretum est agamus  
seriò.

*Pet.* Placet. *An.* Nunc itaq; dicite mihi, cuius nomine  
Aut virtute claudo sanitatem  
Hesternò restituisstis die?

*Pet.* Populi principes, & seniores, attentis auribus,  
Animisq; benevolis, audite me obsecro. *An.* Age, lo-  
quere:

*Troch.*

Sed

**Troch.** Sed vera nobis dici volumus, mendaces  
 Pessimè odimus. *Per.* Quæ ex me audietis, vera  
 Erunt omnia: mentiri enim non est meum.  
*As.* Agedum, auscultamus. *Per.* Mirabar equidem cur  
 nos

Comprehensos in custodiam  
 Heri deduci mandabatis, cum nihil  
 Mali commissemus. Locus ille maleficis,  
**Troch.** Non innocentibus paratus est. *Ach.* Oh vir  
 Reverende, ego quoq; hic adsum, beneficio tuo  
 Sanitatem consequutus. *Per.* Bene fecisti. Sed tace  
 Aliud enim jã hic agendũ est nobis. Vos appello, qui  
 Primates populi estis. Videtis hunc hominem,  
 Contractis membris ante debilem,  
 Atq; a bajulis gestari solitum, nunc sanum,  
 Atq; integrum. Vos quæritis  
 Cujus virtute sit factum. Non magicis artibus,  
 Neq; humana ope, neq; nostra industria  
 Id est effectum. Solius Jesu Nazareni  
 Virtute hoc illi contigit bonum, quem vos  
 Ut hominem sceleratum atque nefarium occidistis,  
 quem Deus

A morte tertio die  
**Troch. 2.** In vitam revocavit, & immortalitate  
 Donatum, rebus præfecit omnibus.  
 Itaq; nunc illa sua virtute per nos efficit  
 In ægris infirmisq; sanandis, quod ipse, dum in  
 Terris nobiscum erat, permultis præstitit.  
 Atque huc procul dubio referendum est, quod  
**Troch.** In Psalmis legimus Davidicis;  
 De lapide nimirum ab hominibus rejiciendo;  
 Qui tamen à Deo ad summum esset subvehendus  
 Honorem. Præsentem illum vidistis contemptum  
**Troch. 2.** ab omnibus:

Nunc contra per hunc, ad maximam  
 Dignitatem sublatum, Deus salutem  
 Offert vobis, quam quæso ut amplectamini,  
 Dum tempus est, veniaq; criminum suorum

Para-

Parata est cuique. *An.* Verba equidem haud tibi desunt,

Sed an sint vera, quæ dixisti, nescio.

Secedite hinc paulisper, donec vos revocavero.

ACTVS IV. SCENA II.

ANNAS, CAIPHAS, ALEXANDER,  
SYRVS.

*Iambici.*

**Q**uid ais Caipha, aut quid in hac re nobis faciendum

Censes? Inficiari non possumus, quod ab

Illis est factum. *Ca.* Sic est, & quod præstiterunt

Minimè vulgare est. *An.* Verum dicis: atque ideo in  
cos

Nihil hoc tempore durius decernendum arbitror.

Ne inclementes, & iniqui videamur. *Alex.* Quid igitur.

Faciemus? cedo sodes. *An.* Dicam. Revocabimus

Eos ad nos, & gravibus interdicemus minis,

Ne posthac apud quenquam Iesu istius

Mentionem faciant, aut usquam de eo

Loquantur. Ita fiet, ut illis tacentibus

Populus formidine territus,

Deficiat, atq; dilabatur propediem.

*Ca.* Si id nobis expedire videtur tibi, age assentior:

Nisi quid dissentis Alexander. *Al.* Sententiam

Annæ probo: atq; ita ut fiat velim. *An.* Fier.

Ehem, huc eos ad nos statim reducite. *Syr.* Effectum  
dabimus.

*An.* Nunc intro, si videtur, paulisper eamus.

Dum redeant. *Ca.* Placet, I præsequimur.

ACTVS IV. SCENA III.

PETRVS, JOANNES, SYRVS.

*Iambici.*

**D**eo nobis frater, magna est habenda gratia,  
Qui tantam nobis loquendo largitur

GON

Troch.

Confidentiam, nostrosq; animos ita  
 Confirmat, ut metuamus neminem.  
*Io.* Eam certe constantiam, atq; fortitudinem à  
 Deo nobis infundi plane existimo:  
 Nullus enim posthac unquam me suis  
 Terrebit, aut eo inducet minis,  
 Ut Christum Iesum servatorem nostrum confiteri, &  
 Celebrare desinam. Non si atrocissima  
 Intemptent supplicia: atq; adeo mortem si quis  
 Minetur mihi. *Pet.* Mihi quoq;  
 Pro Christi nomine, atq; vera religione  
 Iucundum, ac dulce erit mori: nam qui ita perit mi-  
 nime interit

Troch.

Sed ex hac calamitosa vita in æternam requiem  
 Commigrat. *Io.* O quam illi sunt felices, quibus  
 Ad cœleste istud domicilium accessus patet:  
 Vbi plena gaudiorum sunt omnia. *Pet.* Eò nos  
 Aliquando hinc profecturos, bona  
 Spes animum habet meum. *Io.* Neq; de eo dubium  
 est mihi, at  
 Prius quæ in mandatis habemus, exequenda sunt  
 Nobis, deinde præmium  
 Expectamus, divina gratia nobis  
 Decretum. Sed ministros Phariseorum ad nos  
 Venire conspicio, revocabunt nos, ut arbitror.  
*Pet.* Id erit: Satis enim jam deliberaverunt diu  
*Syr.* Eho viri, salvete, ut vos ad Principes  
 Sacerdotum reducamus, mandatum est nobis.  
*Io.* Parati sumus. Hem, præcedite, sequimur. *Syr.* Bene  
 dicitis.

## ACTVS IV. SCENA IV.

ANNAS, CAIPHAS, JOANNES, PETRVS.

*Iambici.*

**E** Grediamur rursus, nam illos jam jam adfuturos  
 arbitror.

Atq; eccos. *Cai.* Bene se res habet:  
 Ego eos prior compellabo: tu orationi

Mea

**Mæ**, si quid defecero, ut subservias  
**Vide. An.** Faciam herclè sedulò **Cæ.** Adeste huc viri,  
 Et advertite ad ea, quæ dicturi sumus  
 Vobis. **Pet.** Jamdudum nos præbemus attentos.

**Cæ.** Expendimus nobiscum diligenter  
 Causam vestram, quæ minimè probatur nobis,  
 Nam quæ molimini, ad rem publicam nostram  
 Turbandam, atq; ad commovendos  
 Tumultus spectant omnia.

Troch.

Troch.

Quapropter quam vis pænam meriti estis gravem, ta-  
 men

Troch.

Clementer vobiscum nunc nobis agendum  
 Existimavimus. Mislos itaq; jam vos facimus.  
 Sed ea conditione, atq; lege, ne cui  
 Mortalium usquam posthac vel clam, vel palam  
 Christi doctrinam prædiceris;

Neq; publicè aut privatim de eo apud quenquam  
 Loquamini. Quod si hoc concilii nostri decretum

Vobis aut negligendum, aut contemnendum existi-  
 mabitis,

Troch.

Remedium isti pertinaciæ

Inveniemus, neq; sine vestro, ut arbitror,

Magno malo. **An.** Id quidem futurum est:

Itaq; cavete vobis, si sapitis. **Pet.** Deus bone!

Quodnam hoc est edictum? **Io.** Ah, iniquum planè est,  
 quodà

Nobis exigitis. **An.** Quod iniquum vos esse dicitis.

Visum est nobis æquissimum. Quibus nisi

Troch.

Pareatis, incolumes & salvi non eritis diu.

**Pet.** Ut me patienter audiaris obsecro.

Pauca loquentem. **An.** Justū, æquumq; putaris, nos in

Dei conspectu, vestris jussis obsequi

Troch.

Potius, quam mandatis divinis? penes

Vos, qui legis tenetis præcepta, huius

Rei judicium esto. Nostis quæ eventura,

Divina vatum olim prædixerunt oracula. Et

Nos scimus, quid Christus Dei

Filius in mandatis dederit nobis, quid Spiritus

N

Cæle.



Cœlestis, quem ille à Patre suo misit, animis

Troch. 3. Nostris infuderit: Id nimirum, ut omnibus  
Nomen Domini nostri Iesu prædicemus:

Vtq; ea, quæ nobis præsentibus

Locutus est, & fecit, neminem

Celemus. Vos ipsi, si quod rectum est decernere

Volueritis, sententiam mutabitis:

Troch. Quodque in mandatis habemus, nos sinetis exequi.  
Id si a vobis cum gratia impetrare non

Poterimus, quicquid de nobis statueritis,

Troch. Aequo, ac patienti animo feremus. Nā quæ vidimus,  
Et quæ audivimus, nullo nobis tacenda sunt modo,

Præsertim cum Deus qui hominibus omnibus

Est præferendus, prædicare ea passim velit,

An. Vah, antiquam profecto vestram pertinaciam

Obrinetis. Apagite. Quia nihil

Lenitate profecimus hætenus, iram

Troch. 3. Nostram sentietis propediem, *Id est.* Quicquid  
In nos decreveritis, patiemur fortiter.

#### ACTVS V. SCENA I.

#### CAIPHAS.

#### *Iambici.*

TOTam hanc noctem insomnem duxi, nihilque  
etiam nunc

Quietis est in pectore.

Modo admodum diluculo, soleque nondum exorto,  
è gravi

Expergiscebar somnio.

Mox cepi mecum rem aliam ex alia cogitare, &

Troch. Omnia in peiorem partem, uti fieri solet,  
Vbi quid molestiæ est in animo. Quid multis moror?

Lectum tandem relinquo, atq; huc me proripio foras.

Nunc itaq; quo magis horum audacissimorum ho-  
minum

Mecum perpendo confidentiam, hoc magis metuo,

Ne illi nobis tumultus excitent gravissimos: *Id est.*

Adeo execranda hæc plurimos passim corripuit hæ-  
resis.

Quod

Quod claudio contigit, populus miratur, &  
 Summis tollit laudibus. Quod & ego quidem mihi  
 Faciendum putarem, si divina virtute id  
 Effectum crederem. Nunc cum illo eo animo  
 Esse videamus, ut quæ nobis à maioribus  
 Sunt tradita, omnibus abolere conentur  
 Viribus: cum reſectis patrum noſtrorum  
 Decretis, nova, inuſitata, & inaudita  
 Commiſcantur, plebemq; paſſim ad ſeditionem  
 Concitent, quis eos tolerandos cenſeat?  
 Sed video huc accedentem Alexandrum. Vultus  
 Hercule non placet, nam eſt triſtior,  
 Idem illum quod me, ut arbitror, torquet malum,  
 Subſiſtam hic, ut quid ſit dicturus, audiam,

Troch. 2

Troch.

Troch.

## ACTVS V. SCENA II.

ALEXANDER, CAIPHAS.

*Iambici.*

**D**um immortalem! quam turbatus eſt mihi  
 Animus: neque die, neque nocte quieſcere poſ-  
 ſum.

Vnam: adeo me ſollicitat horum nebulonum au-  
 dacia

Quam niſi coerceamus, metuendum eſt, ne magnum  
 Nobis pariant incommodum

Troch.

Neq; quo pacto aduerſus eos quicquam proſecturi  
 Sumus video, cum increpationes, & minas

Noſtras nihili faciant. *Ca.* Facile divinabam id fore.

Troch.

Sed compellabo. Eho, hiccine eras Alexander?

Non prævideram te. *Al.* Neq; ego te Caipha,

*Ca.* Credo. Sed quidnam eſt iſtud, quod mihi ſolito

Videare triſtior? Quamquam quid torqueat te pro-  
 ptemodum

Scio: eadem enim res & me malè habet maximè.

De qua, dum tu huc accedebas, mecum loquebar

Modò. Sed quod remedium huic inueniemus malo?

*Al.* Nefcio equidem: nam pertinax

Hominum genus eſt: quos neq; minando

N 2

Neque

Neq; commodè loquendo commoveas magis  
 Quam cautem, aut filicem. Et crescit eorum nume-  
 rus quotidie

Et audio esse, qui possessionibus omnibus suis  
 Divenditis, pecuniam ex his collectam

In commune, nihil sibi servantes, conferunt.

*Cai.* Idem & mihi narravit quidam, cui credo satis.

Deus bone! quid non efficit simulata, ac fucata re-  
 ligio,

Miseret me eorum qui se decipi

Ad istum patiuntur modum. Hoc velim credas mihi?

*Nihil in speciem fallacius* est, quam prava religio,

Ubi divinum numen prætenditur sceleribus. *Alc.*

Hem,

Rectè, nihil in vita audiivi dici prudentius.

Sed quomodo illos tandem cohibebimus? aut quid

Consilii das *Caïpha*? *Ca.* Quasi nobis desint carceres

Et vincula. His eos coercendos existimo,

*Al.* Oh, laudo. *Cai.* Neq; ijs contenti, tormentis, cru-  
 ciatibus, &

Suppliciis illos affigemus atrocissimis.

Neq; quicquam in illos decernemus tam crudeliter,

Quin pejora etiam eos meruisse dicant omnes.

Exceptis illis, qui ejusdem mali contagio

Correpti, atq; suis exæcari affectibus,

Quod maximè culpandum est, laudant maximè.

Sed tales nihil moramur, illisq; os facile obturabim<sup>9</sup>.

*Al.* Id ut faciamus, equidem res, & tempus nos mone<sup>t</sup>

*Ca.* Immo necessitas: Nam nisi eorum obstiterimus

Audaciæ, nisi impudentem confidentiam

Cohibuerimus, actum est de nobis omnibus.

Ubi semel superiores evaserint,

Frustra illorum impediemus conatus, & quo

**Troch.** Res spectet, quidq; illi moliantur, notū est omnibus

*Al.* Sic est profectò. *Ca.* Eamus nunc intro. Simul

Ac cras diluxerit, ad Annam ibo, atq; hac de re cum  
 illo loquar

Serio-----, -----

**ACT.**

## ACTVS V. SCENA III.

JOANNES, PETRVS,

*Iambici.*

----- Eho frater, quid tibi videtur?

Missos quidem illi nos hesterno fecerunt die: at

Graviter interminati, ne de Christo apud

Quenquam verbum faceremus ullum: quo quid ob-  
secro

Præcipi potest iniquius?

*Pet.* Dictum, id quidem à vobis est satis: at furdo fa-  
bulam, ut

Ajunt, canebamus. Verum nihil minz

Illorum me terrent, cum Deum

Troch.

Habeamus adiutorem, ac propitium nobis,

*Joan.* Idem plane est animus mihi, Nam quis unquam  
cum DeoPugnavit feliciter? *Pet.* Nemo frater, quid enim va-  
lent

Adversus divinum consilium humanz vires,

Donec Deus aderit nobis, nihil calumniæ,

Nihil doli efficient quicquam. *Nam veritas*Tegi, aut premi ad tempus potest, sed opprimi nullo  
modo.

Comminiscantur fingantque quod volent,

Troch.

Nihil efficient tamen. Nam nostra, quæ divina gratia

Adjuti facimus opera, manifesta atq; aperta sunt:

Et talia, quæ nemo culpæ, aut reprehendere queat.

Atq; interim tamen hi Pharisei intentatum nihil

Relinquunt, ut Christi doctrinam tollant, &amp;

Aboleant, extirpentq; funditus. *Joan.* Id quidem

Illis puto fore difficillimum.

Quanquam sibi confidunt, nosq; ut idiotas,

Atq; indoctos censeant, nihil ego id moror.

Falsa illos seducit persuasio. Qualis

Ipsoꝝ sit vita, quæ impietas, quantaq; nequitia,

Troch. 2.

Non solum nobis, sed pluribus

Aliis etiam est notissimum,

N 3

*Pet.*

*Pet.* Quærunt honorem ac dignitatem, primumq; in convivijs

Locum, & omnibus se præferri volunt.

*Io.* Jam pridem illorum innotuit fucus. At

Nisi me fallunt oculi, video quosdam ex fratribus

Huc accedentes, illos hic opperiamur. *Pet.* Placet,

ACTVS V. SCENA IV.

AZARIAS, HANANUS, PETRVS,  
JOANNES.

*Iambici.*

**E**X animo gaudeo frater, Petrum, & Joannem ex  
Pharisæorum salvo evasisse manibus.

Verebar enim ne quid inhumanius in eos

*Troch.* Decernerent, *Ha.* Idem & ego metuebam Azaria.

Sed quid eis obsecro poruissent objicere?

Claudum sanatum? *Az.* Ridiculum. Non nisi

Maleficium cuiquam imputari, aut objici solet.

Sed utrumq; huc accedentem conspicio. Viden',

*Troch. 4* *Ha.* Video. *Pet.* Hananus est & Azarias. Oportune,

Atq; in ipso tempore hic illi nobis veniunt

Obviam. *Az.* Eho fratres, salvet, gratulamur

Vobis, quod incolumes à Pharisæis estis

Dimissi: & hinc inter nos gaudium

Exortum est maximum. Nam quanquam nihil habebant,

De quo vobiscum jure expostulare

Possent; tamen ne quid odio, aut malevolentia

Impulsi, iniquius, aut crudelius

In vos decernerent, metuimus admodum.

*Pet.* Credo frater. Sed audivistis, ut opinor,

Quantopere nobis sint interminati, ne

Christi nomen prædicemus uspiam.

*Han.* Audivimus: atq; ea res magno dolori,

Atque ægritudini est nobis *Io.* Face fiat ægritudo,

Valeat dolor. Nihil nobis metuendum existimo;

*Troch.* Dei enim præsidio abunde muniti sumus.

*Pet.* Verè tu isthuc frater, atq; fortiter.

Oh, laudo. Ab eo quod Christus nobis præcepit,  
Neq; minis, neq; tormentis nos patiemur avocarier.  
Quamquam mortem intentant, *in morte nihil est*, quod Troch.  
Magnopere nobis metuendum arbitror; & Deo  
Gratiam habeo, cujus numine hæc in animos  
Nostros infunditur constantia.

Io. Non aliunde profectò. Quam enim infirmi fueri-  
mus ante,  
Probè scimus. Sed eccum huc accedentem Josephũ:  
Quem nos propter eximias, quas in illo deprehendere Troch.  
Nobis videbatur animi dotes,  
Barnabam appellandum existimavimus.  
Paulisper maneamus, donec huc accesserit Pet. Fiar. Troch.

ACTVS V. SCENA V.

JOSEPHVS, PETRVS, IOANNES.

*Iambici.*

Fundum quem habebam in Cypro vendidi: & pe-  
cuniam

Quam emptor numeravit, non mihi  
Soli servandam censeo, sed cæteris  
Etiam impertiendam fratribus.  
Atq; id ut æqualiter fiat, totam hanc summam ad  
Pedes Apostolorum effundam. Nihil enim  
Proprium mihi, sed quod habeo, omnibus ut com-  
mune sit volo,

Pet. Audin' quid dicat? Io. Oh, audio, & animus mihi  
Exhilaratur gaudio. Sed alloquamur. Troch.

Pet. Ehem Josepho Io. Quis est qui me? Eho fratres,  
non prævideram

Vos. Pet. Credo. Sed unde nobis ades, aut ubi deliruiſti  
hactenus?

Jam enim aliquot sunt dies, quod te non vidimus.  
Io. In Cypro mihi negotium fuit, ubi agrum vendidi.  
Pecuniam ex eo quam accepi, huc adfero.  
Distribuite illam inter fratres, ut cuiq; opus  
Exit: nolo mihi quicquam esse peculiare, aut pro-  
prium,

*Pet.* Hem, laudo. Ita fieri decet,

*Io.* Idem & alii fecerunt multi, & plures facturos

Confido. Vilia illa sunt,

Et contemnenda: neq; nobis servanda, sed

*Troch.* Liberaliter communicanda cum indigentibus.

Maiora, atque excellentiora expectamus, quæ post  
breve

Hanc vitam se donaturum nobis pollicitus est Deus.

*Ios.* Istud ego præmium expecto, idq; unum desidero.

Reliqua facile contemnero. *Pet.* Euge istud tene.

Sed nōstin' quid te absente hic nobis interim

Evenerit. *Ios.* Nihil omnino, at narra obsecro,

*Pet.* In carcere desidendum nobis fuit, una tamen

Non amplius nocte. *Ios.* Quid in carcere? quodnam ob

facinus? *Pet.* Non

Est nunc narrandi tempus. Eamus intro, ibi

Omnia memorabimus tibi:

Simulq; convocatis fratribus, atque sororibus,

Divinam in nos celebrabimus

Munificentiam. *Io.* Admones probè? ita enim nos fa-  
cere decet.

*Ios.* Hic finem sibi faciendum censuit didascalus

Noster, Valet omnes, & si meruimus, plaudite.

F I N I S.





# TERENTII CHRISTIANI ANANIAS.

*Actorum nomina.*

ANANIAS.	SIMEON.
SAPHIRA.	ANNAS.
PETRVS.	CAIPHAS.
IOANNES.	MELCHIAS.
IONADAS.	ANGELVS,
EVSTACHIVS.	SANGA,
MACARIVS.	SYRVS.
NOSOPONVS.	PHILAX.
	GAMALIEL,

## PROLOGVS.

*Iambici.*

Salutem vobis spectatores omnibus  
 Nostræ precatur Archididasculus Scholæ,  
 Totusque puerorum grex, qui frequentes hæc  
 Convenistis, nostros visuri scenicos  
 Ludos, quos vobis exhibebimus statim,  
 Vbi paulo plures accesserint, Loca  
 Enim vacua etiam nunc esse conspicio,  
 At non ita multa. Et paulatim undique  
 Augetur numerus. Gaudeo, atque gratulor  
 Chorago nostro: cujus comædiæ vobis  
 Placent, quod hinc mihi videor potissimum  
 Colligere, quod libenter eas spectatis, &  
 Ad illas, quando aguntur, magna accurritis

N s

Ala.



Alacritate, atque studio. Euge, pergite  
 Arti favete musicæ, præsertim ei  
 Quæ turpibus, atque lascivis jocis carens,  
 Præcepta vobis instillat salutaria:  
 Quæ improbitatem detestatur, à vitij animam  
 Deterret, & ad vitam in melius commutandam ex-  
 citat.

Talis erit hæc nostra actio. Attentos igitur  
 Adeam vos præbere. Eccum adest, qui Periocham  
 Vobis recitabit, auscultate sedulò.

## PERIOCHA.

**A** Nanias ejusque uxor, cum spiritum  
 Sanctum defraudassent, subita pereunt nece.  
 A simili fraude deterrentur cæteri.  
 Sanantur ægri. Pharisei indignantur: at  
 Gaudent boni. Augeretur numerus credentium.  
 Angelus Apostolos è carcere liberat,  
 Mox è templo revocati, objurgantur, dein  
 Virgis cæduntur. Gamalielis postea  
 Consilio evadunt, & restituuntur suis.

## ACTVS I. SCENA I.

## ANANIAS, SAPHIRA.

*Iambici.*

**G** Audeo. Saphira, fundum nostrum ex animi sen-  
 tentia  
 Esse venditum, putaveram enim nullum fore  
 Qui tanti eum licitaretur. *Sap.* Bona  
 Mei x emptorem facile invenit suum; Fœcundus  
 Et fertilis admodum, itaque copiosus  
 Fructus quovis anno protulit.

**Troch.** Idque satis notum erat omnibus.

*An.* Est ut dicis. Sed quid quod te rogem?

*Saph.* Quid? *An.* Totamne hanc pecuniam  
 Summam, an partem ejus aliquam conferemus in  
 Commune; Scio Iosephum aliosque plurimos  
 Nihil sibi servasse, verum ad Apostolorum

**Pedes**

Pedes effudisse omnia.

Sed an idem expediat nobis, nondum satis scio.

*Sap.* Ego quoque quid hic tibi consilij dem, nescio.

Aliorum liberalitas placet mihi:

Nihilominus tamen, quid ex usu nobis fiet,

Etiā atq; etiā videndum est. Vbi semel omnibus

Facultatibus erimus orbari, ab alijs

Ut pendeamus erit necesse. *Anna.* Idem illud me  
mover:

Itaque super hac re amplius deliberandum

Mihi tecum esse censui *Sap.* Benè fecisti.

Temerè enim faciendum est nihil.

*An.* Rectè. Sed quid hîc mihi succurrat exponam  
tibi.

*Saph.* Quid obsecro ? dedo. *An.* Non nisi tertiam  
partem

Dandam arbitror. Quod supererit servabimus

*Troch.*

Nobis. Neque plus accepisse, ut opinor, suspicabi-  
tur

Quisquam. *Sap.* Benè, atque ex animi mei sententia

Isthuc in mentem venit tibi : itaque consilium tuum

Probo, quid enim est necesse, ut ita nos spoliemus,

Ab alijs ut statim subsidium sit petendum

Nobis. Lubenter indigentibus subvenero,

Ita tamen ne ipsi egeamus. *An.* Rectè, assentione

*Proximus* enim quisque est sibi.

Atque id quidem naturæ lege sancitum est,

Ut quisque sibi melius esse malit, quam alteri.

*Troch.*

Quanquam ex eo, quod servandum nobis proposui-  
mus.

In alios, si quando opus erit, liberales

Esse poterimus. *Sap.* Est ut dicis. *An.* Quin hoc *Troch.*  
quoque

Subinde vereri in mentem mihi venit. videlicet

Ne Pharisei, invidia atque odio concitati,

Hunc nostrum cœtum aliquando interturbent, &  
Apostolos

Gregis nostri pastores, ex regionibus

His ejiciant, atque è medio etiam tollant.

Quæ enim adversus eos moliti autè, & quam  
Atrocia sint minati, nobis notum est omnibus.

Quod si adversi quippiam eis fortè evenerit, vel si  
E medio, quod Deus prohibeat, fuerint sublati,

Non video qui deinde æquè nobis consulant fide-  
liter.

*Sap.* Eho Anania, istuc est sapere, non solum quod  
præsens

Est videre, sed ea quoque quæ nondum adsunt, &

Tamen fieri possunt, multo ante prospicere.

*An.* Istuc si acciderit, quod tamen non eventurum  
existimo,

Supererit, unde ad tempus prospiciamus nobis,

Sed intro nunc eamus, ut pecuniæ

Hujus partem tertiam toti summæ

*Troch. 3.* Detrahamus: eamque mox reversi, Apostolis  
Offeramus, *Sap.* Ut lubet, Præcede, consequor,

### ACTVS I. SCENA II.

P E T R V S, I O A N N E S.

*Iambici.*

**D**Eo nobis sunt magnæ agendæ gratiæ  
Frater, qui quæcunque egimus hætenus, sua  
Secundarit clementia.

Videmus quotidie negotij Euangelici maximum

Profectum: accurrunt undique plurimi,

Neque tenuioris solum, sed lautioris

Etiam fortunæ homines: qui facultates suas

*Troch. 2.* Omnemque rem familiarem ad nos deferunt,  
Nihil inde servantes sibi.

*Io.* Benè dicis frater: nam soli Deo

Acceptum id ferri convenit. Itaque nihil tam

Magnificè dicere possumus,

Quin ejus in nos id longè superet benignitas:

Qui nobis præsidio est in rebus omnibus.

Moliuntur quidem adversus nos Pharisei, atque Sa-  
ducei,

Ve-

Verum nihil efficiunt quicquam. Neque mirum.

Quid

Enim adversus Deum humana valet industria?

Quid ingenia, licet vafra atque callida, &

Ad fallendum instructa? Nihil omnino, itaque di-  
vino

Auxilio adjutis, nulli unquam nobis suis

Calumnijs nocebunt. Incant consilia,

Et comminiscantur quicquid volent: nihil

Tamen illis succedet: sed irrita,

Quæcunque conantur, erunt omnia.

*Pet.* Certum, atque indubitatum id quidem est mihi.

Perpendamus nobiscum obsecro,

*Troch.*

Quam varijs nos circumvenire conati sint

Modis: & quos nobis tetenderint laqueos:

Tum quo pacto manus in eos injecerint

Frequenter, dira, atque atrocia minitantes.

Sed quid profecerunt? *Io.* Nihil

Omnino, quin ipsi suis, quibus irretire nos

Parabant, cassibus involuti, non nisi

Probrum, atq; ignominiam accersiverunt sibi. *Pet. O*

Dei clementiam! o benignitatem divinam,

Nunquam nobis satis dignis celebrandam laudibus!

*Io.* Nos rudes, atque idiotas ad magnificum hoc

Evangelicæ legationis munus provocavit,

Nostrosque animos suo numine ita confirmavit, ut

Nullum omnino nobis formidandum arbitremur.

*Io.* Eam ego constantiam divina gratia

Animo meo infusam sentio, nam mortem, qua nihil

Plerisque videtur terribilius, facile,

Et patienter feram: siquidem in hoc munere,

A Christo nobis commissio, mori concedatur mihi.

*Pet.* Idem ut mihi eveniat frequente opto.

Nam qui ita perit, minimè interit

*Troch.*

Quin hac una ad immortalitatem nos deducet

Via. Sed ecce cum Ananiam huc advenientem. *Io.* Est

is ipse.

*O*pperiamur eum paulisper, dum accesserit.

*ACTVS*

## ACTVS I. SCENA III.

ANANIAS. PETRVS, IOANNES.

*Iambici.*

**V**eluti mihi cum uxore convenit, sic faciendum  
puto.

Adfero itaque non nisi tertiam partem. Atque id satis esse arbitror,

Sed Petrum & Ioannem non ita procul hinc stantes video,

Opportunè admodum: Accedam ad eos. *Pet.* Huc recta

Ad nos se conferunt. *An.* Salvete viri honorandi.

*Pet.* Salve Anania Quo pacto tuæ

*Troch.* Tibi succedunt res? & quo animo ab eo fuisti tempore,

Quo te nostro addixisti gregi?

*An.* Tranquillo, ac quieto admodum. *Ion.* Hæm bene est, isthuc tene

*Troch.* *An.* Spero id futurum: atque ideo agrum, quem habebam, vendidi:

Pecuniamque quam emptor numeravit mihi

Ad vos defero, quod item alij fecere plurimi.

En accipite. Lectum est, conveniet numerus, quantum accepi.

*Pet.* Itane ais Anania? *Ana.* Itæ, nam tanti vendidi.

*Pet.* Eheu, doleo vicem tuam. *Ana.* Qui sic? cedo.

*Pet.* Rogas? Cum spiritui sancto semel te addixeris, Cur obsecro mendacio

Vtendum existimasti tibi. Neq; dolis, neq; fallacijs, Circumvepiri ille potest. Cacus dæmon, qui nostram Nobis salutem invidit; & qui hoc sacrosancto negotio

Modis obsistit omnibus, hoc ut diceres

Persuasit tibi: nimirum ut perniciosissimum

Istud fraudis exemplum in nostrum hunc cætum

Per te induceret. Nemo te ad vendendum quicquam impulit,

**Vc**

Ut ipse probè nosti. Nunc cum ultro fundum vendideris,

Ad quid benignitatem simulans, uretis

Mendacio? Laudatur eorum liberalitas,

Qui quod habent, in medium conferunt. Neque interim

Rejiciuntur, qui sua sibi servanda existimant: ut alijs inedia

Laborantibus ipsi succurrant. Vnde igitur tibi in

Mentē venit, in hoc tam sancto fucū facere negotio?

Deo, non hominibus es mentitus. Atqui ille

Mendacijs haud fallitur. *Ana.* Ah, peccasse me

Confiteor. Sed quid mihi tam subitò eveniat nescio,

Animo malè est: & sentio

Mortem imminere mihi. Eho, sustinete me.

*Ioa.* Collapsus in terram, expiravit animam. *Pet.*

Eheu, dolco

Vicem ejus. Atque utinam fraus illa nunquam ei

Succurrisset. Nos frater oremus Deum, ut

Quod ipse humano falsus affectu,

Commisit: sua ei dignetur remittere

Clementia. Eho adolescentes, auferte hoc corpus hinc

Ac sepelite. *Io.* O dolor gravis! Quo non pecuniæ

Cupiditas hominem impellit? *Pet.* Eâ adversarius noster

Crocodæmon homines seducit, fallitque plurimos. *Io.*

Est ut

Dicis, *Pet.* Eamus nunc intro, & quod contigit *Ananias,*

Notum faciemus omnibus.

## ACTVS I. SCENA IV.

SAPHIRA.

*Iambici.*

**M**aritus meus *Ananias*, cum modo exiret  
Ad Apostolos, ut se sequer præcipiebat  
mihi,

Nunc

- Nunc itaque ob eam causam egredior foras,  
**Troch.** Sed sapienter, mea quidem sententia,  
 Fecimus, qui non nisi partem tertiam  
 In medium nobis esse conferendum existimavimus  
 Ut ipsi habeamus, quo utamur, si forte necessitas  
 Nos urgeat. Vetus est dictum : nequicquam eum  
 sapere, qui non  
 Sapit sibi. Mea quidem est hæc ratio, & sic animum  
 induco meum;  
 Quod nobis superest, indigentibus id esse  
 Impertiendum : ita tamen, ne ipsi nostris  
 Facultatibus omnibus effusis, ad inopiam, &  
 Egestatem redacti, rebus illis careamus,  
 Quibus corpusculi indiget necessitas.  
 Divitias nunquam expetivi magnopere, & tamen  
**Troch.** Paupertas semper mihi visa est onus miserum, &  
 grave.  
 Adque ideo eam vitandam, quoad fieri potest,  
 Censeo. Sed nimis hic subsisto diu, istuc nunc  
 Illum sequor. At opportune atque in ipso tempore  
 Petrum & Ioannem egressos video, acedam ad il-  
 los, &  
 Vbi meus sit maritus queram : quem hic me inven-  
 turum arbitror.

## ACTVS I. SCENA V.

PETRVS, IOANNES, SAPHIRA, IONADÆS.

*Iambici.*

**D**Eum immortalem ! quantus scrupulus,  
 Quantusque est omnibus injectus metus.

**Troch.** Intellecta tam repentina Ananiæ morte.  
 Cavebit, opinor, posthac quisque, ne simili

**Troch.** Fraude utatur. Vnum istum perire voluit  
 Deus ut multorum saluti consuleretur.

**Io.** Ego quoque ob id istud ita factum esse existimo.

Sed ejus uxorem huc accedentem video.

Mirum ni rescivit, quod marito contigit

*Per.*

*Pet.* Non arbitror : nam nullum in ejus vultu mœrorem

Conspicere mihi videor. Sed recta huc ad nos accedit,

*Sap.* Hem hiccine eras Petre ? & tu quoque Joannes ?  
Benè

Seres haber. *Ad vos ibam. Ioa.* Qua dere. *Sap. A- Troch. 23*  
grum

Nostrum vendidit maritus;

Pecuniamque illum ad vos detulisse existimo:

Id enim facturum se dicebat modò: & uti

Mox sequeretur mandabat mihi. *Pet.* Credo, & fuit

Ille hic. Sed dic mihi seriò sodes: an non

Pluris agrum istum vendidistis, quam maritus

Tuus dixit nobis? *Sap.* Minimè: nam quod accepit,

In medium sibi conferendum esse arbitratus est:

Idque meo consensu. *Pet.* Siccine ais mulier ? non te  
pudet

Vanitatis? Itane inter vos conspirastis, ut

Spiritum Domini mendacio

Falleretis, quem per nos videtis operantem?

Nunc quia conscia es fraudis, fucique quem fecit  
maritus,

Eique in hac simulatione socia, atque adjutrix

Fuisti, etiam moriendum erit tibi. En petum vestigia

Eorum, qui virum sepelierunt tuum.

Eidem te quoq; efferent. *Sap.* Hui, quid tam celeriter

Mihi accidit? genua labant, vox deficit,

Tum oculi vident nihil. O Deus!

Respice me morientem. *Io.* Concidit & illa mortua,

Miseret me ejus. *Pet.* Divinæ tam commendemus  
clementiæ.

Sed opportunè ad sunt adolefcentes illi,

Maritum illiusque sepelierunt modò.

Quibus ut hanc quoque efferant, mandabimus

Eho, juvenes, mulierem istam, quam mortuam

Humi jacere conspiciatis, auferte hinc, atque apud



Ananiam ipsius maritum, sepelire. *Ion.* Neque hic neque alibi in

Nobis erit mora. *Pet.* Mortem obierunt illi, sed sua Culpa, quid enim in tam gravi negotio Simulatione erat opus? *Ion.* Idem & ego arbitror. Horum exemplo Deus toti suo gregi

*Troch.* Consulendum existimavit.

*Pet.* Rectè, & piè. Nunc, ut diei tempus est, Intro nos recipiamus, & negotium, quod à Deo Nobis est commissum, exequamur sedulò. *Ion.* Fiat.

## ACTVS II. SCENA I.

EYSTACHIVS, MACARIVS.

*Iambici.*

**E**Ho frater, audistin' quid contigerit Anania;  
*Mac.* Audiui, & ea res mihi doluit maximè.

*Eu.* Et mihi certè : nam magna cum illo à pueritia mihi fuit

Familiaritas. *Mac.* Ego quoque amico illo usus sum diu.

*Troch.* *Eu.* Scio. Sed quid uxori insuper illius Evenerit audiuisse te etiam existimo

*Mac.* Nihil omnino. Sed dic mihi sodes, an & Ei quicquam accidit malè;

*Eu.* Verò malè. *Mac.* Quid audio? *Eu.* Illa paulò post secuta,

Et non plus, quam maritus ad Apostolos Detulerat, sese ex fundo vendito accepisse seriò Confessa, mortua etiam in terram protinus Est collapsa. *Mac.* O prodigium! Eho frater, etiam Atque etiam videamus, ne ad istum peccemus modum

Ego certè à tali fallacia me temperaturum Spero alieno periculo edoctus. *Eu.* Rectè. Deus Enim cui nota sunt omnia, fraude, aut astutia

*Troch.* Cujusquam falli haud potest. *Mac.* Est ut dicis: namque insimi

Animorum nostrorum illi patent recessus.

Et propterea si quis quid agere conetur,  
 Quod se Deum celare posse cogiter,  
 Errat profecto, & desipit planissime,  
 Omnia illè veluti palam intuetur,  
 Ita odit dolum, & aversatur fallaciam.

*Eu.* Sic est : Syncera animi simplicitate oblectatur  
 maxime. At

Troch.

Quid isthuc esse dicam, quod magnam huc procul  
 Adventare conspicio hominum multitudinem;  
 Abeamus hinc. *Mac.* Hem maneamus paulisper, dum  
 Propius accesserint. *Eu.* Nisi me oculi fallunt,  
 Infirnum incumbentein grabato bajulant.

*Ma.* Nihil te fallit prospectus. Fama, ut opinor,  
 Earum rerum excivit illos, quas Deus

Hisce superioribus diebus per Petrum, aliosque  
 Apostolos palam conspiciendas exhibuit omnibus.

Troch.

*Eu.* Id est ipsum. Huic quoque corporis  
 Sanitatem ex his expectandam esse existimant.

*Mac.* Sanabitur, & ille proculdubio, si ex animo, &  
 Falsa fide id sibi præstari cupiat. Quæ enim

Divina gratia ante per Apostolos

Effecta sunt, non solum nobis, sed alijs

Quoque nota sunt multis. At ecce Petrum, &  
 Ioannem

Opportune profecto; Secedamus hinc

Istorsum, & procul spectemus quidnam eventurum  
 fiet.

Troch.

## ACTVS II. SCENA II.

PETRVS, IOANNES, NOSOPONVS,  
 SIMEON.

Iambici.

Quæcūque hætenus egimus fratres, abundè

Troch.

Nobis Deus sua secundavit clementia,

Neque vulgaria ea sunt, quæ per nos ille multis

Troch.

Præstitit : sed nova, inaudita, prodigiosaque omnia.

Sed rursus accedentes conspicio plurimos.

O 2

Quin

Quin ægrum gestant lecto incumbentem, hic  
cos

Opperiāmur. Spero & nunc divinam nobis  
Non defuturam gratiam. *Mef.* Me miserum, quam  
diu

Ego cum hoc colluctatus sum malo? *Sim.* Tace  
Sodes fili, & quod est ferendum, patere foriter.  
*Querimonij*s enim nihil nisi malum conduplicas  
tuum,

*Nof.* Eheu pater, facile ipsi cum valemus,

*Troch.* Recta consilia ægrotis damus:  
Tu si hic sis, aliter sentias. *Sim.* Credo fili. At bono  
Animo esto, brevi tuis cruciatibus

*Troch.* Finem futurum spero. *Nof.* Faxit ita Deus.

*Sim.* Faciet. Tu modo ut quietus sis vide.

*Troch.* Sed commodè, atque in ipso tempore video  
Huc venientes, quorum opera, ac beneficio  
Te sanitatem recuperaturum confido. *Pet.* Nunc  
Accedamus proprius. *Sim.* Vltro huc se conferunt.  
Oh, gaudeo, compellabo illos comiter.  
Eh odum boni viri, salvere. Vos quærebamus:  
*Pet.* Quid ita? *Sim.* Dicam. Hic quem decumbentem  
cernitis,

Meus est filius, morbo autem, quo annos plurimos

*Troch. 2.* Est discruciatu, nemo potuit mederi  
Hactenus. Nunc itaque ad vos confugimus  
Viri honorandi, ut malum hoc, quod ope humana  
tollinequit.

Quodque medici uno ore insanabile esse prædicant,  
Vos illi divino auxilio aduti, adimatis

*Pet.* Est quod quærendum existimo. Hem tibi dico,  
Qui æger decumbis. *Nof.* Divine vit, quære  
Quod vis, respondebo lubenter. *Pet.* Si firmo,  
Sanoque corpore valetudinem hodie  
Consequaris pristinam,

*Troch.* Crede, ne id tibi Iesu virtute contigisse?

*Nof.* Credam bone vir: & illius nomen, quoad  
vixero.

Pro-

*Professurum me polliceor tibi. Per.* Oh laudo:  
*Surge.* & quocunque lubet ingredi, *Nos.* Periculum

Faciám, atque successurum confido, adeo animus  
 Mihi gestit gaudio. *Sim.* Deum immortalem? quod  
 Ego novum spectaculum video? Hem, cave  
 Nimium tibi confidas fili. *Nos.* Mitte me  
 Sodes pater, nullò unquam tempore melius  
 Valui, quam nunc, Deus bone, cui unquam quicquam accidit

Felicius? Reverende vir, quo ego beneficio hanc tuam

Erga me compensabo munificentiam? Hoc  
 Satis certè scio, nihil me tam magnificè unquam  
 Dicturum, quin benignitas id superet tua.

*Per.* Non nobis, sed divinæ clementiæ,  
 Quod tibi accidit, acceptum feres. Humana enim  
 Ope, aut industria nihil hic est effectum.

Troch.

*Nos.* Oh, quantam ego commutationem in me factam esse sentio,

*Sim.* Præ lætitiâ ex oculis lachrymæ erumpunt mihi,  
 Sed ne tanti erga nos videamur immemores  
 Beneficij, æquum esse arbitror, ut aliquo munusculo

Me gratum præbeam. *Ioa.* Nihil moramur munera

Troch.

Dei benignitate abundè divites sumus. Satis  
 Magnam gratiam relatum nobis arbitramur,  
 Si quæ de Christo nostræ salutis auctore,  
 Prædicamus, vera certaque esse credideritis.

*Nos.* Verissima ego illa confiteor esse omnia.  
 Atque ut ita sentiam, ipsa res me compellit. Scio

Quibus tormentis, & quibus cruciatibus  
 Annos afflatus fuerim plurimos. Nunc cum  
 Omnis doloris expertus, me Christi istius,

Troch. 2.

Quem vos prædicatis, auxilio  
 Planè confirmatum sentiam,  
 Ingratus, atque inhumanus sim, nisi in eum  
 Certam fidem, atque spem salutis  
 Mihi conferendam existimem. *Ioa.* Euge laudo,

Fac perseveres in eo. *Sim.* Me quoque restam prodigiosa

Troch.

In eandem pertraxit sententiam. Atque in hoc proposito ut constanter persistam Deum Oro. *Pet.* Bene facis; nam ille solus nobis est Orandus: ab eo enim omnia bona, atque salutaria ad Nos proficiscuntur munera: ille per suum

Troch.

Filium Iesum hæc tam mira, inaudita operatur, Et genti palam conspicienda exhibet Israëlitarum. *Nos.* Id equidem, ut dicis, ita esse credimus.

Nunc nos rogamus supplices,  
Ut vestris precibus nos Deo commendetis.  
*Pet.* Faciemus sedulo. *Sim.* Valet viri reverendi,  
*Nos.* Non ego

Troch.

Illis valedico, sed quocunque eunt,  
Aut ituri sunt, sequar. Ita enim de me sunt Meriti, ut quoad vixero, mihi Illos nunquam relinquendos existimem,  
Idem & tu uti facias velim pater. *Sim.* Faciam Fili, atque lubenter, *Pet.* Euge, laudo. Sequimini

### ACTVS II. SCENA III.

ANNAS, CAIPHAS, MELCHIAS.

*Iambici.*

**E**st ut dixi Caipha. Inveniendum planè est nobis huic malo

Remedium. cum tam protervè atque contumaciter Illudendos nos sibi proponat hoc Seditiosum hominum genus. *Cai.* Ah, nescio profectò, quo

Horum tandem evasura sit audacia:

Quando neque carceribus, neque verberibus quicquam

Profecimus hactenus. At eccum subito accurrentem Melchiam.

Quam vereor ne & is aliquid nobis mali adferat,

*Ap.* Idem ego metuo: nam tristior

Vide-

Videtur. *Ca.* Præstolemur hic  
Eum & quid dicturus sit auscultemus.

*Mel.* Defessus sum currendo, principem nostrum  
Annam dum per totum quæro oppidum. *Cai.* Te  
nominat.

*An.* Audio. *Mel.* Tibi meritò cum tua monstratione Troch.  
Irratus sum Syre, qui me isthuc eum quæsitum ire  
Iusseris, ubi nemo illum toto vidit die.  
Sed opportunè herculè cum Caipha hic illum stan-  
tem conspicio.

Nihil potuit fieri commodius. Iam tandem mihi  
Concedetur quiescendi copia. Quanquam haud læ-  
tum adferam

Nuncium. *Caip.* Audin' quid dicat? *An.* Quid ni au- Troch.  
diam.

Sed alloquar. Ehem, quem te quæsisse dicis Mel-  
chiaz?

*Mel.* Te mi Domine. *An.* Quid erat causæ? *Mel.* Ah,  
rogas? nescis

Quas turbas illi seditiosi concitaverint modò?

*An.* Quas obsecro? *Mel.* Infirmum quendam, diu  
gravi

Discruciatum morbo, ab eis sanatum esse, in ore

Est omni populo, id te quærenti quot mihi

Dixere: Toram civitatem hujus facti fama

Implevit. *An.* Credo isthuc, nam talia & alias

Fecerunt. Sed non divina virtute, qua

Illi se sua exequi ubique jactitant,

Sed cacodæmonis fraude, ac vafritie faciunt omnia. Troch.

*Cai.* Nihil eo certius. Itaque ut improbos eorum

Conatus omnibus viribus impediamus.

Enitendum nobis est sedulò. *An.* Id quidem

Fiet propediem: nam in crastinum diem universum

Nostri ordinis concilium convocari

Iubebo: quodque eorum auctoritate tum

Decernetur, exequendum

Curabo protinus. Namus nunc intro. *Cai.* I præ, se- Troch.  
quor.

**D**eum immoralem ! quanta, & quam admiranda  
Deus

**Troch. 2.** Quotidie per Apostolos nobis conspicienda  
Exhibet prodigia; quæ miracula?  
Nunquam exaudita, aut visa hætenus. O Deus ! ser-  
va obsecro

Hæc nobis bona. Sed estne Eustachius iste, quem  
In ultima isthac platea stantem conspicio?  
Is est ipse. Quin huc accedit, commodè  
Profectò. Nullus est, quem malim nunc mihi ob-  
viam

**Troch.** Venire. *Eu.* Admirandis rumoribus,  
Varioque populi sermone excitus prodeo,  
Domi enim me haud potui continere diutius.  
Ad Macarium hinc recta me confero

**Troch.** Via. Sed eccum eum. Nihil potuit fieri oportunius.  
*Eho*, salve Macari. *Mac.* Et tu Eustachi. Sed quid  
fertur?

Aut quidnam adfers novæ rei?

*Eu.* Verbis profectò non possum eloqui, quæ quo-  
tididè

Evenire audio; mira, ac prodigiosa omnia.

**Troch.** Oh, frater nunquam à nobis laudari satis  
Poterit Deus, qui per suos  
Tanta hominibus dignatur præstare. Sed  
Dic mihi quæso, audistin' de ægro illo qui sanatus  
est

Modò? *Mac.* Audivi. Quin istius rei rumor  
Per totum est divulgatus oppidum. *Eu.* Minimè  
Miror. Sed quid Pharisei? Ringuntur, cruciantur-  
que in animo.

Neque quiescunt tamen, & nihil non moliantur.  
Sed

Frustra ipsi se fatigant, nihilque efficiunt: nam

Ab-

Absurda, atq; ridicula sunt quæ adferunt,  
 Quæ cum refelluntur, magicas ad artes, &  
 Cacodæmonum astus sibi confugiendum putant,  
 Quasi Deus per impios, atq; maleficos sua  
 Mortalibus ediderit miracula.  
 Olim Patrum nostrorum tempore, per Mosen,  
 Aliosq; Prophetas multa divinitus exhibita sunt  
 Prodigia. Sed dic mihi sodes, talesne isti fuerunt  
 Viri, quales hi nostri sunt Pharisei? *Mac.* Minimè,  
 Probi,  
 Piiq; erant illi. Hi contra improbi, qui non  
 Quod populo sed quod sibi conducatur, quærunt ma-  
 ximè,

*Eu.* Verum dicis Macari. At quid facias adversus hoc  
 Hominum genus, qui falsa sanctimoniam, ac  
 Scientiæ opinione elati, quosvis præ se sperpendos  
 Existimant? Itaq; magni passim fiunt,  
 Atq; coluntur ab omnibus. Hanc dignitatem ne  
 Amittant, metuunt. Neq; enim ipsos later,  
 Non vera, sed simulata, & fucata esse, quæ  
 Faciunt omnia; Atq; ideo sibi timeant.  
*Mac.* Sic est profectò. At, ut intra eamus, nos  
 Tempus monet. *Eu.* Agedum, ut lubet,

## ACTVS III. SCENA I.

ANNAS, CAIPHAS, PETRVS, JOANNES.

*Iambici.*

Q Uod publico decreto constitutum est, id  
 Nunc exquendum est nobis: nimirum ut eos  
 Compræhendamus sacrilegos, atq; in carcerem  
 Conjiciamus. *Cai.* In eo fidum, atq; strenuum  
 Adjutorem me præbebo tibi. Sed astu ut rem  
 Aggrediamur necesse erit, ne elabantur,  
 Aut clanculum evadant. Ad suffugia enim eis  
 Mille patent rimæ. *An.* Scio ego isthuc & propterea  
 Domum, in qua esse solent, dispositis præsidis  
 Undiq; cingi, atq; observari jubebimus.  
 Dein' vi effringemus fores.

O s

Quod Troch



Quod si quis fuerit, qui se defendere, aut opponere  
Audeat nobis, faxo ut malè pereat protinus.

*Ca.* Rectè, laudo, *An.* Nobis, qui res curamus publi-  
cas.

Quibus, ut majorum decreta inviolata, atq; integra  
Serventur, est commissum, cum quibus populi  
Curæ est salus, eo incumbendum est sedulo,  
Ne detestanda hæc hæresis

Serpat latius. Atq; id me consequenturum spero.

*Ca.* Factu id quidem nobis erit facillimum. At  
Satis jam consultum videtur mihi, maturè facto opus  
Est. *An.* Benedicis. Nunc igitur isthuc recta conce-  
damus. At

Eccos quos quærimus huc procul adventantes.

*Ca.* Vbi illi sunt? *An.* Ah, ad cone tibi hallucinantur  
Oculi? *Ca.* Nunc video. Oh, nihil potuit fieri oppor-  
tunius.

Sed ne ubi nos viderint, alio

Se proripiant metuo. *An.* Id si fecerint, facile

Eos nostri assequentur: Sed nihil nunc ut  
Arbitror, quisquam illorum suspicabitur mali.

Nam quod de illis inter nos est decretum,

Planè ignorant. Secedamus hinc paululum

In hanc plateam, unde illos ex improvise

Adoriemur prætereuntes, *Ca.* Eho, callidè. Placet.

*Pet.* Pro tam multis, tantisq; erga nos beneficijs nun-  
quam Deum

Laudare poterimus satis. Promisit ille se

Nobis effecturum magna, & minimè vulgaria: Ac

Multo maiora præstat quotidie. *Id.* Vere tu isthuc

Dicis frater: nam mira, atq; nunquam antè audita.

Aut visa per nos ille operatur. *Pet.* Sic est, non enim

Verbis solum, sed etiam corporis nostri

Vmbra ægros sanatos esse vidimus.

**Troch.**

Quo quid unquam contigit

Prodigiosius? *An.* Ehem, ad sunt. Comprehendite, &

In carcerem illos absq; ulla deducite

Mora. Vah, quid cunctamini? *Pet.* Itane nobiscum

**Agon.**

Agendum existimatis? *Ioā.* Quid commeruimus malia  
*An.* Rogas quid commerueritis impudens? notissimum

Id equidem est omnibus. *Ioā.* Quid dic fodes: Ego  
 Certè nulli me unquam nocuisse existimo.

*Pet.* Neque ego. Nisi forte dum ægrotis medemur,  
 Infirmis pristinum vigorem corporis  
 Restituimus, nos peccare arbitremini.

*Caip.* Nihil nos illa moramur, in quibus cacadæmon est

Adjutor vobis. *Pet.* Deus hoc prohibeat. Quod nobis obijcitis,

Idem ante objecistis Christo. Quanquam id nullis,  
 Probare unquam potuistis rationibus: & nihil  
 Certè dici potest absurdius,

Aut à vero alienum magis. Nam cacadæmon neq;

Per se, neq; per aliū efficere potest talia,

Sola illa divina sunt virtute. *An.* Ohe,

Satis superq; jam verborum est. Abripite hinc eos

Atq; asservandos curate sedulo.

*Ioā.* Ah, siccine fieri oportet? *An.* Abripite inquam; *Troch. j*  
 quid

Statis? Quoties idem dicendum erit vobis?

Ahe, sic dabo, Nunc nos, qui voleo, laceffro: saxo

Eodem illum, quisquis erit, mactatum infortunio.

*Ca.* Istud quidem ut faciamus illorum

Nos cogit audacia: quæ, si salvi esse volumus,

Pro viribus cohibenda est nobis. *An.* Ita quidem

Fict. Lenitate nihil effecimus

Hactenus. Nunc ira nostra quid valeat

Experientur propediem. *Ca.* Ita nos facere decet. *Troch. a*

### ACTVS III. SCENA II.

SANGA, SYRVS, PETRVS, JOANNES.

*Iambici.*

**E**Ho, quid restitatis, aut cunctamini improbi?  
 Sequimini, jam satis moratum est diu. *Sy.* In eum

*Vos*

Vos deducemus locum, ubi seditionis aut  
 Tumultus excitandi nulla vobis copia  
 Erit. *Pet.* Neque tumultus, neq; seditiones concita-  
 vimus

Vnquam. Id enim ne faceremus, semper nos docuit  
 Christus: concordiam autem, pacemq; omnibus  
 Commendavit nobis. *San.* Vnde igitur per totum op-  
 pidum (bone

*Troch.* Tanta exorta est per vos turbatio? *Ioan.* Non illa, q  
 Turbatio est: sed ex ijs, quæ ad filium  
 Suum celebrandum nobis exhibet Deus,  
 Magna inter homines passim existit admiratio.

Nemo est nostrum, qui reipublicæ statum  
 Vnquam turbandum existimavit sibi. Bene  
 Meriti sumus de multis: quod vobis etiã notũ est satis  
 Nec est, ut opinor, quisquam, qui à nobis injuriam  
*Troch.* Sibi factam esse queratur. *Syr.* Nostri Principes  
 De vobis queruntur omnes: utpote

Qui simplicem, atq; credulum populum fallacijs  
 Circumvenitis, *Pet.* Non circumvenimus, sed,  
 A qua aberrarunt, in rectam reducimus viam,  
*Troch. 2.* Idque ut faciamus. à Deo  
 Præceptum est nobis: Hinc nos abduci nullis  
 Patiémur rationibus, etiam si Principes  
 Vestri mille nobis intentent cruces.  
 Dum ne ob malefacta perimus, nihil moramur.  
*San.* Magna admodum est vobis animi constantia:  
 Sed ne ea in nervum erumpat, videte sedulò  
*Ioan.* Mortem contemnenti nihil in hac vita unquam  
 accidere

*Troch.* Potest mali. *Syr.* Satis quidem tu id fortiter;  
 Sed an ex animo loquaris nescio. Sapientes  
 Ipsi, mortem omnium rerum terribilium  
 Maximè terribilem esse asserunt.  
*Pet.* Sapientes illi planè desipiunt: qui animum  
 Voa cum corpore interire existimant,  
 Nobis, qui post brevem hanc vitam æternam requiẽ,  
 Atq; immortalem expectamus, vivere  
 undum, mori dulce

Videtur. Quid enim hæc vita habet voluptatis?

Quid non potius laboris ac molestiæ?

Atque ideo quis non malit ad cæleste istud domici- Troch.  
lium

Hinc emigrare, quam in his corporis

Detineri vinculis? *San.* Confidenter tu

Quidem isthuc. Sed aliud te dicturum arbitror,

Si moriendi inciderit necessitas.

Troch.

Eadem ego alios audiui loquentes confidentia.

At, Deus bone, quam sui dissimiles

Erant, cum jam mortem imminere conspicerent sibi Troch.

*Ioan.* Humanæ naturæ imbecillitate id accidit,

Sed divina adjuti ope, quid est

Obsecro, quod non efficere queamus?

*Pet.* Nihil omnino. *Syr.* Credo, At nimium hic morati

Sumus diu. Eho Sanga, in carcerem tu eos

Deducito, & asservandos cura sedulo.

Ergo te interea hic opperiar foris. *San.* Ehem, sequi-  
mini.

*Ioan.* Nulla in nobis est mora, -----

### ACTVS III. SCENA III.

SANGA, SYRVS.

*Iambici.*

----- Ita me Deus amet, ut

Ego nullos unquam in vita audiui loquentes

Animosius. Atq; hanc animi fortitudinem

Re ipsa præstant: nam torti, atq; cruciati, adeo

Non ingemiscunt, aut lamentantur,

Ut sensu eos carere dixeris.

Ad quorum mentionem nobis horrescunt animi

Hæc illi patienter, magna; animi constantia

Ferunt. Tum divitias, opesq; quarum cupiditate

Omnes, quotquot sumus, nihil non & facimus

Et parimur, Deum immortalem! quam facile

Troch.

Contemnunt, paupertate sua contenti. Sed video

Redeuntem Sangam. *San.* Eho, facite ut jussi, asserva- Troch.  
te eos

Diligenter. Carceris ostium

ut

**Troch.** Ut omnibus repagulis occludatur,  
Etiam atq; etiam videte. Præcipue autem hoc edico  
vobis,

Ut alienum ad eos intromittatis neminem :  
Ne os sublinatur nobis. *Syr.* Ohe Sanga, quid  
Te isthic remotatum est tam diu?

*San.* Constringi, servariq; illos præcepi sedulo.  
*Syr.* Bene fecistis : nam ne elabantur, summa adhibenda cautio est.

**Troch.** *San.* Id ne fiat, præfecto carceris  
Est providendum. Nos illos ei tradidimus. Si suo  
Is malè fungatur officio, nihil nostra refert :  
Ipse viderit. *Syr.* Rectè. Sed quid tibi  
Videtur de illis? aut quales tu eos esse  
Existimas: velim loquaris libere:

**Troch.** Nam soli hic sumus. *San.* Ut quod sentio loquar *Syre*,  
Neq; malos, neq; improbos ego  
Illos esse arbitror. Id enim ex oratione  
Eorum, quæ, quo animo sit quisque, maxime  
Declarat, mihi perspexisse videor. *Syr.* Tales  
Ergo eos esse judico ab omni fraude, atq; malitia  
Alienos. *San.* Hic tibi planè assentior: nulli  
Enim nocuisse illos audivimus  
Vnquam: sed contra profuisse plurimis.  
*Syr.* Id equidem notius est, quam ut quisquam inficiari  
queat:

Nihilominus tamen Pharisæi, & Principes  
Nostri cane pejus, & angue eos oderunt omnes:  
Atque adeo in exitum illorum totis incumbunt viribus.

**Troch.** *San.* Scio istud. Verum an rectè faciant, ipsi viderint,  
Amore ego eos, & benevolentia dignos,  
Non injuria, aut contumelia afficiendos arbitror.  
*Syr.* Mecum sentis. Nam si illos, qui bene faciunt,  
In vincula conjiciendos putamus, quid eis  
Faciemus, qui dederint damnum, aut malum?  
*San.* Cuiq; ut aut bene, aut male meretur, referenda  
est gratia.

Bonis

Bonis probitatis præmium, pœna improbis  
Debetur. *Sy.* Sic est. Sed alias inter nos latius de eo  
Loquemur. Nunc intro concedamus. *Sa.* Placet.

## ACTVS III. SCENA IV.

EUSTACHIUS, MACARIUS.

*Iambici.*

**P**Rô summe Deus! quid est, si non hæc appellanda  
injuria est?

Homines innoxios, & optimè meritos in carcerem,  
Uti maleficos, detrudi? an non ipsos pudet?

Quis unquam audivit quicquam factum indignius?  
Vx vobis Pharisei: Deus enim tam impium,  
Tamque nefarium nunquam impunitum relinque-  
scelus.

Quid tibi videtur Macari? *Mac.* Divinam equidem  
Vindictam eos non evitaturos satis

Certò scio. Sed interim

Me illorum miseret, qui cum nihil mali commerue-  
rint,

In carcerem sunt conjecti: & quibus pro beneficio

Tam mala rependitur gratia. Quo eos animo

Jam esse credis, qui obscuro, fœdoq; inclusi ergastulo

Ab hominibus se moti, ac distracti sunt omnibus?

Et ne inedia conficiantur metuo. *Eu.* Deum,

Quem sibi propicium habent, eis

Subventurum confido. Is animum illis sua

Confirmabit gratia. *Mac.* Idem & ego futurum

Spero. Sed in quem tandem finem hæc res nobis

Evassura sit nescio. Quo odio nos totus

Phariseorum grex persequatur, &

Quam infensi sint nobis, probè nosti, *Eu.* Scio.

Scio frater, hoc inter ipsos esse decretum.

Vt nos quotquot Christi nomen profitemur, omni-  
bus

Exagrent, vexent, atq; torqueant modis,

Neq; cessaturos, donec nos ex hisce ejecerint

Regionibus. *Mac.* Id quidem illi moliantur: Sed Deus

Nisi

Nisi me animus fallit, eorum impios frustrabitur  
Conatus, quem dum fautorem, benevolumq;  
Troch. Habemus, nihil nobis est metuendum mali.

Quis enim cum Deo unquam pugnavit feliciter?  
Eu. Nemo frater: nam adversus illius potentiam  
Nihil omnino humanæ valent vires, nihil  
Dolus, fraus, aut calumniæ. Jusserunt illi eos  
Comprehendi, & in custodia asservari: sed  
Ne quid durius insuper in illos statuant,  
Spero prohibiturum Deum.

Troch. Mac. Eadem spes & mihi animi lenit egritudinem.  
Scimus quæ nobis præstitit hæcenus, eiusq; benevo-  
lentiam

Perpetuam etgā nos fore confidimus, idq; ex illius  
Promissis, quæ neq; quæquam fefellerunt, neq;  
Fallent unquam. Sed ut diei tempus est,

Troch. 2. Intro nunc concedamus, & Deum oremus,  
Vt gregi, quem sibi ad evangelicum negotium  
Eligendum censuit, sua

Consulere ac prospicere dignetur clementia.

Eu. Benè mones. Idem uti simul omnes faciant hor-  
tabor sedulo.

#### ACTVS IV. SCENA I.

ANGELUS, PETRVS, JOANNES.

*Iambici.*

**D**Ei suprēmi ego sum nūncius, (ne quis  
Fortè hominem me esse existimet)  
E cœlo in terram missus, ut hos pios viros,  
Quos Pharisei comprehensos in vinculis tenent,  
E carcere educam, & quolibet eundi faciam copiam:  
Clausum videris ostium, seramq; sedulo  
Obsignatam: præterea repagula foribus  
Obiecta. Quæ quidem homines arcent: at ea ego  
Nihil moror. Jam faxo ut amoris impedimentis  
Omnibus, carcerem apertum conspiciatis.  
Adeste, atq; intuemini prodigium. Eho, satis  
Hic in tenebris, desedistis diu.

*Pro.*

Prodite, ecce fores vobis reclusas. *Pet.* Deum  
Immortalem! quam ego vocem audio? animus  
Lætitia exhilaratur mihi, *Ioan.* Et mihi. Sed eccum o-  
stium

Apertum, Bone Deus! quid istud est novæ rei?  
Egrediendi præbetur copia, cum nihil nos jam  
Remoretur. *Pet.* Divino id nobis beneficio  
Contigit. Humana enim opera hic effectum est nihil.  
*Ang.* Verè tu quidem istud. *Ioan.* At, at, serva nos obse- Troch.  
cro

Mi Deus. *Ang.* Estote bono animo. Is suo  
Subsidio salvos facit.

*Pet.* O immensam divini numinis clementiam!  
Deum tibi propitium opto ô bone, quisquis es:  
Non homo, sed ex Patris cœlestis nunciis  
Mihi videris esse aliquis. *Ang.* Rectè coniectas. Ille  
enim,

Vrè carcere vos educam huc me misit. Exite  
Itaque, & templum ingressi, prædicare cuilibet. Troch. 2  
Quæ ipse per totum terrarum orbem divulganda  
Mandavit vobis. Quæ hætenus fuerunt  
Occulta, nunc uti revelentur necesse est.

*Pet.* Faciemus sedulo. At quid istud? quo ille tam  
Subito se ex nostris subduxit oculis? Animus mihi  
Metu atq; gaudio turbatus est totus.

*Ioan.* Et mihi frater. *Pet.* O Deus! quibus præconiis, Troch. 2.  
quibus

Te efferemus laudibus?  
Nihil tam magnificè dicturi sumus unquam, tua Troch.  
Quin id erga nos longè superet benignitas.

*Ioan.* Quem posthac metuemus, Deum cum in rebus Troch. 2.  
omnibus

Nobis adiutorem esse experti sumus hætenus?

*Pet.* Planè nullum. Oh, quantum inter nostros erit  
Gaudium? contra, quanta indignatio,  
Quantusq; metus inter Pharisæos & Scribas, ubi  
Nos è custodiaeductos, & vinculis  
Exemptos viderint? Sed discedamus hinc,



Et in templum, uti sumus jussi, recta nos conferamus:

Jam enim diloxit. *Ioa.* Benè mones.

Deum immortalem! quanta erit populi admiratio,

Quantus concursus? ubi nos non à Pharissæis

Dimissos, sed divina ope ex ergastulo

Liberatos intellexerint.

**Troch.** Per Stupor procul dubio illos capiet maximus,  
Omnesq; laudabunt Deum.

Pharissæorum quoq; animos, ut spero, hoc miraculū

Movebit, quando secum cogitabunt, quam

Ille locus, in quo nos concluderant,

**Troch.** Vbdiq; sit munitus. & quo pacto isthinc evadendi  
Nulli pateat facultas nullum suffugium: &

Tamen nos compedibus solutos, & custodia

Tam arcta exemptos, in templo populum docere, ut  
ante

Consuevimus, conspiciant. Quod nisi

Meliorem mentem eis ademerit perversitas,

Ac pertinacia, divinis tandem prodigiis

Convictos, mitiores posthac illos in nos

Futuros spero. Sed sol jam est exortus, &

Templi ostium apertum video. Ingrediamur. *Ioa.* Sequor.

#### ACTVS IV. SCENA II.

#### MACARIVS. EUSTACHIVS.

*Iambici.*

**E**heu quanta mihi sollicitudo perturbat animum;  
Totam hanc noctem insomnem duxi, atq; nunc  
quoque

Ut sim quierus, nemo facile effecerit.

**Troch.** Quoties enim tecum cogito, Petrum & Joannem,  
qui mea

Vita chariores sunt mihi,

In carcere detineri, nihil mali commeritos, non

Possum quin commovear, atq; illis irascar,

Qui laudatos istos, & optimos viros,

**Sibi**

Sibi torquendos, atq; affligendos existimant.

Vident illi quotidie quæ Deus

Per eos operatur, haud vulgaria

Profectò: sed neq; visa, neque audita hætenus.

Nihilominus tamen odio, atq; invidia concitati,

Adeo non commoveantur, ut eorum in nos acerbitas

Indies exasperetur, atq; inardescat

Vehementius Sed quidnam Eustachius agat visam: Troch  
non enim

Procul ab illius ædibus absum. Accedam propius, & Troch. 2.  
Pullabo ostium. At eccum foras eum prodire con-  
spicor,

Nihil potuit fieri opportunius. Paulisper hic

Subsistam, ut quid loquuturus sit, audiam.

*Eu.* Deus malè perdat impiū hoc Phariseorum genus

Qui tam benè de ipsis meritistam malam referunt

Gratiam, Ah, itane fieri decet? O ingratitudinem! Troch.

Sed quisnam iste? hem, benè habet: Macarius

Est. Commodè admodum: nullus enim est, quem  
nunc obviam

Malim venire mihi. Alloquar.

Ehem Macari, quid te electo tam mane

Evocavit. *Mac.* Quid? tun' hic eras

Eustachi? *Eust.* Eram, sed responde sodes ad id

Quod te rogo. *Mac.* Dicam, neque dormiendi, neque  
quiescendi

Tota hac nocte mihi fuit copia: neq;

Tranquillo animo prius ero, quam innocentes

Illos excutere, in quo nunc affliguntur miserè.

Exemptos esse videro. *Eust.* Spero id futurum.

Propediem: nam Deum & ipsis, & nobis subventurū

Confido, cuius, quo nobis res desperatior

Est, hoc propius est subsidium, quod sapitis

Re ipsa experti sumus. Sed ad templum devenimus

Vbi nobis osandus erit Deus, ut suo

Arbitrio, non nostra voluntate exequi

Dignetur omnia. *Ma.* Recte tu isthuc frater, laudo.

Troch.

**N**Vnc post gratias Deo actas, aliud in super  
Est exequendum nobis: nimirum quæ  
In mandatis nobis data sunt à Christo, & hic  
In templo, & alibi, atque adeo per totum terrarum  
orbem

Intrepidi prædicemus. *Io.* Id absq; ullo metu  
Me effecturum spero. *Pet.* Deus nostros conatus  
Sua secundabit clementia. At soli hic satis diu

Troch.

Colloquuti sumus: ubi nemo nos hætenus  
Conspexit. Accedamus ad illos, quos in medio  
Templi errantes videmus, eisq; animum impleamus  
gaudio,

*Io.* I præsequor: sed placido, ac suspensò gradu, ut  
Ex improviso illis subveniamus. *Pet.* Age, placet.  
Sed visi ac cogniti sumus.

Hic subsistamus. *Eu.* Eho fratres, suspicite,  
Et qui huc ad nos veniunt, advertite obsecro.

Petrus & Joannes sunt. *Mac.* Quid ais? ij sunt  
Ipsi. Quo pacto evaserint è carcere nescio.

*Eu.* O rem mirabilem! *Pet.* Fratres, Deo in primis  
Agite gratias, de n' nobis gratulamini,  
Qui divina ope liberati è carcere sumus.

*Eu.* Hiccine eratis, quos arctis compedibus victos  
Esse in custodia putabamus? Quid istud esse  
Dicam? An Pharisei, mutata in melius sententia,

Vos missos fecerunt? an aliud quippiam  
Divinitus accidit vobis? Id ut nobis

Narretis obsecro. *Pet.* In viris atq; insciis  
Illis nobis carcerem aperuit Deus.

Troch.

Nunc itaq; vos oro fratres, ut ea, quæ sum  
Dicturus, attentè atq; serio audiat.

Vidistis quæ nobis frequenter antè, & quæ nunc præ-  
stitit

Deus.

Deus. Quis obsecro homines metuendos sibi  
 Existimet, cui tam præsens adest divinū subsidium?  
 Moliantur isti, quicquid voluerint, nihil  
 Tamen unquam sunt effecturi. Namq; mihi  
 Credite fratres; frustra se defatigat, qui adversus  
 Deum

Troch.

Pugnam suscipit. Quos ille salvos esse vult,  
 Eis neq; nocere, neq; incommodare  
 Poterit quisquam. *Io.* Id quidem jam pridem persua-  
 sum fuit

Mihi: neq; errare in ea re me arbitror. *Pe.* Rectè:  
 Istuc teneamus fratres: & quicquid nobis evenerit,  
 Feramus fortiter. Brevis & incerta hæc est vita,  
 Et diversis subiecta casibus.

Ad immortalitatem, quæ promissa est nobis,  
 Aspiremus guaviter. Eñodum fratres, quotquot hic  
 Adestis, idē ut faciatis obsecro *Eu.* Faciemus sedulo  
 Et ab hoc proposito nemo nos suis deterrebit minis.  
*Pet.* Euge, laudo. Nunc hic maneamus, Deoq;  
 Simul omnes pro ipsius erga nos benignitate  
 Agamus gratias. *Io.* Fiat. Nusquam id fecerimus  
 Commodius, -----

Troch.

## ACTVS IV. SCENA IV.

ANNAS, CAIPHAS, SANGA, SYRVS.

*Iambici.*

---- Quid isthuc? Itane ad clarum dormivi diem?  
 Sed video huc accedentem Caipham. *Cai.* Somnum  
 herculè hæc

Nocte oculis non vidi meis: adeo quo hæc res  
 Nobis evasura sit metuo. Sed ecceum Annam. *An.* E-  
 hem Caipha,

Troch.

Salve: & ut felix dici huius exortus tibi  
 Sit opto. *Ca.* Gratiam habeo, idemq; tibi vicissim  
 Precor. Sed de illis, quos in carcerem coniecimus,  
 Quid nobis decernendum existimas? cedo

Sodes. *An.* E medio ego illos continuo tollendos cen-  
 sco.

Troch.

Nam id nisi fecerimus, neq; tranquillo, neque  
Quieto animo erimus unquam. *Cai.* Recte consulis;  
Itaq; hic ego tibi lubenter obsequor.

*An.* E carcere igitur eos ad nos reduci  
Jubeamus, causamq; illorum cognoscamus  
Exactius: neq; desinamus, donec hoc  
Seditiosum hominum genus extirpaverimus fundit?  
*Troch.* Sed Sangam, atq; Syrum huc commode accedentes  
conspicor.

Ideis negotii dabo. Heus heus, quo vobis iter  
Est? *San.* Eho, hiccine eratis domini? non praevidera-  
mus

*Troch.* Vos. *An.* Credo, sed ad id quod te rogo, mihi  
Responde. *San.* Ambulatum ire constitueramus.  
*An.* Aliud nunc erit faciendum vobis. *Sy.* Quid cedo  
Domine? quicquid praeceperis, effectum dabimus  
protinus.

*An.* Quos in custodia heri nostro iussu deduxistis,  
Reducite huc ad nos. *Syr.* Faciemus sedulo.

*Troch.* *Cai.* Ite, & maturate reditum. Tantisper hic  
Vos opperiemur, dum reditis. *An.* Quod semper  
Dixi, idem nunc dico denuo. Nisi improbos  
Hos, atq; audacissimos homines cohibuerimus, nisi  
Impiis horum conatibus

Omnibus obstiterimus modis, neq;  
Salvi, neq; incolumes erimus diu. *Cai.* Idem & mihi  
Praesagit animus. Nam si superiores  
Semel evaserint, nihil illis in mentem veniet,  
Quod non audebunt homines sceleratissimi.

*An.* Id ne fiat, magna nobis est adhibenda cautio:  
Quibus religio, ac populi commissa est salus.  
Quapropter ne languentes nos in hac re, aut  
Socordes esse sentiant, videamus sedulo,  
Sed redeuntes eos huc conspicor solos.

Quid causae sit miror. *San.* Pro summe Deus! quid hoc  
Novae rei est? Fores repagulis objectis vidimus  
Occlusas; custodes ante carcerem probe  
Officio fungentes suo, mox ostio

Aper-

Aperto, intus reperimus neminem.

*Ca.* Audin' quid dicat? *An.* Audio, & discrucior animo.

*Sy.* Minime lætum adferemus nuncium, atq; eccos

*An.* Eho, quid ita? soline reditis? *Sy.* Soli, uti  
Videris Domini: namq; in carcere neminem

Invenimus; & nihilominus tamen clausum

Erat ostium, & custodibus probe munitum.

*An.* Quid audio monstri simile? Eho, quid ais *Syr?*

Reperisti carcerem vacuum? *Syr.* Est ut dixi domine.

*An.* Et occlusas

Fores? *San.* Vere vobis hoc nunciamus. Sed

Quis iste, qui hac celeri propera: gradu?

*Ca.* Phylax est, nisi mihi oculi prospiciunt parum.

*An.* Is est ipse. Idem nunciatum, ut opinor advenit,

Quid sit dicturus audiamus.

#### ACTVS IV. SCENA V.

PHYLAX, ANNAS, CALPHAS, SYRVS, PETRVS.

*Iambici.*

**P**RO Deum immortalem! quidnam istud prodigii  
Est? Quos heri in custodiam

Pharisæi civitatis nostræ principes,

Deduci iusserunt, in templo populum

Docentes conspexi modo: & mirabar sane. *An.* O-  
ratio

Hæc plane animum perturbavit mihi. Alloquar.

Eho Phylax, quid ais? *Ph.* Hic cine eratis domini?

Nescitis quem ego nunc vobis nuncium adferam.

*Ca.* Quemnam obsecro? *Ph.* Mirum profecto. Petrus &

Joannes, quos hesterno comprehendi iussistis die,

In templo sunt: neq; illi soli. sed alii insuper

Multi, ad ea, quæ docent, aures accommodantes se-  
dulo.

*An.* Quid ais Phylax? vidisti n' ipse, an

Audita nuncias? *Phy.* Hisce oculis domine.

*Ca.* Ah, quid audio? Ehodum, quid ais Anna? Si

Neq; carceribus, neq; vinculis, adversus eos  
Proficimus quicquam, quid tandem futurum

Troch. Censes? *An.* Nescio, & tamen

Remedium erit quærendum huic malo. Hem Syre  
I una cum Sanga in templum, atq; eos ad nos  
Huc reducite: sed sine ulla vi, ne inter populum  
Tumultus exoriat. Belluam enim illam multorum  
capitum

In nos ut provocemus, expedire haud arbitror.

*Cai.* Sapis. *Crabones* enim, ut aiunt, non sunt irritandi;

Quin etiam non concitati, lædunt satis. *An.* Ita

Est: Sed properate vos, atq; revertimini protinus

Troch. *Syr.* Faciemus herculè sedulo.

*An.* Adducent illi quidem eos, ut arbitror:

Sed neq; quid in illos statuemus, neq; quomodo

Nobis consulemus scio *Cai.* Neq; ego quidem:

Troch. Nā quæ adversum illos fecimus hactenus, infelicitè  
Nobis cesserunt omnia. Et

Tamen non ope divina, ut illi gloriantur, sed

Cacodæmonis fraude hæc ego fieri arbitror. *An.* Id  
quidem

Certum, atq; indubitatum est mihi. Sed video om-  
nes simul

Huc accedentes. Verum audi quid in mentem veniat  
mihi

*Cai.* Quid! cedo. *An.* Hodie neq; loquendum cum  
eis, neque

In illos decernendum nobis esse quicquam: nam

Pauci hic nunc sumus, & consulto est opus. *Cai.* Rectè

Placet. *Pet.* Itane rursus nos ad se vocari

Iusserunt Pharisei? *Syr.* Est ut dixi, sed non ut ne-  
ceant

Vobis, aut incommodent:

Sed aliud sibi vobiscum nunc agendum esse

Dixerunt nobis. *Pet.* Quicquid erit, sequimur: nam  
publicam

Potestatem nullo modo contemnendam arbitror,

Quan-

Quamquam nihil boni ab ipsis expectandum  
 Est nobis. *Syr.* Res indicabit. Hem domini  
 Ad sunt, quos ad vos adduci voluistis. *An.* Bene  
 Fecistis, unà cum illis intro abite:  
 Mox aut sequemur, aut huc ut redeatis  
 Inbeimus. Ingressi sunt illi. Nunc id restat, ut  
 Nostri quotquot sunt ordinis,  
 Convocentur omnes: ut consilium unà  
 Capiamus, quid in hac periculosa, atque  
 Implicata re nobis faciendum fiet. *Ga.* Eamus ad  
 Eos: ibi istud fiet commodissimè. *An.* Placet.

Troch. 2.

Troch. 3.

## ACTVS V. SCENA I.

ANNAS, CAIPHAS, PHILAX, PETRVS,  
 GAMALIEL.

*Iambici.*

**V**erus dictum est, *priusquam incipias consulto*, ast ubi  
 Consulueris, maturè factò opus est. Quare, nisi  
 Quid disseñtitis, huc illos ad nos statim  
 Vocandos arbitror. *Ga.* Esto, placet. *An.* Ehem Phy-  
 lax

Intro te confer, & Syro, Sangaëque nostris præcipe  
 Verbis, ut Petrum & Ioannem huc educant. *Phy.* Cu-  
 rabo sedulò.

*An.* Lupum plane, ut fertur, tenemus auribus:  
 Nam neque quopactò illos retineamus, neque quo  
 modo

Honestè ac tuto missos faciamus video.  
 Interminati illis ante sumus graviter, ne istius  
 Christi mentionem usquā facerent. Quam paruerint  
 Nobis, notum est omnibus. At egressos eos  
 Conspicio. Heus heus, adeste, atque auscultate  
 Viri. Scitis quid superioribus diebus  
 Præceptum sit vobis: idque ex totius consilij  
 Auctoritate: videlicet

Ne posthac populum doceretur, neque  
 Iesum istum vestrum usquam prædicaretis,  
 Quando nomen ejus planè aboleri volumus:

Troch. 4.

P 5

Vc



Vt cum verbis vobis edicebamus pluribus.

In qua quidem re adeo non obsequuti estis

Nobis, ut multo audacius etiam id vobis

Faciendum arbitrati sitis. Ita ut tota civitas

**Troch.** Per vos concitata, variis æstuet

Rumoribus. Quin vestra illa hæresis passim

Per ycinas divulgata est regiones: cum

Malitioso, impioque studio, adhæc calumnijs

In nos conficitis, Christum illum, quæ nos occidimus,

Planè innocentem, ac pium hominem fuisse, &

Nihil unquam commertum mali confidenter

**Troch. 2.** Asseverare audeatis. Præterea Dei |

Filium, & Messiam, oraculis Prophetarum

Olim promissum nobis. Quo quidem modo

**Troch.** Quid aliud quam nos apud populum traducitis?

Atque impietatis insimulatis? qui talem

Occidendum nobis consuimus. *Per.* Audivi,

Satisque intellexi, quæ nobis objicitis. *Ad ea*

Nunc ego vobis hæc respondeo. Nos neque

Auctoritatem vestrâ aspernamur, neque dignitatem

**Troch.** Contemnimus; divina tamen præcepta vestris man-  
datis

Anteferenda nobis esse censemus. Neque

Puto quemquam esse inter vos, qui æquum esse  
existimet,

**Troch.** Veneglecto Deo, hominibus pareamus. Quod

Si quæ vos edicitis, quæ cum divinis præceptis

Consentirent, lubenter vobis obsequeremur

Per omnia. Nunc cum jussa vestra ijs, quæ in

Mandatis à Deo habemus, omnino repugnent, dicite

Sodes mihi, vobisne, an Deo obsequendum sit nobis?

Quin vobis etiam expedit, ut vestram auctoritatem

Divino submittatis arbitrio. Profectò nescio

**Troch.** Vnde vestra illa in nos invidentia,

Vnde odium oriatur: quando eundem colimus, &

Reveremur Deum. Atque hic filium suum

**Troch. 2.** Iesum, quem vos è medio sustulistis, à

Morte revocavit, & ad tantam gloriam evertit.

Vt

Ut non nisi ex eo salus speranda sit  
 Mortalibus, ijs videlicet, qui se deliquisse  
 Confessi, divinam supplices  
 Implorant clementiam. Atque hujus rei  
 Tam prodigiolæ nos oculati testes sumus,  
 Qui familiariter cum illo viximus diu,  
 Antequam moreretur: atque à morte vivum cum  
 Consperimus frequentius: & paulo post in  
 Cælum, unde venerat, rursus ascendentem. Quod  
 si nos

Contempnitis, & his verbis fidem haud  
 Habendam esse putatis, sancto saltè spiritui credite,  
 Qui ea per nos operatur, quæ nemo vidit, aut  
 Audivit unquam. *Gam.* Eñodum fratres, est quod  
 vobiscum agam

Secretius: quare paulisper ut hinc eos,  
 Abire jubeatis velim. *An.* Eño intro rursus sece-  
 dite,

Atque ibi, donec revocemini, manete. Nunc quod  
 Dicendum tibi videtur, dic sodes *Gamaliel.*  
*Gam.* In medium proferam, quod sentio. Viri  
 Israelitæ, etiam atque etiam videte, ne  
 Quid temerè decernatis in hos, cujus vos postea  
 Pœniteat: quando quod factum erit, infectum reddi  
 non poterit.

Ex iis quæ non ita pridem vidistis, vobis pauca  
 Commemoranda putavi, Theudas ille impostor,  
 Multa jactitando, & prodigiola pollicendo,  
 Magnam hominum multitudinem ad se attraxerat.  
 Sed quem quæso ejus nequitia foreita est exitum?  
 Periiit infelicitè: & quotquot illius  
 Erant socij, capti atque interfecti sunt omnes.  
 Atque ita tota hæresis illa extirpata est radicitus.  
 Paulo post Judas Galilæus est exortus.

Ho tempore, quo ex dicto Cæsaris Augusti  
 Totus terrarum orbis describebatur. Cujus cum  
 Popularis esset, atque grata oratio;  
 Nimirum plebem Deo dicatam, non oportere

Tribu-

Troch.

Troch.

Troch.

Tributa pendere principibus idololatriis:

Dictu mirum, quantam hominum copiam brevi

Sibi concilia verit. Sed eodem, quo alter ille

Troch.

Perijt modo. Neque solus, at alij quoque

Omnes, ipsius partes sequuti. Quapropter benè,

Atque sapienter vos facturos arbitror,

Si homines istos missos faciatis, quando neminem

Eriam nunc læserunt usquam. Si quæ illi moliantur,

Ex humano profecta sunt consilio, nihil

Ipsorum efficient conatus: ipsique se

Suo prodent fuco. Sed si Deus negotij

Istius Auctor est, nefas, atque impium

Troch.

Fuerit, id impedire velle. Quæ mea

Sit sententia, intellexistis satis,

Vt opinor. Si quid habetis, quod magis ex usu nobis  
fore

Existimatis, agite, quisque quod sentit,

Eloquatur liberè; ut in concilio fieri decet.

An. Quod faciendum hoc tempore putas Gama-  
liel,

Probo: nisi sint qui dissentiant. Ca. Ratum

Esto: sed ea conditione, ut non nisi virgis

Cæsi dimittantur. Idque eo, ut pœna aliqua affecti,

Sed deliquisse intelligant: & porro caveant, ne

Quid tale posthac committant unquam. An. Placet.

### ACTVS V. SCENA II.

EVSTACHIUS, MACARIUS.

*Iambici.*

**V**eluti animus mihi gestiebat gaudio

Quando fratres nostros è carcere liberatos, &

Docentes in templo videbam; ira nunc, cum eos

Pharisæi ad se rursus vocaverint, ne quid mali

Illis eveniat metuo. Mac. Idem & me sollicitat.

Se quando, quæ illis præstitit Deus mecum

Cogito, eosque nunc in libera custodia

Esse, animi recipio, & cura illa me torquet minus.

Eu. Ego quoque recordatione eorum, quæ nobis

Eve-

Evenerunt hæcenus, utcunq; me consolor. *Mac.* Oh  
Frater, spes illa certa, atque indubitata sit  
Nobis. Divino auxilio abunde muniti sumus

*Eu.* Piè atque rectè. Id si nobis persuasum esset semel,  
Nullius minas, nullumque supplicium

Metueremus. Nunc naturæ humanæ imbecillitas

Aliò nos impellit frequenter. Itaque Deus

Nobis orandus est, ut animosos & constantes,

In omnibus, quæcunque eveniunt, nos sua

Efficere dignetur clementia *Mac.* Benè

Mones: ab eo nobis petenda sunt omnia.

Verum hoc etiam atque etiam videamus, ut

Non nisi salutaria ab ipso petamus. Non

Semper expedit, quod quisque

Sibi præstari cupit. Deus, quid nobis conducatur,

Novit optimè. Itaque quicquid ille immittit,

Æquum est ut patienter feramus. Novimus

Quid ab ipso Christo nobis sit prædictum: nempe nos

In miseris, atque ærumnis futuros

Frequenter: se tamen nostri obliturum nunquam.

Et quod

Denunciavit, quotidie evenire conspiciamus. Nihil

Non adversus nos moliantur Pharisei,

Calumniandi occasionem quærentes

Vndique: & tamen quo se magis

Defatigant, atque discruciant, hoc proficiunt minus:

Admodum cæci atque ingrati sumus, si divinam hic

Non agnoscamus, atq; confiteamur gratiam. *Euft.* Est

Ut dicis frater: ejus solius ope salvi,

Turique fuimus hæcenus, & impofterum

Futuros confido. *Mac.* Idem & ego spero. Sed ad

Nostros, à quibus abijimus, jam revertamur:

Ut quantum possumus, eos consolemur. Spes bona

Habet animum, Apostolos mox ad futuros

Ipsos. Id ut fiat rogo, atque obsecro te mi Deus.

ACTVS V. SCENA III.

ANNAS, CAIPHAS, SYRVS, PETRVS,  
IOANNES.

Iam-

*Iambici.*

- Troch.** **N**unc cum virgis in illos sit animadversum satis;  
 Ut prodeant jubeamus, eosque missos faciamus;  
 Sed ea conditione, quam severe atque graviter  
 Proposuimus ipsis. *Ca.* Age, si ita placet. *An.* Hem  
 Syre,  
 Viros istos, virgis modo cæsos, huc foras  
 Ad nos educito. *Sy.* Faciam herculè sedulo  
**Troch.** *An.* Spero illos hoc supplicio ab audacia  
 Sua deterritos, posthac melius consulturos sibi.  
**Troch. 2.** *Ca.* Ah Anna, nondum mihi satis perspexisse  
 Illorum videre malitiam,  
 Animique obstinati pervicaciam.  
*An.* Perspexi satis. At nisi nostris edictis pareant;  
 Mox faxo atrociora sentiant: atque  
 Adeo ludum hunc fuisse dicant,  
 Præ iis, quæ in illos decerneretur postea. At  
 Egredios conpisor. E hódum viri, leni,  
**Troch. 2.** Atque moderata pœna animadverrendum hodie  
 In vos cœsumus. Nunc quod vobis modo  
 Edictum est, videre ut reminiscamini,  
 Nam nisi præceptis nostris obsequuti fueritis,  
 Magnum aliquod malum accersétis vobis. *Pet.* Nul-  
 lum ego  
 Malum præter culpam homini unquam accideré  
 posse arbitror.  
*Ca.* Ohe; an non dixi hoc futurum? *An.* Dixisti.  
**Troch.** Verum si aliter, quam sunt jussi, fecerint,  
 Nequaquam impunè ferent. Quin faxo ut lenitatem  
 hanc  
 Nostram sibi in crudelitatem mutatam esse sentiant;  
 Abite nunc, & quæ præcepta sunt vobis, videte  
 Ut faciatis. -----

ACTVS V. SCENA IV.

IOANNES. PETRVS. MACARIVS,  
EYSTACHIVS.*Law.*

*Iambici.*

Quid ais frater; iussine illorum

Nobis parendum, an quod a Deo

Troch.

In mandatis habemus, exequendum existimas?

*Pet.* Divina ego mandata humanis longe anteponen-  
da arbitror:

Cum quod Deus mandat, non nisi iustum, legitimum

Atque salutare sit: homines contra suis

Excæcati affectibus, quod expedite

Sibi putant, plerumque imperent.

Neque id æquum, an iniquum sit vident. *Io.* Verum  
dicis.

At interim illi nos insectari non desinent.

*Pet.* Istud quidem fiet; sed adversus molitiones,

Et impios eorum conatus apimur

Nobis, uti spero, confirmabit Deus.

In hunc si spem omnem conferamus, ejusque

Promissis si constanter fidamus, nullus nocere;

Aut officere poterit nobis: jussere illi quidem

Nos virgis cædi ut maleficos, putantes id

Nobis ignominia, dedecorique futurum. At mea

Sic est ratio, atque ita animum induco meum:

*Qui pro Christi nomine.*

Troch.

Affigitur, non contumelia, sed honore

Afficitur maximo. Et propterea cum tale

Quid accidit, haud mœrendum nobis, sed gauden-  
dum censeo.

Recordare obsecro, quæ Christus eventura sæpe

Prædixit nobis, atque hoc imprimis: beatos tum

Nos futuros, quando homines malè de nobis essent *Troch.*

Loquuturi, aut indignis nos exceperuri modis.

Atque ideo tunc non tam dolendum, quam gauden-  
dum esse, ob

Mercedem copiosam, in cœlo obventuram nobis.

*Io.* Memini, neque ejus nos fallent promissa. Sed

Macarium atque Eustachium foras egressos con-  
spicor:

Gaudebunt, sat scio, ubi nos salvos esse viderint.

Acce-

Accedamus ad eos. *Mac.* Ah frater, quia nondum redeunt,

**Troch. 2.** Quor, & quam variis mens mihi sollicitatur modis.  
 Multa occurrunt, quæ autum diversum trahunt,  
 Et quæ quietum me esse non sinunt. *Eu.* Idem  
 Quoque ægrè est, atque dolet mihi. Sed quos ego  
 Huc accedentes conspicio? *Mac.* Quos? *Eu.* Oh, ro-  
 gas?

Illos ipsos de quibus solitici fuimus hætenus.

*Ma.* Eho sunt, certè sunt. Occurramus eis obviam:

*Io.* Celeri huc ad nos properant gradu.

**Troch.** *Eu.* Hem fratres tandemne ex istorum improborum  
 Hominum manibus evasistis? Deo equidem habeo  
 gratiam,

Sua qui vos conservavit clementia.

*Pet.* Benè facis, Illi soli acceptum ferri convenit,  
 Si quid nobis ex animi succedit sententia.

*Io.* Quibus Deus propitius est fratres, nihil  
 Eis obesse poterit unquam. *Pet.* Istud verissimum  
 Esse, ipsa re experti sumus satis. *Eu.* Sic est.

Sed commemorate nobis obsecro, quidnam  
 Rursus sit actum, & quo pacto elapsi sitis.

*Pet.* Commodius id fiet intus, cæteris  
 Nostris præsentibus. Sed imprimis Deo nobis  
 Erunt agenda gratiæ

Pro immensa ejus erga nos misericordia. *Io.* Id  
 Quidem fieri oportet. Præcede Petre, sequimur.

*Mac.* Valete spectatores, atque plaudite.

F I N I S.



CORNELII  
SCHONÆI GOVDANI,  
Gymnasiarchæ Harlemen-  
fis, Lucubrationum.

*Pars Tertia.*

QVA CONTINENTVR

BAPTISTES. CVNÆ.  
DYSCOLI. VITVLVS.  
PSEVDOSTRATIOTÆ.

*Quibus adjecti sunt.*

LIBER ELEGIARVM, ET  
alter Epigrammatum.



COLONIÆ VBIORVM.

---

Apud JODOCVM KALCOVIVM  
Bibliopolam.

ANNO M. DC. LII.







Reverendo D. Domino Tilman-  
no a VVou, Rhodianorum Domini-  
rum apud Hariemenses Præsuli.

*Cornelius Schonaeus S.*



*Etiam hanc lucubrationum mea-  
rum partem, Praesul reverende, ve-  
stra Dignit. auspiciis mihi in lucem  
esse edendam existimavi, qualescunq;  
tuorum erga me beneficiorum mo-  
numentum. Quod utinam tale esset, ut neque ho-  
norem istum, quem tua virtute es consecutus, de-  
decere, neque quam de me concepisti existimatio-  
nem fefellisse videatur. Quanquam hic non nisi  
duae sunt actiones novae. Baptistes videlicet, & Dy-  
scoli: Quas quidem scripsi eo tempore, quo tam  
imbecilla eram valetudine, ut jucundiori studio  
reficiendus magis, quam ex actiori scribendi cura  
aut exercendus, aut gravandus essem. Et ta-  
men spero candidum lectorem in his etiam meam  
hominis agri, & enis operam non improbaturum:  
immo facile ex filo orationis, & phrasi intellectu-  
rum, ex eadem officina eas uide alia superiores  
prodierunt, emanasse. Quamvis contra non  
mediocriter mihi metuendum arbitror, ne male-  
voli, quorum semper passim & fuit, & erit in-*

gens frequentia, hic requirant, quod ut inelegans, atq; ineruditum vituperent, atq; adeo mordaci invideoq; dente sibi corroendum putent. Quibus nihil habeo quod respondeam, nisi quod oratos eos velim, ut ipsi quid elimatius doctiusq; ex fœcundo, ac divite suo penâ depromant, & hoc quidquid est studij, aut industria nostra ingenii sui splendore obscurerent. Quanquam non magnopere me terreat, moveatq; curiosa, atq; invida horum improbitas, cum opere pretium se in studiis fecisse negabunt: hanc addentes causam, quod nullus adhuc esset, qui ipsis invideret. Qui quidem & recte, & sapienter mihi sensisse videntur. Nam ipsa se res sic habet: donec otio torpentes, nihil laude dignum meditamur, facile Zoilorum istorum morsus evitamus: verum simul ac animum ad res præclaras, laudandasq; applicuerimus, atq; in his profectum aliquem consequi videmur, continuo advolant, qui nos a pulchris istis captis improba atque malitiosa lingua procacitate avocare, atque adeo deterrere conantur. Quos non alia ratione ulciscaris melius, quam si allatrantes contempnas obturatisque auribus prætereas. Sed ne longiori oratione Dign. tuam, gravioribus negotiis occupatam, detineam, finem faciam, si hoc oravero, ne vile nostrum munusculum, & tua erga me benevolentia non satis dignum, asperneris: sed pro animi tui candore, expedita, ac prompta manu excipere digneris. Vale Prasul reverende, Schonaumq; tuum, quo soles amore pergo profsequi.

Harlemi, ipsi Calendis Januarii, Anno 1603.

AD

# AD CORNELIVM SCHONÆVM.

*Præceptorem olim suum.*

**D**um mea mens variis mœtorum quassa pro-  
cellis

Strata jacer, miseris exanimata modis:  
Tempore tam tristi, quo nil nisi funera cernas,  
Er cineres, cheu, ossaq; sparsa legas :  
Tu cui ter frontem Penecæ ferta ligarunt,  
Terque hederæ doctas circumtere comas,  
O Schonæ pater, tacta mihi molliter aure,  
Lugentem suades ad sacra prisca vehi;  
Ad Phœbum, dulcesq; illas ante omnia Musas,  
Fortiaq; Andinæ carmina flare tuba.  
Scilicet ut plenis laudem tuæ Carmina velis,  
Carmina quæ Plautus, quæ tuus Afer amet,  
Carmina Cyrrhæo quæ lavit Musa sub antro,  
Carmina quæ toto merfit in amne Charis.  
Quid referam arguto connexa Epigrammata nodo,  
Quæ superent naso rhinocerora suo?  
Se legit hic rufus, se compris Gallæ capillis,  
Fervidaq; extincto Gellia juncta viro.  
Hic jocus hic blandi sedem posuere lepores,  
Fida tuos semper turba sequuta lares,  
Hæc ubi laudari, meq; ista poemata tanti  
Ducere, se, versu condecorare meo.  
Quæ nec Aristarchus verubus jugulare sinistris,  
Aut etiam Momus vituperare queat,  
Desine, si nescis candelam accendere soli,  
Anticyramq; ohe, me pater ire jubes.

*Atque hæc qui dem præfiscini dicta sunt.*

à PETRO SCHRIVERIO Harlemensi.

A 3

BPI-

Comica

Elegia &  
Epigram  
mata.

## EPIGRAMMA

In tertiam Lucubrationum C.  
Schonæi partem.

**F**esta coronatis niteant aulae theatris,  
Et spirent liquidum pulpita rubra crocum;  
Comptaq; purpurea procedat veste Thalia,  
Vincta imos socco candidiore pedes.  
Ecce calens sacro Schonæus pectora thyrsos,  
Materialudos uberiore canit.  
Assiduoq; novos studiis felicibus edit  
Ingenii fetus, pignora docta, sui.  
Grandævoq; licet laxantur viscera rugis,  
Decolor & parba est, & nive sparsa coma:  
Haud tamen effæto tua Musa vigore fatiscit,  
Magne senex, porior pars viget illa tui.  
Nec pereunt steriles, vacuiq; laboribus anni,  
Et nulli uberius provenit ista seges  
Tertia Goudano debetur palma Menandro:  
Hæc est à primis tertia cura modis.  
At cum scena tuis vigeat Schonæe Camænis,  
Et salibus solvas tota theatra tuis:  
Magna (si qua fides) scena spectabere, & orbis  
Vix capient nomen tota theatra tuum.

*Theodorus Schrevelius.*

BAPTI-

#####

# BAPTISTES SA- CRA, NOVA TRAGI- co-Comœdia.

*Dramatis Persona.*

IOANNES.  
AZARIAS.  
SIMEON.  
IONADAS.  
THRASO.  
STRATO.  
SADOCVS.  
LABRAX.  
HERODES.  
LEONIDES.  
HERODIAS,  
SYRVS.  
SANGA.  
SALOME.  
MELCHIAS,  
LYCONIDES.  
TAMIAS.

*Argumentum in Baptisten, Carmine heroico  
redditum.*

**I**LLE salutiferi vocalis buccina Regis  
Divinus Triton, baptismi haud futilis auctor,  
Desc-

Deserit incultos, salebrosa cacumina, saltus;  
 Perq; Palæstinæ tendens nemora avia sylvæ,  
 Conscia Jordanis vestigia ducit ad undas.  
 Illic fatidicus dispensat mystica vates  
 Dogmata, & intentâ proclamat ad æthera voce:  
 Complânate vias Domini, atq; immania terræ  
 Dorsa æquate solo, ut pateant lato æquore montes,  
 Jamq; fidem, vitæq; suæ delicta professos  
 Edocet, & sacro ter fluminis irrigat imbres.  
 Sed nec Idumæo parcens magis ille Tyranno,  
 Incestas damnat temerato fœdere rædas  
 Coniugii, tristesq; Dei denunciât iras.  
 Vatem infelicem duri custodia claudis  
 Carceris, occulto sævæ post pellicis astu  
 Truncatum est cervice caput, lanciq; repostum.

*Theodorus Schrevelius.*

## PROLOGVS.

*Iambici.*

**S**alvete quotquot hic adestis. En rursus scholæ  
 Nostræ archididascalus Schonæus fabulam  
 Sibi novam conscribendam putavit, quam  
 Hodie nobis dedit agendam, quæ talis est,  
 Ut neq; Tragœdia, neq; Comœdia queat  
 Appellari, cum Comica  
 Oratione argumentum sit scriptum Tragicum:  
 Quod insolens est, & raro usurpatum antea.  
 Thyestæ enim cæna, ut asserit Horatius,  
 Privatis, & socco prope dignis versibus  
 Narrari indignatur Noster hoc negligens,  
 Historiam sacram non sublimi, aut concitato, sed  
 Sedato, ac modesto orationis genere  
 Sibi explicandam est arbitratus; sermone  
 Nimirum argumento pio conveniente,

Vnum

Vnum istum finem proponens sibi, ut suam  
Hanc actionem, qualiscunque ea est, juvenis cum  
Profectu pietatis discere, deinde publicè  
Agere, & populus eandem cum oblatione  
Spectare posset. Reprehendant quicquid volent  
Malevoli: nihil eos moratur, candidis  
Modo si probetur, consequutum se satis putat.  
Nihil unquam proferetur, quod non carpant invidi,  
Qui in scriptis alienis sunt Lyncei, in suis quovis  
Tyresia cæciores. At valeant isti improbi.  
Nunc hujus audite argumentum fabulæ.

## PERIOCHA.

**I**oannes solitudinem relinquit, ad  
Iordanem sese conferens, Vbi populum  
Docet, Christoque viam parandam prædicat:  
Et baptismi lavacro tingit plurimos.  
Herodis incæstas reprehendit nuptias.  
In carcerem mox conjicitur. Dein' caput  
Illi præcidi Rex juratus præcipit.

### ACTVS I. SCENA I.

#### IOANNES.

*lambici.*

**H**actenus in vasta vitam exegi solitudine,  
Ab humano procul amotus commercio.  
At nunc divini instinctu spiritus hominum  
Invisam cœtus: non ut me illorum similem  
Præbeam: verum ut ab impietate,  
Quajam corrupti sunt multi, illos avocem, ac  
Deterream pro viribus. Te itaque oro, atque obsecro mi Deus,

*Troch.*

Meos ut conatus tua secundare  
Digneris gratia. Nihil est quod non facile  
Effecero, tua ope atque subsidio adjutus,  
Nec quisquam erit quanquam potentior, qui aut  
Obesse, aut se opponere poterit mihi. Quod etiam si  
Quis conetur, nihil aliud egerit, quam se adversus

A 5

Scimus.



10 TRAGICO COMOEDIA

**Troch.** Stimulum calcitret, aut laterem lavet.  
 Cæterum inprimis id faciam, in mandatis quod  
 Dedisti mihi: nempe ut filio tuo,  
 Servatori nostro viam  
 Præparem. Quam rem omnium dignissimam  
 Puto; ubi ego nervos intendam meos, atque id  
 Feliciter successurum arbitror. Propius  
 Ad Iordanem me recipiam; ubi non defuturos cre-  
 do, apud  
 Quos hujus meæ legationis fundamenta  
 Iaciam, atque munus exordiar, à te, ô Deus,  
 Commissum mihi. Sed nescio quos huc conspicio  
 Accedere, eos adoriar, quamvis ignotos.

ACTVS I. SCENA II.

AZARIAS, SIMEON, IOANNES.

*Iambici.*

**O**portunè egressi sumus, cæli serenitas  
 Ad deambulandum nos invitat. Sed quis iste qui  
 Recta huc ad nos pergit via?

*Sim.* Vbi is est? *Aza.* A dextra. Eho, viden? *Sim.* Video.

Vnde hic homo prorepserit

*Mior.* *Aza.* Gravis severitas ei est in vultu; &  
 Cultus, habitusque corporis planè horridus,  
 Brevis cultorem esse oportet, subsistamus hîc  
 Pâulisper, videtur nos compellaturus.

**Troch.**

*Sim.* Placet. *Io.* Nunc tempus accedendi esse arbi-  
 tror.

Eho viri boni, salutem

Vobis precor: neque tantum precor, at etiam re ipsa  
 cam

**Troch.**

Præstabo vobis, si aures attentas mihi  
 Præbeatis, & fidem habeatis ijs,

Quæ ego vobis instillabo seridò. Quare  
 Animum advertite sodes, & auscultate sedulò.

*Aza.* Faciemus id lubenter: nam bonum probum-  
 quæ re

**Troch.**

Esse, tua indicio est oratio; quæ quo quisque

In-

Ingenio est, declarat maximè.

Nunc ergo si quid habes, quod nobis ex usu fore

Arbitraris, age, deprome, tua oratione nihil

Gratius erit nobis, *Ioan.* Benignè dicitis:

Gaudeo. Hoc imprimis quod dicam, vobis esse

Debet gratissimum, nimirum tempus illud, à

Majoribus nostris cupidè votisque ardentibus

Expectatum hæcenus, nunc advenisse. Natus est

Enim jam, atque adeo præsens est Messias

Ille; quem à Patre cœlesti venturum olim

Divina vatum prædixere oracula.

*Sim.* Hui, quæ ego nova audio? *Ioan.* Tace sodes.

Et sine me pervenire quo volo *Sim.* Perge

Divine vir, non te interpellabo amplius

*Ioan.* Quod dixi, verum esse ipsa re experiemini

Propediem: mentiri enim non est meum.

*Sim.* In hac quidem re verbis credimus tuis.

Perge obsecro. *Ioan.* Quod modo dixi, idem nunc dico denuo:

Tempus illud multis precibus à nobis,

Nostriisque optatum, nunc adesse. Restat itaque uti  
vos ad

Istius servatoris adventum pareris:

Eiusque vias rectas faciatis. Quod quidem

Hac ratione fiet commodissimè,

Si antea istæ vitæ exosi crimina ad pietatem, atque

Verum Dei cultum vos conferatis, oblatam hanc

Divinitus opportunitatem amplectentes

Sedulo. Nec est quod quisquam indignum hac gra-

Se existimet, quamvis peccatis sit gravatus.

Absit tamen ut desperet, aut animum despondeat:

Sed enitatur potius, ut quod vitij, aut labis est

Contractum, imposterum commutata in melius vita  
eluat.

Id si nunc vobis faciendum statueritis,

Divina non deërit clementia,

Quæ major est profectò, quam ut humanis sensibus

Com-

Comprehendi, aut percipi queat. Et tamen hoc  
mihi

**Troch.** Credatis velim, si pergatis, uti coepistis,  
Oblatamque hanc gratiam contemnatis,  
In vita persistentes improba, Deus  
Impietatem exosus vos punit gravissimè:  
Nec ullus erit deinde respiciendi locus.

*Sim.* Vera ea esse quæ dicis, reverende vir, ut fateamur, ipsa nos

Compellit conscientia, *Ioan.* Hugo, bene succedunt principia:

Nam quemadmodum causam morbi novisse  
Ad sanitatem gradus est, sic ad criminum  
Delictorumque veniam impetrandam nihil  
Æquè valet, quam si quis se peccasse confitens,  
**Troch.** Divinam imploret gratiam. *Aza.* Nihil  
Fecerimus lubentius. Atque ideo oramuste, ut  
Tuo nos consilio juves, eaque nobis infundas, quæ  
ad

Salutem nostram spectare arbitraberis.

Quicquid præceperis, exequemur gnaviter.

**Troch.** *Ioan.* Benedicis: atque ita vos facturos confido.

Primum itaque divinæ magnificentiae

Memores, benignos, atque liberales vos

In eos præbebitis, quos inedia

Periclitari conspiciatis, nam quo hoc in pauperes

Beneficium Deo est gratissimum. *Sim.* Faciemus  
quæ jubes,

Magister, tu modo Deum ora, ut nostros cogens

Secundare sua dignetur clementia

*Ioan.* Faciam equidem lubenter. Cæterum quid præ-  
terea

Agendum, & quo pacto vobis vita emendanda sit,

Alias pluribus dicemus verbis. Hoc unum nunc

Superest, ut sacrosancto baptismi lavacro animus,

Qui vitiiis est inquinatus munderur vobis.

Id enim in mandatis est datum mihi, ne quem

Ad hanc præsentem admittam gratiam, nisi

Aqua

Aqua ablutum. *Aza.* Velubet : parebimus per omnia.

## ACTVS I. SCENA III.

THRASO, STRATO, IOANNES,  
SIMEON, AZARIAS.

*Iambiti.*

**I**AM sudum est Strato : atque ideo ex urbe ruseundum

Mihi videtur. *Str.* Placet. Sed ad fluvium Iordanem camus, in

Cujus ripa hoc tempore versari jucundissimum

Erit. *Thr.* Agedum, ut lubet sequor.

Istic enim nunc esse malim

Quam in urbe : cum hic offendat fumus, populi que strepitus;

Illic vernalis, ac rideant omnia. *Str.* Verum dicis. Neque

Nobis solum ambulatio

Grata est, sed aliis etiam plurimis.

Magnam enim ubique video hominum multitudinem,

Apud Iordanem quoque nequaquam solitudo erit,

Eo recta contendamus via. *Thr.* Nihil

Detrecto. *Ioan.* Nunc cum sacro lavacro abluti

Estis, cavete sedulo

Ne ad eundem, ut ajunt, lapidem impingentes novis

Criminibus Deum offendatis: sed enitimini potius,

Ut quod hactenus imbecillitate humanæ naturæ

Commisum est, probitate atque integritate vitæ

Post hac compensetis. *Sim.* Ei hic, & alibi tibi

Lubenter gesserimus morem. *Aza.* Dabimus operam,

Ne hæc frustra nos monuisse videre. Hoc tantum

Oramus, ut tuæ preces apud Deum

Nobis auxilio fient. *Ioan.* Ita fiet. Sed video

Huc accedentes nescio quos ensibus,

*Trach.*

*Hastif.*

# 14 TRAGICO COMOEDIA

Hastisque armaros: Milites

Sunt, ex urbe ambulatum, ut arbitror, egressi.

*Thr.* Quid isthuc Strato, quod non ita procul hinc video

Stantem hominem incultum, squalidum, & nunquam antè

Visum? miram ni ex solitudine quapiam

Emerferit. *Str.* Video & ego, ad sunt item alij

Nonnulli. *Ioan.* Accedam ad eos propius. Valetè vos,

Et ad me, ubi visum fuerit, revertimini Huc, nisi

Quid me fallunt oculi, se conferunt: Quanquam

Sunt milites, quorum multi improbi, tamen

Opperiare eos: & si quid potero commodè

*Troch.* Loquendo, atque monendo salubriter, non committam, ut

Videar officio defuisse meo. *Thra.* Ego illum

Quisquis est, compellabo. Vir honorande,

Salutem tibi precamur plurimam.

*Troch.* *Ioan.* Benignè, laudo. Sed quæ vos huc causa compulit

*Str.* Cæli clementia, atque amœnitas nos ex

Urbe pellexit. *Ioan.* Benè fecistis: Quin commodè

Id contigisse existimo: Nam magna spes

Habet animum, non sine fructu vos hinc discessuros,

*Thra.* Faxit ita Deus. *Ioan.* Faciet procul dubio modò

Meis admonitionibus obsequamini.

*Str.* Parebimus per omnia,

Si quæ ad salutem nobis sunt futura,

Proposueris: sed milites uti vides, sumus.

Nec te latet, qualis vita soleat esse militaris.

*Ioan.* Scio. Nihilominus tamen nec vobis spem salutis

Abijciendam arbitror. Peccata quidem hominum

Plerumque gravia sunt, major tamen Dei est

Clementia. *Thra.* Istud à te verè credo dicier.

Sed hoc expedi amabò: quopacto nobis propitium

*Troch.* Reddemus Deum? *Ioan.* Dicam, quando bono Animo

Animo, atque serio, ut mihi quidem videtur.

Id percunctamini. Imprimis cavebitis,

Ne cui sua eripiaris, neve plus à quoquam

Exigatis, quam vobis est commissum, stipendijs

Troch.

Vestris contenti. Reliqua, quæ cognoscenda insuper

Sunt vobis, aliàs si ex me quærat, nihil

Vos celabo. *Ser.* Habemus gratiam vir reverende,

*Ion.* Nunc si videtur, abite: & quando quotiesque

Troch.

Vobis commodum erit, huc redite. Tum quæ ex me

Audivistis, alijs etiam impertimini.

*Thr.* Faciemus herclè sedulò.

*Ion.* Nunc isthac ut secedam, res atque tempus me Troch.  
monet.

### ACTVS I. SCENA IV.

SADOCVS, IONADAS.

*Iambici.*

**Q**uid isthuc esse dicam Ionada, quod modo mihi  
Commemoravit vicinus noster Azarias?

Vix credas quantopere id animum commoverit

Meum. *Ion.* Narra sodes istud mihi, nam audire ge-  
stio.

*Sad.* Faciam lubenter. Dicebat se apud Iordanem ho-  
minem

Quendam vidisse atque etiam loquentem audivisse Troch.  
Planè nova, & non audita hæctenus.

Nimirum Messiam olim nobis promissum

Iam advenisse, viamque ejus nobis esse præparandam

Aliaque multa, quæ nunc non est narrandi locus.

Quanquam hæc scio, an quæ ille mihi dixit, vera  
sint

Omnia: & ob id Iordanem recta pergo via.

Ibi enim novum istum doctorem futurum aliquot

Ajebat dies. Quin hoc addebat insuper,

Non se solum audivisse illum, sed multos etiam  
alios,

Troch.

Quos cum attentos, atque dociles videret,

Iussisse, ut redirent, quando vellent. Quod quidem

Troch.

Furu-

16 TRAGICO COMOEDIA

Futurum ipse putabat; quando permotos illius  
Oratione suos facerentur esse animos.

**Troch.**

*Ion.* Quid audio? Sed si tibi

Isthuc eundum esse arbitraris, ibo unà tecum.

*Sad.* Gratum id quidem erit mihi. *Ion.* Propteremus  
igitur? *Sad.* In

Me nihil est moræ. Sed aliud est præterea,  
Quod ille vicinus noster se illic conspexisse

**Troch.**

Ajebat. *Ion.* Eho, an quicquam etiam amplius?

*Sad.* Verò amplius. *Ion.* Quid obsecro? *Sad.* Novos

Illum prædicare ritus: pœnitentiæ

Baptismum, atque hinc delictorum omnium remis-  
sionem,

Ac gratiam. *Ion.* Bone Deus! mira sunt quæ narras.  
Sed

Erant qui citam prodigiosa docenti aures præberent  
aut

Talia loquentem audire dignarentur? *Sad.* Ah,

Rogast non solum illum cupidè audiebant, ut

Is dicebat, sed quidam etiam illius

Oratione moti, patiebantur aqua sibi

Caput aspergi. *Ion.* Superstitionem ego impiam

Illam esse puto. Ut circumcidamur, non ut ablui-  
mur,

**Troch.**

Præceptum est nobis. *Sad.* Verum dicis *Ion* ada.

Sed non ita procul jam à Iordane absumus.

*Ion.* Sic est. Brevem nobis viam hanc nostræ effecere  
fabulæ.

**Troch.**

Sed quid istud? *Sad.* Quid? *Ion.* Videor mihi

Videre non ita procul a ripa magnam

**Troch.**

Hominum multitudinem. *Sad.* Video & ego. *Ion.* Ne  
accedamus,

Vei sciamus quid isthic monstri alatur: atque adeo ut  
Interrurbemus cœtum istum impium. Neque  
Enim dubium est, quin doctorem illum isthic reper-  
turi

Simus. *Sad.* Verisimile est quod dicis, *Ion.* Hem, se-  
quere.

ACTVS

## ACTVS I. SCENA V.

IOANNES, SADO CVS, IONADAS.

*Iambici.*

**Q**Uæ ex me modò audivistis, facite uti recorde-  
mini, ad

Salutem enim ea vobis conducent omnia.

Sed video huc nescio quos accedentes. Improbi

Sunt, nisi me fallit animus: qui non ut doceantur, at

Ut me carpant, ac calumnientur, huc sibi

Veniendum putant. Sed nihil illorum improbitatem  
moror.

Dei subsidio abundè me munitum existimo.

Quem donec habeo propitium, nihil agent, qui meis

Conatibus obesse molientur. *Sad.* Hem, viden'

Illum Ionada? *Ion.* Quid ni, ipse sese suo inculto

Prodit habitu. *Sad.* Accedamus ad eum propius, at

Quid hoc? suis relictis ad nos se confert.

*Ion.* Sic est audiamus quid sit dicturus.

*Ion.* Eho, quid vobis hic negotij est? *Sad.* Qui sic

Magister? *Ion.* Ne me appelletis Magistrum, qui

Doceri non vultis. *Ion.* Volumus equidem, modo ex

Vsu quod sit futurum nobis, adferas.

*Ion.* Non ex animo hoc à te dictum est hypocrita.

Viperarum

Istarum ego progeniem novi, novi & vos, qui patrem

Abrahamum semper in ore habetis, cum tamen

Mores, probitatemque illius minimè imitemini: &

Voluptatibus indulgentes, quæ vobis à Deo

Præcepta sunt, contemnatis. Frustra profectò

Patentem vestrum Abrahamum jactitatis,

Nisi vos similes ejus præstiteritis. Sed ab

Illo degenerastis procul: Nihilominus tamen

Ea est Dei potentia, ut vel ex lapidibus filios

Abrahami suscitari queat sibi; interim hoc

Velim sciatis, jam securim esse admotam arbori,

Ut quæ fructum non proferat bonum,

Exrripetur, & in ignem conjiciatur protinus,

Part III.

B

*Sad.*



18 TRAGICO COMOEDIA

*Sad.* Abeamus hinc Ionada, nescio quæ imtemperia  
hunc hominem

*Troch.*

*Agant. Ion.* Ad res omnes perturbandas ejus tendit

*Oratio. Ioa.* Credo ita videri vobis, qui non

Tam populi salutem, quam mundanam gloriam

Et commodum vestrum quæritis. Apagite, cum

Talibus nolim mihi quicquam esse negotij.

*Sad.* Itane nos deserit, atque contemnit?

*Ion.* Non solum contemnit, sed verbis insuper

Incessit atrocissimis. *Sad.* Probè herclè meminero:

Neque impunè feret. *Ion.* Ita fieri oportet. *Sad.* Fa-  
cessat

Homo procax atque impius.

Næ hæc infelicitè illi cedit confidentia.

ACTVS II. SCENA I.

SIMEON, AZARIAS, IOANNES.

*Iambici.*

**N**ULLIS equidem verbis effari possum Azaria,  
Quantopere me commoverit

Gordata, piaque hominis istius oratio:

Cujus aculeos etiam nunc in animo mihi

Hærere sentio. *Aza.* Nihil mirum profectò:

Divino enim, non humano ore loqui videbatur,

*Sim.* Deum immortalem! quanta gravitas erat in illius

Vultu? quanta in verbis fides? Saturari herculè

Non poteram sermone ejus. Itaque nunc eodem

Propero. *Aza.* Ego quoque isthuc mihi redeundum  
existimo.

*Troch.*

*Sim.* Eamus igitur absque ulla mora nusquam

Cunctantes. *Ioa.* Gratiā tibi habeo maximā

Clementissime Deus, quod negotium,

Tuo divino jussu susceptum, satis

Mihi secundas feliciter: bene enim se habent

Principia, & prosperè reliqua cessura confido omnia

Quando tua benignitate conatus

Meos juvari sentio.

*Troch.*

Atque id nisi esset, quid quæso efficere nostris

*Pos.*

Possemus viribus? Si quid boni est in nobis, si quis ad  
 Probitatem profectus, id tuæ divinæ gratiæ  
 Acceptum ferre convenit. Sed accedunt  
 Huc quidam non ignoti, ut me audiant docentem:  
 in qua

Re non committam, ut quis frustra videatur  
 Operam expetivisse meam. *Aza.* Opportunè huc ve-  
 nimus

*Simeon.* Ecce illum in ripa obambulantem. *Sim.*  
 Commodè

Profectò, Eamus ad eum. *Io.* Qui sint video, nempe ij Troch.

Qui hesternò à me sunt baptizati die

*Sim.* Salve magister. *Io.* Salvere viri. Gaudeo

Quod huc redeatis: hinc enim, quæ ex me audivistis

Vobis grata fuisse auguror. *Aza.* Gratissima

Divine vir, dignaberis

Nunc ea quæ præterea ad salutem nostram pertinere

Putas, nos edocere. *Io.* Faciam sedulò.

Quod baptismi lavacro heri vos tinxerim,

Non ideo id à me factum esse arbitramini, quod ex-  
 terna

Ablutione illa peccata vobis eluenda

Putarim omnia. Aquà vim illam non habet, aliud.

Est quod requiritur magis:

Nimirum ut vitæ vos prioris ex animo

Pœniteat, atque mores commutetis in

Melius. Dein' pietatis ut exerceatis officia.

Quæ quidem in his sunt sita, ut benignos, atque mi-  
 sericordes vos

In eos præsteris, quibus vestro subsidio erit

Opus. Præterea ut patientes in rebus adversis,

In prosperis modesti, ac continentes

Sitis, discordiam omnibus

Modis viteris, pacemque amplectamini:

Qua cælesti vestro Domino nihil est gratius.

His meis præceptis si obsequamini,

Divina vindicta minime extimescenda. a1

Contra, vita æterna expectanda erit vobis,

B 2

*Sim.*

Troch,

20 TRAGICO COMOEDIA

*Sim.* Oh, quam grata mihi illa est oratio, qua ego  
Me totum intus commutari sentio.

*Aza.* Mihi quoque in anima jamdudum novus  
Est exortus vigor, atque insolita alacritas.

*Troch.*

*Io.* Euge, bene habet, felicia vobis ominor  
Omnia, pergite modo ut cœpistis, & nihil  
Mea vos fallent promissa. *Sim.* Dabitur opera di-  
vine.

Vir: hoc tantum te oramus supplices, tuis  
Ut precibus nobis subvenire apud Deum  
Digneris. *Io.* Fiet. -----

ACTVS II. SCENA II.

HERODES, LEONIDES.

*Iambici.*

----- Vera profecto, & veriora etiam  
Quam velim, ego ea esse puto, quæ de novo doctore  
illo

*Troch.*

In ore omni sunt populo: nimirum ex solitudine  
Illum progressum, virum incultum, atque horridum,  
Docere inusitata, neque audita hactenus,  
Nihilominus tamen magnam illius verbis haberi  
Fidem: atque adeo rem eo jam devenisse, ut non  
pauci

*Troch.*

Oratione ejus commoti, aqua  
Se tingi sint passi: certam hinc salutem sperantes sibi.  
*Leo.* Ridiculum. Næ illi tota errant via, qui aqua  
Animum vitiiis inquinatum emundari sibi  
Posse putant. Fabulæ. Ego quidem id  
Neque verum, neque verisimile esse existimo:  
Neque mihi commentum placet. Atque ideo ut  
huic occurras malo,  
Tibi sedulo erit providendum domine. *Her.* Istud  
quidem.

Fiet. Sed non ita procul nunc à Iordane absumus,  
Apud quem, ut opinor, illum inveniemus. At nisi  
Me oculi fallunt, video ipsum ambulantem? *Leo.*  
Vbi?

*Her.*

*Her.* Istic ad sinistram. Ehem, viden' ? *Leo.* Video Troch.  
herculè.

*Her.* Vir est severus, atque gravis admodum. Eamus  
Ad illum, cupio eum audire, cupio colloqui.

## ACTVS II. SCENA III.

IOANNES, HERODES, LEONIDES.

*Iambici.*

**O** Summe Deus! quanta huc intra paucos dies  
Confluxit hominum copia?

Neque id sine fructu; probitatis enim maximum  
Profectum in multis mihi deprehendisse videor.

Quod non nisi tuæ clementiæ est ascribendum

Mi Deus: sine qua nihil humana valet opera,

Nihil industria. Sed venit huc hescio quis. *Satra.* Troch.

pes

Videtur quispiam? adeo magno comitatu incedit.

Tum auro, gemmisque splendet undique. Expecta-  
bo eum,

Ut quid velit audiam, *Her.* Ego illum compellabo, tu  
Orationi uti subvenias vide Leonide.

*Leo.* Faciam, atque advertam diligenter rex clarissi-  
me,

*Ioan.* Nisi me animus fallit, hic rex est Herodes

Suis stipatus aulicis: opportunè admodum:

Nam est de quo cum ipso expostulem. Neque illud  
me movet,

Quod rex sit, alium ego veneror & colo regema

Qui in omnes reges imperium habet, illius

Præceptis ut obsequar necesse est. *Her.* Salve

Magister. *Ioan.* Haud gravatè tibi salutem reprecet, si  
Ipse saluti tuæ tibi consulendum existimares. *Her.*

Quid

Istud? an quenquam usquam reperias, qui suam  
Salutem negligendam arbitretur sibi?

*Ioan.* Multis non est opus ut hic commemorem, te  
esse

Dico illum: atque id certis tibi probabo rationibus. Troch.

B 3

*Leo.*

*Leo.* Ohominem audacissimum! Ah, vide cui  
 Maledicas viro. *Ioā.* Nulli sunt qui magis  
 Maledicunt regibus, atque etiam nocent, quam qui  
 Eis parent, atque obsequuntur  
 Per omnia, qui celant honesta, suadent turpia.  
 Atque in eorum numero vide ne tu etiam jure haberi  
 Queas. *Leo.* Et tu vide, ne lingua isthæc tua  
 Nimis libera malum aliquod pariat tibi. *Ioā.* Nullum  
 ego malum.

Præter culpam esse censeo: qua si caream, quicquid  
 Acciderit, æquo animo feram. *Her.* Rectè quidem  
 Tu istud, nihilominus tamen quidnam loquaris, aut  
 In quem dicas, videndum est tibi. *Ioā.* Facio illud  
 sedulò,

Probitatem laudo, vitia detestor, & ad mutandam  
 In melius vitam exhortor quoslibet. Neque  
 In eo quenquam respiciendū, aut metuendum puto  
 Mihi. *Her.* Satis tu quidem illa confidenter. Sed  
 Dic sodes, in quo tu meam arbitrare me  
 Salutem negligere? Id quidem lubens nunc ex  
 Te audiero. *Ioā.* Dicam apertè, nullis verborum  
 Vtens ambagibus. *Her.* Agedum ausculto. *Ioā.* Quod  
 uxorem

Fratri eripueris, incestisque nuptiis  
 Fruare, in eo quis non dicat te peccare graviter?  
 Quæque ad tuam salutem pertinent, parum  
 Te curare? ut pote qui non quod Deus jubet,  
 Sed quod tua tibi libido suadet, faciendum putas.  
 Hæc ego tibi nunc dico liberè. Atque utinam is  
 animus

**Troch.** Effet omnibus iis, qui in aulis versantur principum,  
 Ut vera loqui malint atque salutaria,  
 Quam blanda, & noxia. *Her.* Ohe, quid isthuc? tun  
 mihi

Quid agam præscribes impudens?

*Leo.* Vah, rebus te immiscere regiis, eaque uti  
 Audacia, an non te pudet? *Ioā.* Tace adulator, qui  
 non nisi

Ad

Ad gratiam didicisti loqui. Utinam sapiant

Reges, talesque ex aulis expellant suis.

*Leo.* Abeamus hinc rex illustrissime,

Hominemque fugiamus maledicum : qui ut rabidus  
canis

Impetit, atque laceffit quoslibet. *Her.* Placet.

*Troch.*

ACTVS II. SCENA IV.

IOANNES.

*Iambici.*

**A**Biit ille iratus, commotusque admodum,  
Sed neque iram cuiusquam, neque gratiam mor-  
ror.

*Abunde multos fautores habet, qui*

*Troch.*

Rectè facit: neque ei nocere potest quisquam cui  
Deus est propitius. Admonui quidem illum liberius:

Quod apud quosvis mihi faciendum existimo, hunc  
In me animum ut confirmes, oro te mi Deus.

Nunc in vallè istam hinc secedam, ibiq; requiescens  
Opperiatur, quos huc modo venturos arbitror.

Qui neque superbia elati, neque sua, qua aliis se  
Præstare credunt, nobilitate turgidi,

Sed animo demisso, bonis, salubribusque

Admonitionibus libenter parent. Tales cum  
Accedentes video, lætitia animus ex hilarescit mihi:

Fastuosos illos satrapas,

Aliosque falsa sanctimoniz specie

Sibi placentes, missos facio lubens.

ACTVS II. SCENA. V.

HERODES, IOANNES.

*Iambici.*

**Q**Vanquam tam libera hominis istius mihi non  
parum

Molesta modo erat oratio, tamen in animo

Nescio quem scrupulum sentire videor. Quæ

Dicebat ille, parum quidem jucunda erant mihi.

Sed vera tamen, atque salutaria fore existimarem; si

B 4

Possim

# 24 TRAGICO COMOEDIA

Possim exequi : & nisi alio me libido trahat, cui  
Si obsequar, ejus rejectis, atque contemptis  
Admonitionibus, periculum est, ne ipse  
Malum accersam mihi. Quapropter clanculum  
Cum illo solo de hac re agere proposui, atque ob id  
Missum feci Leonidem. Heus heus, vos me, quo  
Sumiturus, sequimini. *Ion.* Ad litus mihi rursus  
Redeundum puto, cum jam quieverim satis.  
Sed quos huc procul adventantes conspicio? sub-  
sistam

Hic, atque expectabo, donec propius accesserint.  
*Her.* Ehem, hac me sequimini. Quem quaero, & qui-  
cum colloqui

Cupio, non ita procul hinc stantem conspicio.

*Ion.* Idem est, qui hic ante fuit, nimirum rex Hero-  
des, sed

Non ita magno comitatu, atque strepitu, Opperi-  
ar eum

Ve, quid dicturus, aut quid petiturus sit, audiam.

*Her.* Vos isthuc secedite paulisper, est quod cum  
Hoc homine agam. Magister, redeo ad te, ut vides:  
Quamquam asperioribus tuis verbis modò haud pa-  
rum

Offensus. *Ion.* *aspera videri* non debent, quæ  
Salutaria sunt. Ita me Deus amet, cui ego intervio, ca-

Non aliquo affectu concitatus tum dicebam, sed

Vti saluti consulerem tuæ. Nam si

In hoc vitæ statu tibi perseverandum

Esse arbitraris, actum est, perijsti; divinam enim

Non evitabis vindictam. *Qua quo* tardior

Veniet, eo veniet gravior; & tunc quidem

Nullus erit pœnitentiæ locus, neque

Malefactorum venia, quæ hoc tempore divina

Benignitate offertur cuilibet. *Her.* Non absurda

Omnino sunt, quæ dicis: Sed quæ te facere audio

Minus placent, quod nova, & inaudita sint omnia.

*Ion.* Hæc eventura aliquando olim divina vatum

Predixere oracula. Præsens hoc tempus, quod

Troch.

Ab ævo maiorum nostrorum planè degeneravit. hanc  
Rerum commutationem postulat.

*Her.* Sic ita. Sed quid prodigiosi tui sibi videntur? Troch.

Ritus? Quæ nunquam antea apud maiores nostros  
Aut visa, aut audita corporis ablutio? *Io.* Id ut Troch.

Imprimis facerem, is qui me misit, cuius  
Sum minister, præcepit mihi. Huic venienti ego  
Iter præparo, clamans itentidem: Parate viam Domi- Troch.  
ni, &

Rectas facite ejus semitas. *Her.* Næ tu mihi mira  
Narras. *Io.* Vera tamen. *Her.* Sed quid quod te rogem?  
*Io.* Quid? *Her.* Vxorem ut relinquam, etiam nunc ad-  
ctor es

Mihi? *Io.* Id quidem planè faciendum erit tibi.  
Fratri enim ea est uxor, non tua. *Her.* Factu istud dif-  
ficillimum

Esset mihi. *Io.* *Humana illud ratio, & lex naturæ di-  
ctat*

Ut quisq; habeat suam: idemq; divina à nobis  
Præcepta exigunt. *Her.* Videbo quid potero. Vale. Troch.  
Heus, heus, accedite rursus, meq; sequimini.

### ACTVS III. SCENA I.

HERODIAS, HERODES,

*Iambici,*

**M**E miseram! neq; quid dicam neq; quid suspicer.  
Scio, quod rex, meus maritus, aliquot  
Dies solito fuerit tristior, atq; adeo, quod  
Sui amoris pristini oblitus, minus amicè atq; blandè  
me

Compellet, multoq; infrequentius, quam ante  
Solet, complectatur. In alium hominem  
Eum commutatum dicas. Sed commodè  
Egressum illum video. Nihil potuit fieri opportuni?  
Accedam, & id quod animo ægrè est, exponā ei. Satis  
Jam, satis tacui diu. *Her.* Ut nunquam mihi  
Quietus est animus, plumbum, aut si quid plumbo  
gravius

B

Est



Est, mihi gestare videor in pectore: & ob id  
 Neq; lusus, neq; voluptates ullæ recreare me  
 Quicquam potuere ex illo tempore, quo novum  
 Illum concionatorem, quem baptistam nominant,  
 Loquentem audiui. *Herod.* Oratio

Troch.

Hæc me infelicem planè exanimavit metu.  
*Her.* Quid istud? cuius ego hic vocem audio? uxor est,  
 ne quæ

Locutus sim audierit, metuo. Appellabo eam.  
 Comiter. hem suavius meum, mea unica  
 Voluptas hiccine astabas? non te prævideram  
*Herod.* Gaudeo, quod nunc me compellas amicius,  
 Atq; blandius. *Her.* Quid ita? *Herod.* Aha, quasi ne-  
 scias.

Troch

*Her.* Suspiciones omnes mitte meum corculum.  
*Herod.* Quid mittam? Utinam mihi pars æqua amo-  
 ris esset

Tecum, aut ut hoc tibi idem doleret, ut mihi  
 Dolet, aut ego istud à te factum parvi penderem.  
*Her.* Ne lachryma obsecro, idem mihi erga te est ani-  
 mus,

Qui ante fuit. *Herod.* Utinam id verè dicas. *Her.* Ve-  
 rum dico, ita

Troch.

Deum habeam propitium mihi. *Herod.* Sit ita, sed est  
 tamen

Quod te torquet, neq; dissimilem effecit tui.  
*Her.* Quando me urges mea vita, non te celabo  
 Quod animum malè habet meum. *Herod.* Agendum.

Troch.

Dic sodes. *Her.* Populari rumore, ac sermone  
 Vulgi excitus, diebus superioribus ad novum  
 Istum exibam concionatorem. *Herod.* Eheu,  
 Quam timeo, quo hæc evadet oratio. *Her.* Reperio  
 hominem

Hirsutū, ac tergore cameli indutū. *Herod.* Quid ex eo  
 Audisti, quod animum contristavit tuum?

*Her.* Non admodum mihi displicebat ejus  
 Oratio: unum tamen erat, quod me movebat maxi-  
 mè.

*Herod.*

*Herod.* Quidnam istud obsecro? *Her.* Reprehendebat  
quod inter nos

Est conjugium. *Herod.* Memiseram! perii. Sed quid  
causæ adferebat,

Et quibus huc te perduxit verbis, ut minus

Nunc me, quam soles, ames? *Her.* Avertat istud

Deus. *Herod.* Ah, ne inficiare, deprehendi hoc satis.

Gnaviter advertunt amantes, etiam quæ non sentias.

*Her.* Oh, valeat ea suspicio, nulla est quam æquè di-  
ligo.

*Herod.* Utinam istud ex animo dicas. *Her.* Dico her-  
culè.

Nihil hominis istius obscuri, atq; inægniti

Verba moror, Rex sum, regi, quod lubet, licere exi-  
stimo.

*Herod.* Hem: laudo: isthuc tene. *Her.* Præterea nisi  
quiescat, &

De nobis desinat loqui: mox faxo ut sentiat,

Quid sit, se principum immiscere negotijs,

Regemq; maledictis incessere. *Hero.* Ea si vis ut ex

Animo à te dicta credam, da mihi dexteram,

Et osculare me in super meum suavium.

*Her.* Et hoc, & si quid amplius à me postules,

Dabitur tibi delictum meum. *Hero.* Nunc animus mi-  
hi rediit,

Et dolor ex pectore excessit. *Her.* Id audire mihi

Gratissimum est. Eamus nunc intro, & hilarem

Hunc fumamus diem. *Herod.* Placet.

### ACTVS III. SCENA II.

JOANNES, SIMEON, AZARIAS.

*Iambici.*

**Q**Uæcunq; ad vestram salutem pertinent,  
Satis nunc me exequutum censeo. Si quid

Est quod restare existimatis, aut si quem

Scrupulum vobis in animo superesse arbitramini,

Agite, loqui mini liberè:

Dabo operam, ut illum vobis eximam. *Sim.* Nihil  
Planè

*Troch.*

28 TRAGICOCOMOEDIA

**Troch.** Planè magister nos movere amplius: abundè  
Enim tua tam cordata, divinaq; nobis satisfecit  
Oratio. *Ioā.* Benè est, gaudeo. Sed in eo ne erretis etiā  
Atq; etiam videre. *Axa.* Quid est isthuc? *Ioā.* Ne quid  
mihi

**Troch.** Ascribatis, sed hoc quod vobis contigit,  
Divino numini feratis acceptum, Nihil  
Enim hac in re nostra efficere potuit industria.  
*Sim.* Scimus divine vir, scimus te id præstare haud  
Potuisse, nisi cælesti adiutum gratia,  
Sed tamen bonum hoc, quod nobis accidisse  
Gaudemus, monitare, atq; auctore te sumus  
Adepti. *Ioā.* Benè facitis, quando memores estis be-  
neficii  
In vos collati. Abite nunc, & quæ ex me audivistis,  
Impertimini cūilibet. *Axa.* In eo bonam  
Navabimus operam. Tu modò dignaberis Deum  
Precari, ut gratiam suam  
In nos conferret. *Ioā.* Faciam sedulò. *Sim.* Vale vir  
sanctissime.

ACTVS III. SCENA III.

SADOCUS, JONADAS, JOANNES.

*Iambici.*

**Q**uo ego hanc rem, quæ nobis à civitatis princi-  
pibus  
Est injecta, mecum perpendo exactius, hoc ut eam  
Benè exequamur metuo magis. *Ion.* Provinciam  
Suscepimus duram: periculum est enim  
Ne nos suis protelet verbis, & vero.  
Convincat. *Sad.* Idem & ego metuo. Quanta enim in  
homine,  
Sit prudentia, tum quanta in verbis gravitas, alias ex-  
perti  
Sumus satis. Sed ad Jordanem venimus:  
Emersurum illum hic alicunde arbitror, nunquam  
Enim ab hoc fluvio digreditur longius. Atq; eccum  
Non ita procul ambulantem. Prior ego illum com-  
pellabo, tu,

**Si**

Si quid defecero, vide ut succurras mihi.

*Ion* Faciam herclè sedulò. *Ion* Profectum experior, mi  
Deus in hoc munere. quo te auctore fungor,  
Satis uberem, atq; fœcundum. Quanquam accedunt  
quidam,

Non ut doceantur, verum ut me laqueis irretiant  
Suis. Quibus tua ope adjutus, ita os obturavi hactenus,

Vt cum pudore ac dedecore hinc illis fuerit  
Abeundum. Sed rursus huc accedunt duo, ex  
Sacerdotum, aut Levitarum grege profecti.  
Quid dicturi sint nescio. *Sad*. Salve vir reverende.

*Ion*. Salvere & vos. Sed ad quid huc venistis? *Ion*. Non Troch.

Ob aliud, nisi ut doceamur: Quanquam enim  
Ante tua parum nobis placuit oratio,  
Tamen cum ea quæ tum nobis proponebas, postea  
Nobiscum meditaremur diligentius,  
Non omnino à vero aliena videbantur: Ac  
Vnum est, quod expediri cupiamus nobis.  
Atq; illud ejus generis est, ut non solum  
Nos, sed plerosq; etiam civitatis principes  
Suspensos, atq; dubios teneat, an tuam  
Doctrinam recipiendam, an rejiciendam existiment.

Troch.

*Ion*, Quam vis sub agnina pelle videam lupum,  
Nihilq; malitiæ  
Dissimulatio me fallat. tamen ut loquar  
Vobiscum, animum induxi meum: Itaq; exponite  
Mihi, quid & illi. & vos ex me cognoscere  
Velitis. *Sad*. Dicam paucis. Qui tu sis, scire cupiunt  
Omnes: namq; in eo hærent, & passim disputant,  
Christusne es tu ille, quem ad nos venturum divina  
olim

Prædixere oracula? *Io*. Non sum, procul enim absit,  
Vt tale quid de me unquam prædicem. *Ion*. Elias  
Igitur opinor es. *Io*. Neq; is quidem, verum  
Enim ut confitear me deceat. *Sad*. Propheta ergo ali-  
quis es.

Divi.

Divinitus huc ad nos missus. *Io.* Neq; Propheta  
Quidem, ne quid similem. *Ion.* Quid audio? nihilo-  
minus

Tamen te oramus, ut quis sis, dicas nobis: uti  
Sciamus, quid de te nobis decernendum sit.

*Troch.* Si omnino quis sim cognoscere velitis, agite dum  
Dicam, quanquam idem & alias dixi frequentius.  
Vox ego sum in deserto clamans, parate, atq;  
Expeditam reddite viam Domini, recta; ejus  
Efficite semitas, ut vates quondam prædixit  
Esaias, *Sad.* Eho, quid ais? Si tu neq; Christus es,  
Neq; Helias, neque propheta quispiam, qua auctori-  
tate hoc

Tibi vindicas, ut inusitados, ac novos  
Ritus, in has nostras regiones inferas,  
Populumq; lavacro baptismi abluere audeas?  
*Io.* Ego quidem ringo aqua, quos delictorū poeniteret  
Verum non ita pridem in medio vestrum consistentē  
Vidi (etiam si ille vobis erat ignotus) ex cœlo

*Troch.* Huc à Deo missum, quo nullus unquam nec fuit,  
Nec erit sanctior, cum quo ego si conferar,  
Nihil sim, nisi servus vilissimus,  
Et calceos qui exuam planè indignus.  
Hic post me venit, cum tamen ante me sit factus, is  
Suo baptismo animos purgabit vobis, peccatis  
Remissis omnibus, commemorate hæc quibus libes  
*Ion.* Faciemus ita magister, quanquam hæc mira vi-  
dentur mihi.

*Sad.* Et mihi quidem, quæ dixisti, minimè probantur  
omnia

*Ioan.* Nihil miror, cum alius vobis aliud instillet spi-  
ritus.

## ACTVS III. SCENA IV.

SADOCVS, JONADAS.

*Iambici.*

**I** Amne abiit ille? *Ion.* Abiit. *Sad.* Miror quid hic ho-  
mo

Sibi

Sibi velit, neq; quid de ejus doctrina dicam scio.  
*Ion.* Doctrinam mitto, sed quod rejectis legis  
 Nostræ cæremoniis, sacrisq; ritibus, à maioribus  
 Traditis, novam religionem invchere conetur,  
 Id displicet mihi maximè. Atq; ea res, ut auguror,  
 Malè ceder illi. *Sad.* Tum illud quoque, quod regem  
 ipsum

Troch.

Herodem palam reprehendere sit ausus, ejusque  
 Conjugium multis insectatus sit convitiis,  
 Quo illius animum planè à se alienavit: tum  
 Herodiadem, ejus uxorem, iratam infensamque red-  
 didit

Sibi. *Ion.* Civitatis quoq; principibus, ac nostræ  
 Religionis præsulibus, nihil omnino parcit: *Quæ*  
 quidem

Troch.

Res eo jam evasit, ut hominum vulgus  
 Auctoritatem eorum incipiat dispicere,  
 Antiqua aspernari, sequi nova. Quapropter nisi  
 In tempore huic malo consuluerimus, actum est  
 De religione nostra. Sed spero non defuturos, qui  
 Hanc à nobis avertent perniciem, in quo & nos  
 Omnem operam navare decet. *Sad.* Ideo quidem  
 faciam

Lubens, modo te hic adiutorem præbeas  
 Mihi. *Ion.* Faciam herculè sedulò.  
 Cras ea quæ ex illo audivimus, ad Sacerdotes  
 Atq; Levitas referimus omnia. *Sad.* Age placet.

## ACTVS IV. SCENA I.

HERODES, HERODIAS.

*Iambici.*

**B**ONO animo esto anime mi, quanquam hic novus  
 doctor  
 Connubium nostrum improbat, non, tamen eo  
 Me unquam perducet, ut te deseram, maior  
 Enim meus erga te est amor, quam ullo ut dirimi  
 queat modo.

*Her.* Si ex animo te hæc loqui arbitrarer, quid vis pos-  
 sem perpeti.

*Her.*

*Her.* Verissimè illa me dixisse tredito.

Malè pereant, qui inter nos diffidium quærunt.

*Her.* Atqui hic eo totis incumbit viribus.

*Her.* Scio: sed nihil apud me effecit hætenus:

Nec unquam efficiet quicquam. *Her.* Istud quidem  
ita futurum

Spero. Sed interim vide sodes, ne regiam

Auctoritatem à quoquam contemni patiare, quod

Novus ille concionator totis molitur viribus,

Qui cum te peccati insimulat, connubiumq;

Nostrum palam reprehendit, quid quæso aliud, quâ

Populum contra te concitat?

*Her.* Ab inermi turba nihil periculi mihi

Metuendum censeo. *Her.* Si illi arma semel ceperint,

Quod propediem futurum existimo,

Næ tu illa haud facilè manibus extorseris.

Atq; adeo si & tibi & mihi consultum velis,

Principiis statim obstabis, neq; permittes

Malum hoc dispergi latius. *Her.* Quiera esto obsecro,

Nihil metuo quicquam. *Herod.* Ah, nihil? Quo quoti-  
diana illa

Conventicula, quo isti rumores, atq; fabulæ

Etiâ de nobis, quo seditiosi illius

Sermones spectent, ipse ut tecum cogites

Oro. *Her.* Moderare sodes affectibus uxor. Fuit

Ille hic apud nos non paucos dies,

An unquam quicquam ex illo audivisti, meritò

Quod reprehendi queat: An non ita vitam instituit,

Ut ea nobis sit laudanda omnibus? *Herod.* Nihil

Refragor. Quanquam ego illum audiui rarius,

Sed hoc ut tecum cogites velim, quam sit

Is vir probus, quam laudatus, qui pro beneficio

Maleficio reddit nobis. *Her.* Quodnam est istud?

*Herod.* Rogas?

*Troch.* An non eo summis incumbit viribus,

Ut nos distrahat, meq; ex domo ejiciat tua?

*Her.* Istud quidem inficiari haud possum, verum eo

Me inducet nunquam, quin potius, nisi desinit

Hanc

Hanc posthac canere cantiunculam, à me illum  
 Relegabo præcul. *Herod.* Tanto magis, ac liberius  
 Os laxabit suum. *Her.* Quid igitur faciendum censes?  
*Herod.* Dicam quod ex usu nobis futurum existimo.  
 At frustra hoc meum consilium exposuero tibi,  
 Si illi porius, quam mihi auscultare pergas,  
 Ut magno animi mei dolore fecisti hæcenus:  
*Her.* Ah, ne lachryma, sed dic potius, quid me facere  
 velis.

*Herod.* In vinculis eum asservandum censeo.

*Her.* Quid ais? in vinculis? quam ob culpam? *Herod.*

Est ea quidem

Magna satis, sed ut meam sententiam  
 Intelligas, non illum in arcta verum in libera  
 Custodia teneri velim, ob id tantum, ne  
 Nos pergat traducere. *Her.* Si id fecero, metuo  
 Ne quam mihi populus tragædiam excitet.

*Herod.* A plebe, inermi nihil periculi tibi  
 Esse expectandum, ipse dicebas modò.

Trock-

Te regem esse cogita, atq; regiam  
 Majestatem conservandam tibi. Eia

Anime mi, si me amas, & si quid unquam dulce tibi  
 fuit

Ex me, oro ut in hac re pareas mihi.

*Her.* Quanquam durum, atq; iniquum est quod petis,  
 tamen

Faciam, charior enim es mihi, quam ut tibi quic-  
 quam

Negandum existimem, sed ea conditione ac modo,  
 Ne quid gravius in eum statuatur unquam. *Herod.*

Nihil

Est quod velim amplius. At quando tandem id fieri  
 Iubebis? *Her.* Propediem. *Herod.* Ah, differs? Cur non  
 statim

Potius? *Her.* Age quia ita tibi placet, faciam.

*Herod.* Habeo gratiam anime mi, da sodes osculum;  
 Quo, quod te facturum promittis, confirmes mihi.

*Pars III.*

C

*Her.*



*Her.* Lubenter herclè. Tu nunc intro te confer. Ego  
 jam  
 Hoc effectum dabo tibi. ....

## ACTVS IV. SCENA II.

HERODES.

*Iambici.*

----- Jamne abiit illa? & dicere  
 Hic quod lubet licet? Enim vero in vitus admodum  
 Faciam, ad quod uxor importunitate me impellit sua:  
 Nihil enim unquam in homine reperi,  
 Quod vituperari ullo queat modo, vita integra est,  
 Victus parcissimus, mores plane incorrupti, cum  
 Doctrina talis, ut nihil  
 In ea reperiatur ulla ratione reprehendendum. Quod  
 Si coniugium nostrum non fugillasset, atq; huius  
 Istud non retigisset, melius consulisset sibi:  
 Meamq; benevolentiam  
*Troch.* Nunquam in se sensisset claudier.  
 Quod, quia sæpius admonitus facere noluit,  
 Cumq; ejus pertinacia magnam nobis pepereris  
 Dedecus, & maiorem ignominiam videatur  
 Allatura propediem, uxori hac in re mihi  
 Nunc obsequendum arbitror. Ingrediar itaque, ut  
 illum  
 Comprehendi iubeam, sic tamen ne in vinculis  
 Trahatur inhumanus.

## ACTVS IV. SCENA III.

JOANNES, SYRVS, SANGA, AZARIAS.

*Iambici.*

**P**Rælagit animus, nescio quid mihi imminere tri-  
 stius.  
 Quanquam ego nihil triste homini accidere posse ex-  
 istimo,  
 Si culpa careat. Et in ea sententia  
 Ut me confirmes, obsecro te mi Deus.  
 Fui hic quidem apud Herodem aliquot dies,

Om.

Omne[m]q; adhibui operam, ut à coniugio isto illit-  
ro cum

Deterrerem: sed nihil effecisse videor mihi.

Audivitis quidem me sæpe satis patienter: ac

Alio statim illum amoris impellebat impotentia.

Sed nescio quos huc accedentes conspicio. Subsistam

Paulisper, ut qui sint, aut quid velint sciam.

*Syr.* Ex animo doleo Sanga hoc nobis à rege

In mandatis datum esse, ut Joannem comprehensum

In carcerem deducamus, qui mihi quidem

Vir probus, atq; adeo pius est visus hætenus, *San.* E-

go quoque

Illum moribus incorruptis, vitæq; sanctimonia

Semper putavi præditum. Sed quid regem moveat

Propemodum me scire arbitror, *Syr.* Quid obsecro?

*San.* Incestas illi palam sæpius exprobravit nuptias,

Quo non solum regem, sed ejus uxorem

Quoq; offendit gravissimè.

*Syr.* Verè tu istud dicis. Sed eccum hominem pol-  
modè,

Ego cum adoriar, tu cum reliquis, si fuerit opus,

Mihi statim ut subvenias vide, *Sang.* Fiet, *Ioan.* Ani-  
mo.

Obfirmato huc accedunt, neque amici, sed hostes

Esse videntur: Verum nihil moror, quicquid

Eventurum est, feram fortiter, etiamsi moriendum  
fiet

Mihi. *Dum haud ob* malefacta morior, parvi æstimo.

Sed alloquar. Eho, ad quid venistis huc armati? quid

Obtrivistis? causam velim commemoretis mihi *Syr.*

Dicam

Magister, at hoc primum præfatus, ne aut me, aut al-  
lios meos

Sodales culpandos censeas: servi sumus.

Quod rex iubet, nos exequi

Necesse est. *Ioan.* Sirita, sed quid ille præcepit

Vobis. *Syr.* Invitus herclè dicam, at dicendum est ta-  
men,

Herodes rex in mandatis nobis dedit,  
 Ut te comprehensum ad carceris  
 Præfectum deducamus. *Io.* Si id præceptum est vo-  
 bis, agitedum.

**Troch.** Sequor ultro. Vos animo uti quieto sitis obsecro.  
*Aza.* O indignum facinus! Si hunc in carcerem  
 Sibi conjiciendum putat, qui illi optimum ad  
 Salutem consilium dedit, qui monuit, &  
 Benè præcepit quæ potuit omnia: quid faciet ei, qui  
 dabit

Damnum aut malum? *Io.* Oh, valeant querimoniar,  
 Abundè me tutum Deus sua servabit gratia.  
 Hem, pergite viri, in me nihil est moræ.

ACTVS IV. SCENA IV.

HERODES,

*Iambici.*

**T**Urbatus etiam nunc mihi est animus, in carcere  
 Quodcum jussi concludier. Utinam nostrum  
 Connubium reprehendisset nunquam, reliqua illius  
 Facile tolerassem dogmata, quanquam nova, & in-  
 audita.

Tantum apud me valuissent hominis mores  
 Incorrupti, & vita integra: Sed quia neq; admoniti-  
 onibus,

Neq; precibus obsequi voluit meis, æquum est  
 Ut ipsi sibi, haud mihi hoc malum imputer.

Non nisi reverenter de regibus loqui  
 Convenit. Id quia non fecit, dignam sua  
 Pertinacia pœnam luit.

Sed valeat ille. Aliud nunc curandum est mihi:

Quod ad regnum meum stabiliendum, præterea ad  
 gloriam,

Et dignitatem spectat maxime.

Cras natalis erit mihi dies, quo superioribus

Annis regni nostri principes

Ad convivium invitavi

Hactenus, Idem & nunc mihi faciendum existimo,

Ita-

Itaq; multis ex famulis præcepi meis,  
 Ut omnes illos huc in crastinum vocent diem,  
 Quem quidem ego plane hilarem mihi sumendum  
 puto

Efficiam herclè, ut quotquot erunt convivæ, se regio  
 Apparatu exceptos dicant. hoc agam.

Troch.

## ACTVS V. SCENA I.

HERODIAS, HERODES.

*Iambici.*

**G**Audeo profectò quod ille convitiator ex  
 Nostis sit reiectus ædibus, hem sic dabo.  
 Age, nunc me, qui volet, laceſſat, aut nostrum  
 Coniugium culpet, aut reprehendat; faxo eum tali  
 Mactatum, atq; hic est, infortunio. Quando neq;  
 Bene monendo, neq; cōmodè loquendo quicquam  
 Est effectum hætenus, ad malum hoc  
 Extremum, atq; necessarium nobis confugiendum  
 fuit.

Sed rex, maritus meus, exit solito mihi videtur

Hilarior. *Her.* Vxor is vocem audio, alloquar.

Salve voluptas unica.

*Herod.* Salve & tu anime mi, ut te aspicio lubens!

*Her.* Gaudeo. Sed quid nunc tibi videtur? an non,  
 quod

Me facturum recepi, præstiti? *Herod.* Gratiam habeo  
 maximam.

Sed jamne eos invitari iussisti, quos die

Tuo natali splendido excipere soles convivio?

*Her.* Jam dudū: Tu fac ut apparatus sit magnificus, &  
 Maiestate nostra regia

Dignus, & ut quicq; officii admoneatur sui.

Ego hic paulisper oppetiar foris. *Herod.* Effectum da-  
 bo sedulò

*Her.* Omnis hodie ægritudo, & cura ex animo ejici-  
 enda est mihi:

Genio, ac voluptatibus indulgendum jam erit

Nobis. Sed quid convivas nostros remoretur nescio.

**Troch.** Credo, ut sit, in apparando, atq; ornando se tempus  
conterunt.

At opportunè eos simul huc accedere cōspicor. Bene  
Se res habet. Opperiar illos hic ante ostium.

## ACTVS V. SCENA II.

MELCHIAS, TAMIAS, LYCONIDES,  
HERODES.

*Iambici.*

**N**imis hercle cunctati sumus diu: & metuo  
Ne regem nostra offenderimus mora. *Tam.* Non  
arbitror.

Sed eccum consistentem foris. *Lyc.* Nostrum.  
Vti viderur, opperitur adventum.

*Her.* Prior ego illos appellabo, atq; comite  
Adventum gratulabor. Hem, salvere principes,

**Troch. 1.** Viriq; illustres. Adventus vester longe omnium  
Mibi est gratissimus: Ingrediamur, atq; accumbamus  
statim.

*Mel.* In nobis, rex clarissime, nihil est moræ.

*Her.* Sequimini igitur. Eho puer, cape guttum, ac ma-  
nibus cedo

Aquam, nunc accumbamus: quisq; deligat  
Sibi locum, seseq; præbeat hilarem: nam diem

Hunc in lætitia degere est animus: Agite,

Admove te manum patinis, & sumite

Quod palato maxime sapit

Hem Melchia, hunc tibi præbibo cyathum. *Mel.* Ve  
tibi

Saluti sit, precor rex illustrissime.

Eho Lyconide, scyphum hunc tibi plenis propino  
faucibus,

Id est, haustu unico, ut intelligas, *Lyc.* Nihil

Recuso, sed ad fundum ebihe. *Mel.* Quid viderur? *Lyc.*

Srenuum

Hercule re præbuiſti virum: Ehem Tamia,

Eundem hunc, veluti accepi, ita

Ame

A me expectes velim. *Tam.* Nihil lubentius.

*Her.* Euge, laudo. Indulgeamus genio, & simus hilares.

## ACTVS V. SCENA III.

## HERODIAS, SALOME.

*Iambici.*

**E** Ho Salome, filia mihi charissima,  
Jam tempus esse puro, ut nostrum negotium  
Agamus, incipiunt esse hilares. *Sal.* Jam dudum  
In eo sum mater. *Herod.* Ingredere, & festina, atque le-  
pida

Regi, & convivis omnibus animum saltatione  
Exhilara. *Sal.* Faciam sedulo. *Herod.* Tuas exprome  
artes,

Et ad nutum patris te accommoda potissimum,  
Nosti quibus ille delectetur maxime. *Sal.* Fict.

## ACTVS V. SCENA IV.

## SALOME, HERODES, MELCHIAS, LYCONIDES, HERODIAS.

*Iambici.*

**S** tibi, rex clarissime, vobisq; quotquot hic ac-  
cumbitis

Principes, convivium

Hoc felix, atq; faustum. *Her.* E hodium Salome,

Gaudeo te adesse. Quid remoratur matrem? *Sal.* Jam  
jam aderit.

*Her.* Accede propius, & nobiscum hic accumbe, &

Te præbe hilarem. *Sal.* Id quidem fiet, sed aliud est

Quod ut prius faciam mihi, concedas velim.

*Her.* Quid istud est? *Sal.* Saltatione te mi

Domine, omnesq; tuos convivas exhilarandos

Putavi mihi *Her.* Non solum id tibi licebit per

Me, sed ut facias etiam atq; etiam te oro. *Sal.* Incipiam  
itaque

*Ly.* Deum immortalem! tam mirum, iucundumque Troch.  
in vita

Non vidi spectaculum. *Her.* Eho, jam jam vivere lubet mihi.

*Mel.* Næ ille adamante durior esset, quem tam artificiosa non

Delectaret saltatio. *Her.* Nihil, ita me Deus Amet, mihi fuit unquam gratus, nihilq; quod Animum magis movit meum. *Sal.* Quod potui, præstiti, ut boni

**Troch.** Meos conatus consulatis, vos omnes rogo. *Her.* Vt boni

Consulamur oras? Non solum boni Consulo, at pro delectatione ista tam insigni Tamq; admirabili, non contemnendam herc!è tibi Referam gratiam. Age, per summū hoc iuro Deum, Quodcunq; optaris, optatum feres: Etiam si dimidium regni mei dari velis tibi.

*Sal.* Gratiam habeo rex illustrissime, *Ly.* Merita est, urei

**Troch.** Benefaxis lubens. *Her.* Agedum, dic liberè, Et quicquid vis postula. *Sal.* Vt mihi breve Deliberandi tempus concedas rogo. Paulisper hinc abeo, reditura protinus. *Her.* Placet. Hem, revertere quam potetis ocyssimè. *Herod.* Reviso quam mox huc redeat filia; Sed eccam, commodè

Profectò. Mirum ni res illi cesserit Feliciter, adeo læta, hilarisq; videtur mihi. *Sal.* Næ isthæc saltatio planè ex sententia Cessit mihi. Sed matrem foras egressam conspicio, *Herod.* Hem filia, quopacto se habent res? *Sal.* Nihil potuit

**Troch.** Neq; tibi, neq; mihi evenire gratus, Magisq; optandum, quam quod accidit. *Herod.* Quid audio?

*Sal.* Rex saltatione mea vehementer delectatus, Iuramento sancteq; promisit daturum se mihi, Quicquid sim petitura, etiam si regni ipsius Dimidium postulaverim: nunc ad te prodii,

Vt

Ut consilium una tecum capiam, quid mihi  
Petendum fiet. *Herod.* Oh, gaudeo. Dicam paucis  
nihil

Aliud, nisi ut tibi tradi jubeas in disco caput  
Ioannis Baptistæ, hominis plane seditiosi, qui  
Ut hoc me conjugio privaret, & ex his ædibus  
Ejiceret, omnibus viribus incubuit hætenus,  
Eo sublato nihil posthac nobis metuendum erit  
Mali. *Sal.* Et hic, & alibi lubens tibi obsequar  
Mater. *Herod.* Bene facis, laudo. *Sal.* Nunc intro me  
rursus conféro.

## ACTVS V. SCENA V.

HERODES, TAMIAS, MELCHIAS,  
SALOME, SANGA.

*Iambici.*

**E**Ho Tamia, itane nec edis, nec bibis quicquam?  
*Ta.* In eo bonam herclè navo operam; in convivio  
Enim verecundari neminem decet.

*Her.* Rectè. Sed eccam Salomen reversam. *Mel.* Sic  
Est. Ut ego juvenculam illam, tam festivam, atque le-  
pidam

Aspicio lubens. *Her.* Oh, benè fecisti, quod statim  
Reversa es Salome: nunc coram his omnibus  
Principibus dicè confidenter, quod tibi dari  
Velis: satis enim jam deliberasti

*Diu. Sal.* Id quidem faciam rex illustrissime,  
Neque aurum, aut argentum, aut partem regni tui  
Petam, sed aliud, quod minori impendio  
Præstare poteris mihi. *Her.* Quid isthuc est? cedo  
Sodes. *Sal.* Caput Joannis Baptistæ ut mihi  
In disco tradi jubeas, hoc est quod postulo.

*Her.* Ah Salome, iniquum est quod petis. Nihilne  
aliud

Quod postulares occurrit tibi? *Mel.* Hem regi  
Fides est præstanda. *Her.* Scio. Sed nihil tale  
Petendum erat ei. *Tam.* Age, acquiesce sodes, &



42 TRAGICO COMOEDIA

Simus hilares. *Her.* Faciam, quandoquidem eo me compellit

Necessitas, durum telum. Rhodum Sanga, spiculatori

Meis edic verbis, ut Baptistæ caput præcidat, atque in lance positum huic tradat: Id enim ex solemni promisso meo debetur ei.

*San.* Faciam rex clarissime. Salome, ego recta Ad spiculatorem pergo via. Sed quo Vis deferri caput. *Sal.* Ad me, sive ad matrem. *San.* Intellego.

ACTVS V. SCENA VI.

HERODIAS, SALOME, SANGA.

*Iambici.*

**R**Eviseo quam mox huc se referat filia, Atque eccam. Oh, redijsti Salome? Quo pacto cessit res?

*Sal.* Plane ex sententia mater: nam Sangam misit rex Ad spiculatorem, uti Ioanni præcidat caput, Atque id huc ad me deferat. *Her.* Euge, bene, ita me Deus amet, factum. *Sal.* Eum hic opperiar, dum redeat. *Her.* Næ tu

Me mulierum, quæ vivunt, effecisti felicissimam: Siquidem ille regis mandatum exequatur, improbumque illud

Huc deferat caput. *Sal.* Istud fiet, ne dubita mater.

*Her.* Quam secuta ego futura sum animo, maledico Illo homine sublato! Summa inter me, & maritum erit

*Troch.* Concordia; nec quisquam Nos posthac laceffendos, Aut irritandos arbitrabitur sibi.

*Sal.* Ita quidem fiet mater. Nunc re ipsa verus Istud dictum verum esse deprehendimus.

Nempe malum consilium consultori esse pessimum.

*Her.* Verè tu isthuc dixisti Salome: nam si Ille quievisset, neque suis nos provocasset Convitijs, nihil illi unquam evenisset infortunij.

*Nunc*

*Nunc quod intravit, ei ipsi exedendum erit.*

*Sed quid Sangam aut spiculatorem remoretur*

*Nescio. Sal. jam jam cum adfuturum credo. Her. Vtinam*

*Troch.*

*Ego illum hinc cum scelerato illo capite conspiciam:  
quo quidem*

*Spectaculo nihil mihi possit esse gratius.*

*Sed quis ille est, quem hinc procul accedentem Troch.  
conspicor?*

*Sal. Salva es mater, Sanga est, caputque Joannis ad  
Nos huc adfert. Her. Vtinam verum augurere filia.*

*Sal. Verissimum id esse, scies statim. San. Occidi qui-  
dem*

*Illum jussit rex, sed planè præter meritum, ut mihi  
Videtur: nihil enim in homine erat, quod jure quis-  
quam*

*Reprehendere posset. Sed quid facias? regibus*

*Est parendum, etiam si mala imperent. Caput*

*Ejus veluti sum jussus, deferam*

*Ad Salomen: Atque eccam eam cum matre pro*

*Foribus stantem conspicio. Sal. Eho mater, viden'  
caput*

*Huc adferentem? Her. Video Salome, video,*

*Animusque lætitiæ gestit mihi. San. Ehem Salome*

*Accipe Baptistæ caput, quod rex uti tibi*

*Troch.*

*Darem, præcepit mihi. Sal. Benè*

*Fecisti, & referam gratiam. Her. Nullum mihi*

*Spectaculum unquam est exhibitum jucundius.*

*Sal. Accipe mater. Her. Lubenter. Vt etiam nunc im-  
proba*

*Illæ contumacia ei ex vultu eluceat.*

*O sceleratissimum caput? Næ tu dignum tuis*

*Troch.*

*Factis luisse supplicium.*

*Agedum, jam dissidium inter amantes concita:*

*Iam pectora arctissimo amoris conjuncta vinculo*

*Distrahe: jam regem instiga, ut me ex regno ejiciat  
suo,*

*Ipsc exirium conscivisti tibi: posthac à te nihil*

*Nobis*

Nobis erit expectandum mali,

*Sal.* Verè tu istud dicis mater : *nam mortui*

Vt ajunt, non mordent. *Herod.* Facerè, atque lepidè.

Eamus nunc intro, ibique triumphum agamus. *Sal.*

Vt lubet.

ACTVS V. SCENA VII.

SIMEON, AZARIAS.

*Iambici.*

**D**Eum immortalem ! quodnam est, si non hoc facinus

Est dicendum indignissimum ? Sicine hominem  
Insontem sibi perimendum existimat ? vitamque ei  
eripit,

Qui ipsi vitæ in melius commutandæ semper fuit

Auctor ? qui quæ ad salutem ipsius pertinebant,

Monuit, beneque consuluit omnia ? O Deus !

Hocine vides, atque impunitum pateris scelus ?

*Aza.* Non equidem impunè istud feret, Simeon  
Deus

Procul dubio tam horrendum flagitium ulciscetur.

*Sim.* Heu

Miseriam ! ut mihi animus dolet,

Cum mecum perpendo, quam pio magistro

Spoliatus sim miser ! *Aza.* Idem iste dolor & mihi est

Gravissimus. Sed quid facias ? neque lachrymis,

Neque querimonijs nostris in vitam revocari potest.

Alius nunc nobis dispiciendus erit magister. *Sim.*

Quis obsecro ?

*Troch.* *Aza.* Ille, roties quem Ioannes commendavit nobis,

Quemque omnibus semper sibi prætulit modis,

Cujus res prodigiosè gestas novimus.

*Sim.* Scio quem dicas. Ei posthac me adjunxero lubès.

*Troch.* Sed truncatum illius, quod huc detulimus, corpus in


Loculo collocemus, ut sub noctem, convocatis

Alijs quibusdam ex nostris fratribus,

Honorificè, ut decet, sepeliamus. *Aza.* Placet.

Valete omnes, & si meruimus, plaudite.

F I N I S.



# DYSCOLICOMOE DIA NOVA.

## ACTORVM NOMINA.

BROMIA,  
PSEVDOLVS,  
LESBIA,  
MYDA,  
EVGENIVS,  
HARPAIVS,  
PAMPHAGVS,

PHORMIO,  
SANNIO,  
CHREMES,  
SYRVS,  
SANGA,  
LEONIDES,  
EVBVLVS.

## PROLOGVS.

**E**Nrursus ex eo in proscenium à didascalo  
Nostro Schonæo missus. Cæteris, antè  
Quas scripsit, hanc, quam nunc sumus acturi, sibi  
Adjiciendam putavit fabulam, pueris rudioribus,  
Non doctis scriptam. Ignoscite  
Itaque si quid forte in ea occurrit, quod placeat mi-  
nus,

Lulisse eum putate. Quanquam lusus hic  
Rei etiam seriæ adferet aliquid. Indulgentia  
Stultarum matrum quam multi, probo etiam in-  
genio,

Atque indole præditi adolescentuli, passim  
Corrumpantur, notum vobis est omnibus.  
Quapropter exemplis nihil est opus, quibus  
Repleta sunt omnia. Nihilominus tamen  
Conficito dramate, aut actione Comica

Vobis

Vobis id exhibendum censuit sibi.

Adeste sodes, atque cum silentio

Auscultate, strepitum omnem prohibentes, uti vobis decet.

Qui liberalibus studiis & literis

Addicti, arti favetis Musicæ: vestram

Implorat opem, indoctorum hominum suffragia,  
quin etiam

Calumnias, & malevolorum scommata,

Atque obrectationes ne flocci quidem facit

Choragus noster, dum modo vobis placeat bonis.

Atque huc sibi incumbendum existimavit hactenus,

Neque eum suus frustratus est

Conatus. Sed satis jam vos remoratus sum diu,

Nunc hujus argumentum audire fabulæ.

### PERIOCHA.

**D**Vo adolescentes præceptori literis  
Traduntur formandi. Mox indulgentia

Matrum corrupti, seducuntur ab improbis

Ad computationem, lusumque aleæ.

Amissa re, telam surripiunt rustico,

In quo facinore deprehensi, in carcerem

Conjiciuntur: Damnati postero die, ac

Necandi, auctoritate virgæ atque ferulæ, à

Didascalo morti erimuntur, & in schola

Castigati, suis redduntur matribus.

### ACTVS I. SCENA I.

#### BROMIA, PSEVDOLVS.

*Iambici.*

**A**Desdum fili, paucis te volo. *Pseu.* Dictum puta  
Mater, nempe ut rectè curetur, quod modo mihi  
dabas

Negotij. *Bro.* Immo aliud. *Pseu.* Quid? an est, quod  
eo amplius

Efficere possem? *Bro.* Intro te confer, & effer quos in  
musæo habes

Libray

Libros, nam his tibi jam erit opus. *Pse.* Quid ita? *Bro.*

Eho, rogas?

In scholam ego te deducam hodie *Pf.* Hui in scho- Troch.  
lam

*Bro.* Quid ni, cum jam satis diu luseris. *Pse.* Parum  
Herculè me delectant studia. Sed si tibi

Ita videtur mater, agendum, obsequar. *Bro.* Facis  
Vt te decet, cum istud à te impetro cum gratia.

*Pse.* Ita quidem fieri oportet. Sed cui magistro me  
Instituendum trades? Orbilioni isti plagoso:

Cui omnis noxia capitalis est, quique non magis  
Puerorum parcat natibus, quam si corium sit bu-  
bulum

*Bro.* Nequaquam: sed præceptorem tibi placidum,  
Comemque dispiciam, atque facilem, qui monendo  
commodè,

Et blandiendo, haud verberando juventutem docet.

*Pse.* Eia, laudo mater, *Bro.* Verum quia paucos, qui in  
hac

Civitate docent, novi magistros, Troch.

Vicinam nostram Lesbiam super hac re consulam,

Quæ filium quoque habet, quem liberalibus

Artibus, ac literis instituendum se tradituram

Hesterno mihi dicebat die.

Sed estne hæc, quam cum filio Troch.

Huc accedentem conspicio:

Ea est ipsa, opportunè, atque adeo in tempore.

Nihil ædepol potuit fieri commodius, hic

Paulisper subsistam, atque ubi propius accesserit, al-  
loquar.

ACTVS I. SCENA II.

LESBIA, BROMIA.

*Ejusdem generis versus.*

**V**enio ex macello, cara ubi sunt omnia.

Nunc me domum recipio. Sequere me Harpale.

Sed quænam illa est, quam non ita procul hinc stare  
video; Pol Bromia est:

Me,

Me, uti videtur, opperitur, accedam

**Propius. Bro.** Nunc compellandi tempus est. **Heni**  
**Lesbia.**

**In** tempore huc venisti, te volebam. **Lesf.** Quid rei est?

**Bro.** Quia prudens, circumspectaque mulier mihi  
Semper visa es, libenter consilio nunc uterer tuo. **Lesf.**  
Si quid est, in quo tibi ex usu fore

**Troch.**

Me arbitrare, paucis eloquere: morigera,  
Arque obsequens tibi ero per omnia. **Bro.** Filium  
hunc

Meum bonis institui cupiam titeris.

**Lesf.** Idem & ego de meo statui, ut tibi dixi

**Heni.** Sed cui cum committam, nondum satis scio.

**Bro.** Magistrum mansuetum velim, comem, ac facilem,

Qui blandis verbis, non verberibus suos

Instituit. **Lesf.** Talem & ego mihi optarim dari,

Plagosos istos odi pessime: habitat in

Vicina hac quidam ut audio, qui auctoritate

Potius, quam flagris pueros erudit. **Bro.** Nostin' hominem;

**Lesf.** De facie utunque; at præter auditum habeo nihil.

**Bro.** Eamus ad eum, cupio hominem videre & colloqui.

**Lesf.** Præcedo, sequere. -----

#### ACTVS I. SCENA II.

**LESBIA, MYDA, EVGENIVS, BROMIA,**

*Eiusdem generis.*

----- In his ego ædibus habitare eum

Existimo, pulsabo ostium. Heus, heus, nemon' hæc

Prodit. **Myd.** Quis tam graviter nostras pepulit fores;

**Lesf.** Pulsavimus. **Myd.** Quodere quæso; **Lesf.** Cum  
magistro

Cupimus loqui. Estne ille intus? **Myd.** Est. **Lesf.** Accede cum,

**Et**

Et ut paulisper prodeat, nostris verbis roga,

*Myd.* Faciam hercledesdulo. Sed commodè ipse exit.

Hem præceptor, mulieres hæc te conventum expectant.

*Les.* Salve magister. *Eug.* Matronæ, salvet. Sed

Quid est, quod me vultis? *Leo.* Dicam, videsne hos

Pucros? Alter meus est, alter hujus est

Filius: eos in discipulorum tuorum

Gregem receptos, rectis moribus, bonisque literis

Fideliter ut instruere digneris

Oramus. Stipendium dabitur tua

Opera, atque labore dignum. *Eug.* Rem omnem mihi committite,

Efficiam ut me probè meo officio functum

Dicatis. *Bro.* Sed placidè ac comiter id ut fiat

Perimus: nam verbera nimis metuunt, ut pueri solent.

*Eug.* Ita fice, si probos se præstiterint. Quid illis expedit

Novi probè. Hem *Myda*, in scholam eos deducito.

*Myd.* Faciam præceptor. *Bro.* Libros, quos habent domi, cras adferent.

Tu interim quid in studiis profecerint,

Fac periculum. *Eug.* Fiet. Sed, ne à schola

Sæpe absint, cavere sedulo:

Nam parum in studiis proficiunt, qui ad alia

Distrahi, rarius adsunt. *Les.* Curabitur.

ACTVS I. SCENA IV.

BROMIA, LESBIA.

*Eiusdem generis*

**H**Umanus ille pol mihi vir esse videtur *Lesbia*,  
Aliorum ludæ magistrorum cultum dissimilis:

Qui ubi torvo vultu, & truculenta voce miseram

Terrent iuventutem, magnos, reverendosque

Viros sese existimant,

Virga, atque ferula formidabiles. *Les.* Est ut

Dicis, & propterea gaudeo,

*Para III.*

D

Filijf-



**Troch. 2.** Filiisque nostris gratulor, quod hunc  
Talem natz sumus. Sed aliud est quod te rogem.  
*Bro.* Quid? *Les.* Quot sunt anni, quod tempus mortem  
obierit

*Maritus?* *Bro.* Anni? vix menses sunt tres. *Les.* Quid  
audio.

Lugubri igitur veste, etiam nunc te indutam esse  
Conveniebat. *Bro.* Iam pridem ego omnem una cum  
amictu,

**Troch.** Ex animo mihi luctum ejiciundum censui.  
*Les.* Hui, quid ita? *Bro.* Quia ille me,  
Non ut uxorem, sed ut servam exercendam  
Putabat sibi. Domi mihi erat manendum à  
Summo mane usque ad vespertum, cum ille interim  
Foris quotidie, quæ lubebat, faceret omnia.  
Omitto quod mei oblitus, cum alijs frequenter  
Potabat, atque genio indulgebat meretricibus.  
*Les.* Bona verba. *Bro.* Est ut dixi, & propterea non  
nisi

Dierum paucorum meus erat dolor, & is quidem  
Simulatus: nam mortem ejus optaram sapissimè.  
Sed estne diu, quod tu tuum  
Amiseris? *Les.* Annus erit propediem. At dic mihi,  
Non tangeris desiderio repetendi matrimonij?  
*Bro.* Non admodum. *Les.* Atqui me, ut quod sentio  
loquar,

Iam pridem viduitatis cepit cædium,  
Sola domi totos desideo dies, adhæc

**Troch.** Noctu negotium mihi  
Faceffunt insomnia. *Bro.* Ego quoque mihi destituta  
Videor, quanquam tali, qualis ille meus fuit,  
Libenter pol caream viro. *Les.* Meus quoque  
Mihi per omnia non placebat. Sed quid agas?  
Connivendum ad multa est uxoribus: & nihil  
In rebus humanis perfectum est omni ex parte. To-  
leranda

Illis quoque sunt non pauca in nostris moribus:  
Habent enim & suos natos mulieres. *Bro.* Id quidem  
Infi-

# DYSCOLI.

st  
Troch.

Inficari haud possum. At tempus est, domum  
Vt redeamus. Sed est quod te rogem, *Les.* Quid? *Bro.*

Vt

Hodie mecum cœnes. Credo sub vesperum  
Adventuros, quos tibi contemnendos minime  
Putabis. *Les.* Si ita tibi videtur, faciam, at ea  
Conditione, ut tu perendino die mihi  
Rursus sis conviva: cupio enim hanc nostram  
Familiaritatem perpetuam esse. *Bro.* Spero ita  
Futurum. *Les.* Bene vale. *Bro.* Et tu, in vesperum:  
Sed ut

Maturius ad sis vide, *Les.* In me nihil erit moræ.

ACTVS I. SCENA. V.

HARPALVS, PSEVDOLVS;

*Iambici.*

**N**Œ nos hominum, qui vivunt, felicissimi  
Sumus, istius tyranni qui manns evasimus.  
*Psen.* Simul ac tu te in pedes coniciebas, ego  
Sequendum continuo putabam mihi. *Har.* Sapienter hercule

Faciebas, nam nisi fugissemus, actum de pelle  
Nostra fuisset, lectionem enim nostram  
Plane ignorabamus: & antea præceptori  
Perpetuis fabulis negotium facesseramus:  
Et sæpius admoniti, non desistebarus tamen.

*Psen.* Est ut dicis. Sed quid nunc nobis faciendum  
putas?

Ibimusne statim domum? an ludendum hic nobis  
Aliquantisper arbitrare? cum hora nondum  
Sonuerit decima. *Har.* Domum ut eamus non expēdit:

Nam non nisi post undecimam ē schola dimittere  
Nos consuevit didascalus, quod matribus  
Nostris non est ighorum. Quapropter maneamus hic  
Et horam, quæ restat, ludendo transigamus.  
*Psen.* Fiat. Sed quod genus lusus potissimum placet?

D

*Har.*

Troch. 1.

*Har.* Quod alex. *Pf.* Placer & mihi. Sed ubi tesseræ?

*Har.* Sunt in promptu. *Psen.* Bene est: profer. *Har.*  
Faciam, accipe.

*Psen.* Quanti certabimus; *Har.* Victus perdet sestertium.

*Psen.* Assentior: sed fortiamur uter

Prior sit incepturus. *Har.* Esto tu Prior,

Ego malim esse Abbas. *Psen.* Accipio quod offers:

Atque adeo mitto: observa sedulo. *Hem,* viden'!

*Novem.* *Har.* Sic est. Nunc est meum. *Hem,* tibi undecim.

*Vinco.* *Pf.* Fateor. Vtinam tam esses sapiens, quam es Fortunatus. Sed mitte rursus. *Har.* Accipe.

*Septem.* *Pf.* Ha ha he. *Har.* Quid rides? an ignoras

Numeros esse minores? *Psen.* Scio.

At hîc, ut opinor, fortuna favebit mihi.

Mitto itaque. *Har.* Eho, nunc ridendi tempus est, numerum

Video omnium minimum, binarium videlicet.

*Psen.* Ita est, non possum refragarier.

*Har.* Sic fieri decet. At solve pactum præmium.

*Psen.* Quodnam obsecro. *Har.* Rogas? duos sestertios:

Nambis vici. *Pf.* Quid auferes illi, qui nihil haber

In oculis? *Har.* Vah, quid ais scelus; vix me contineo, quin

**Troch.** Involem tibi in capillum. Sed dic serio,

Solves, nec ne? *Pse.* Nihil planè, *Har.* Solves hercule, nisi

**Troch.** Vapulare velis. *Pse.* Quid? vapulare? huc si quid

Luber. *Har.* Quid istud? etiam verberas? Næ ego

**Troch.** Par pari referam: & faxo ut pugnoses etiam mihi

Non deesse sentias. *Pse.* O he, desine: satis jam

Pugnatum est, ego me in pedes, quantum queo.

*Qui fugit,* ut ajunt, pugnabit denuo.

*Har.* Næ tu homo es ignavus, qui à pedibus opem tibi

Quærendum existimas.

## ACTVS II. SCENA I.

EUGENIVS, MYDA.

*Ejusdem rationis*

----- Duo isti pessimi  
Sunt nebulones, qui nihil aliud quàm ludunt: neque  
De lectione discenda unquam cogitant.  
Evaferunt illi quidem modo ex meis  
Manibus: at faxo ne posthac ad istum elabantur mo-  
dum.

Quando neque benè monendo, neque increpando,  
atque

Adeo minitando quicquam profeci hactenus,

Aliud remedium quærendum erit mihi.

Troch.

Phrygum mihi similes esse videntur, qui non nisi  
Verberibus consueverunt emendarier.

Sed adest Myda, quid dicturus sit nescio.

*Myd.* Salve præceptor. Adfero

Alia duorum istorum nebulonum delicta. *Eu.* Quæ

Myda? *Myd.* Alea ludebant modò, mox jurgio

Intereos exorto, pugnant in super.

*Eug.* Non herculè impunè ferent. In scholam  
rectè.

*Eu.* ubi illos me inventurum existimo. Tu ostium

Observa diligenter, ne rursus effugiant. *Myd.* Dabo

Operam: In tota civitate haud arbitror

Duobus illis pejores reperirier.

Troch.

Ad nequitiam eos natos esse dixeris. Atque ideo

Adversus illorum improbitatem nihil unquam

Præceptorem profecturum arbitror. Sed quid

Hoc? è schola uterque erumpit: Solus ego eos

Retinere nequeo, cedam itaque. *Eug.* Fugerunt illi  
quidem,

Quanquam non nisi leviter castigati. Verum

Graviorem pœnam, ut auguror, non effugient,

Nam nunquam frugi ego eos futuros arbitror.

Facessant improbi: In scholam

Herculè ego illos nunquam recepero.

D 3

ACTVS

## ACTVS II. SCENA II.

HARPALVS, PSEVDOLVS, BROMIA

*Eiusdem generis versus.*

**H**Em Pseudole, quo pacto ruz se habent nates,  
*Pf.* Tyrannum istum malè perdat Iupiter, qui tã  
 Crudeliter corpus dilaceravit trihi.

*Har.* Non ille ludimagister est appellandus,  
 Sed carnifex potius, qui tam inhumaniter

Nos tractavit. *Pfeu.* Animus mihi

Inhorrescit, quoties scholæ istius mihi

In mentem venit: ubi nil nisi verbera, & fletus

Audiuntur. Nunc domum recta hinc eamus,

Et matribus commemoremus, quanta sævitia

Ille in nos debacchatus sit plagosus. *Har.* Vt

Lubet. Sed opportunè, atque ipso in tempore

Tua huc accedit mater. Hem,

Serva; Vultus nunc nobis est sumendus tristior,

Verbisque simulandus dolor. *Pfeu.* Rectè mones,

*Har.* Hei mihi misero, quanta hodie verbera perpeffi  
 sumus:

*Pfeu.* Eheu me infelicem! etiam nunc nates dolent  
 mihi.

*Bro.* Quas ego querimonias, questusque hîc audio;

Tun' hîc eras Pseudole; *Pfeu.* Eram mater. *Bro.*

Eho, tu

Quoque hîc es Harpale; *Har.* sum Bromia. *Bro.* Quid  
 vobis deest;

Aut quid querimini; *Pf.* An non querar mater? qui  
 tam crudeliter

Virgis laceratus. *Bro.* Quid ais! virgis? *Pf.* Est ut dico,

*Bro.* Quid commiseras; *Pfeu.* Nihil

Omnino mater, innocentes vapulavimus

Atrociter. *Bro.* Et tu Harpale; *Har.* Eho, rogas Bro-  
 mia?

Tota cutis lacerata est mihi.

*Troch.* *Brom.* Me miseram! quam iniqui sunt plagosi isti  
 magistri

In suos discipulos judices ! qui æquum esse existimant,

Iam illico à pueris eos nasci senes ; & qui graves  
Pro levibus noxis pœnas exigunt. Mitte lachrymas  
Fili , & tu Harpale. Sed video huc accedentem nescio

Quam & nisi me fallunt oculi, Lesbia est, tua  
Mater Harpale. Ipsa est, gaudeo, nihil potuit  
Fieri opportunius.

ACTVS II. SCENA III.

LESBIA, BROMIA, EVGENIVS.

*Ejusdem generis.*

----- Præfagit animus, nescio

Quid mihi immineret tristius;

Et quid filium remoretur ignoro:

Nam jamdudum è schola suos

Magister dimisit. Videbam enim modò,

Cum isthac irem, exeuntes multos, sed meum

Nusquam , qui quoniam cessat , & nondum domum

Venit, quæ cogito? quibus nunc sollicitor

Curis? At commodè & depol huc Bromiam

Accedere conspicio cum filio. Quin Harpalus

Quoque meus adest, nisi mihi hallucinantur oculi.

Oh, benè se res habet, *Bro.* Iam compellandi tempus est.

Hem Lesbia, in tempore mihi venis obviam.

*Les.* Quid rei est? *Bro.* Ah, rogas? Verbis equidem eloqui

Non possem, quam crudeliter nostros in filios  
Plagosus ille sævierit didascalus.

*Les.* Hei mihi miseræ! Non de nihilo animus mihi  
Jamdudum fuit tristior. Et hanc ego nunc causam  
fuisse

Existimo, quod domum non venisti Harpale.

*Har.* Ea ipsa est mater *Les.* Vah, si vivo, non feret

Impune, *Bro.* Accedamus ad illum , atque hanc filijs

Nostri illatam injuriam

Vlciscamur. *Les.* Placet. *Eng.* Docendo defatigatus  
Prodeo foras. Næ nos duram suscepimus provin-  
ciam,

Quotquot juventutem formamus, hoc præsertim  
tempore.

*Bro.* Iam non procul ab ædibus illius absumus.

Et commodè eecum illum egressum conspicio. Ego  
Eum adoriar prior; tu orationi

Meæ uti subservias vide. *Les.* Fict. *Bro.* Deus

Te malè perdat carnifex. *Eugen.* Blanda, atque amica  
Herclè salutatio. *Bro.* Non alia, immo pejore etiam

Te dignum arbitramur, qui præter meritum in filios  
Nostros sæviſſitam inhumaniter. *Les.* Vix me

Contineo, quin tibi involem in capillum, aut hoc  
sandalio

Caput demulceam. *Eng.* Bona verba. *Bro.* Etiam  
rides?

*Eng.* Muliere iniqua nihil est quicquam iniquius

Quamquam non est quod mihi succenseatis,

Pœnas quidem luerunt illi sed sua

Nequitia minimè dignas. Itaque de sævitia mea

Non est quod queramini. *Severum ego*

*Troch.* Præceptorem non sævum debere esse arbitratus  
Sum semper. *Les.* Ista tua crudelitas satis superque  
Iam pridem innotuit omnibus.

*Eng.* Erratis mulieres, vestraque in liberos

*Troch.* Vobis imponit indulgentia,

Atque hoc pacto in eos consulitis pessimè,

Cum nimia deteriores reddantur licentia:

Quæ ne & vobis, & illis in nervum erumpat,

Videte sedulò. *Bro.* Quid tu nobis mali

*Troch.* Auguraris improbe?

Probi sunt, & rectè à nobis domi instituti. *Eng.* Res

Indicat: ego illis pejorem in schola mea habui nemi-  
nem

*Les.* Quid ais scelus? *Eng.* Quid istud? etiam verbe-  
ras?

Heus

Heus, heus, prodite pauperes,  
Mulieres has in scholam rapite, ut virgis illis eam,  
Qua correptæ sunt, excutiam dementiam.

*Les.* Ne feceris magister, & quid te deceat

*Cogira Bro.* In puerostibi imperium est, non in nos.

*Eng.* Neque vobis in me, itaque dignæ estis, quæ indignis

Troch.

Excipiamini modis. Sed ego clementiæ, ac

Facilitatis meæ memor, vos missas facio. Abite quo

Troch.

Lubet, vestrosq; institute filios,

Cum talibus enim nolim mihi quicquam esse negotij

ACTVS III. SCENA I.

PAMPHAGVS, PHORMIO.

*Iambici.*

**N**æ ego cutem heri curabam molliter,  
Genioq; indulgebam lautè, atq; prolixè.

A summo mane usq; in multam noctem, Ebrius

Etiam nunc videor mihi, & caput dolet,

Troch.

Stomachus nauseat: tales mihi optarim

Compotationes obvenire sæpius,

Troch. 2

In quibus me a symbolum

Faciatalea, Sed eccum Phormionem,

Meum compotorem: Gaudeo, nam nullus est

Quem nunc mihi malim dari obvium. *Phor.* Hester-  
nam

Herculè nondum satis edormivi crapulam, &

Doleo loculos esse exhaustos: nunquam profectò

Alias mihi infelicius cecidere tessera.

*O fortuna*, ut nunquam perpetuò es prospera!

Sed ea jactura aliquo modo

Hodie erit sarcienda. *Pam.* Solito mihi videtur tristior

Compellabo. Salve Phormio. *Phar.* Et tu Pamphage. Troch. 2.

*Pam.* Quid tibi accidit? *Phor.* Quid ita? *Pa.* Quid? Vultus non placet.

Aliquid tibi videtur evenisse incommodi.

*Phor.* Recte coniectas. *Pam.* Quid istuc est? *Phor.* He-  
stercus

Troch.



Plane mihi adversus fuit dies. *Pam.* Qui fiet  
*Phor.* Quia nunquam mihi minus favit alea:  
 Quanquam dolo utebar non raro. *Pam.* Artes tuas,  
 Fraudesq; satis novi. *Phor.* Sed illæ nihil heri mihi  
 Profuerunt omnino. *Pam.* Variant est Martis, ita &  
 lusus

Alea. *Phor.* Id equidem ego expertus sum sæpissimè.  
*Pam.* Et ego certe. Verum heri fortunatus fui  
 Satis, & hodie etiam futurum me confido, nam  
 Animus nescio quid mihi prælagit boni.  
 Atq; huius, quicquid erit felicitatis, te  
 Participem fore promitto. *Phar.* Promissis quis non  
 dives

Esse possit? ex quibus  
 Si quam spem in animo conceperim,  
 Ne id stulte fecisse videar, metuendum erit  
 Mihi. *Pam.* Bono animo esto, Sed quos huc ad nos  
 venire

Video? adolescentuli sunt, ex illis nobis prædam  
 Sperare ausim: præstolemur eos accedentes &  
 Quid sint loquuturi observemus sedulo. *Ph.* Placet.

### ACTVS III. SCENA II.

HARPALVS, PSEVDOLVS, PAMPHAGUS,  
 PHORMIO.

*Eiusdem generis versus.*

**E**Cquis me est fortunatior? cui ex voto contingere  
 Omnia. *Pf.* Quis hic beatum se venditat?  
 Tun' Harpale? *Har.* Ego ipse Pseudole. *Pse.* Quid tibi  
 accidit,

Quod solito es hilarior? *Har.* Rogas?  
 Videsne novis me indutum vestibus? *Pse.* Video, &  
 Formosior mihi nunc esse videris. quam dudum  
*Har.* Vestes formam commendant. *Pseu.* Verum di-  
 cis, at

Aliud est, quod te rogem. *Ha.* Quid? *Pse.* Ut valet  
 Crumena? *Har.* Eam mihi mater plane turgidam  
 Reddidit. Aspice. *Pf.* Hui, unde tanta ei liberalitas?

*Har.*

*Har.* Arte tractavi doli

*Ignaram, Pse.* Ego quoq; meam ad eundem fefelli  
Modum. Hem, appende. *Pam.* audin' quid dicant?

*Phor.* Audio

Et gaudeo. *Pam.* Præda hæc nostris digna est ungui-  
bus.

*Pho* Nihil hercule posset nobis accidere opportunius,

*Pam.* Quid ais? an nunc etiam, quod dicebam modò,

Nobis hodie eventurum boni,

Vanum atque contemnendum existimas? *Pho.* Nullo  
modo.

Accedamus ad eos, atq; appellemus comiter.

*Pam.* Præcedo, sequere. Næ ego loculos, quos turgi-  
dos

Se habere gloriantur, plane exhausero. *Pho.* credo

Futurum: nam quo pacto id fieri soleat, calles oprime,

*Har.* Eho Pseudole, satis jam hic subsistimus diu.

Ad diversorium nos recipiamus, &

Diem hunc lætum, atq; hilarem sumamus. *Pam.* Jam  
alloquendi tempus est.

Hem, salвете adolescentuli, quo vobis est iter?

*Pseu.* Extra urbem prodeambulare lubitum est lon-  
gius.

Nam ruri hoc tempore esse malumus, quam in civi-  
tate, ubi

Populi passim offendit concursus, & frequentia.

*Pam.* Nos vobiscum ibimus, si admittitis. *Pseu.*  
Quidni?

*Incundus,* uti dici solet, comes pro vehiculo est.

*Phor.* Recte, nihil potuit dici festivius

*Har.* Ubi ambulando acuerimus

Stomachum, potatum, accommessatum aliquo di-  
vertemur,

*Pam.* Idem & nos facere proposueramus. *Pseu.* Eia  
gaudeo.

Comptore tam commodos

Nobis venisse. Sed jam deambulavimus

Saris, & animus jamdudum est in poculis.

*Troch.*

*Har.*

*Har.* Ego quoq; sitim mihi contraxi. Sed quonam ibimus?

*Phor.* Hospitem probum dabimus, ubi  
Potandi, atq; commessandi commodus.  
*Pseu.* Erit locus, Nihil herculè est, quod cupimus magis.

*Troch.*

In lætitia enim, ac gaudio hunc diem exigere.  
Certum est nobis. *Pam.* Pervenimus.  
Quo ire constitueramus, sequimini: pulsabo ostium.  
At ecce cum commodè exeuntem cauponem, alloquar.

ACTVS III. SCENA III.

PAMPHAGVS, SANNIO, PHORMIO, HARPALVS,  
PSEVDOLVS.

*Eiusdem generis.*

**S**alve Sannio, *San.* Salvere boni viri, & vos adolescentuli.

Adventus vester nobis est gratissimus.

Intrate. *Phor.* Præcede, sequimur. *Har.* Nunc cantharum promi iube:

Nam me jamdudum torquet sitis. *San.* Faciam herculè sedulò.

*Pse* Pol aptum hic commessandi nacti sumus

Locum. *Pam.* Nullum usquam reperias commodiorem. *San.* Cerevisia hæc

Sit fausta vobis omnibus. *Phor.* Euge benefecisti, qui mihi

Dedisti cantharum, ariditate enim fauces

Crepant mihi: præbibo adolescens, sed quod tibi

Est nomen? *Har.* Harpalus. *Pho.* Quod tibi? *Pseu.* Pseudolus,

*Pam.* Recte, nomina conveniunt. *Pho.* Tibi igitur Harpale:

*Har.* Ut saluti sit precor, sed ebibe

Dimidium. *Phor.* In eo te decipiam minime. Hem, Viden'?

*Har.* Video. *Phor.* Responde igitur. *Har.* Faciam idque sine mora. Hem,

Tibi

Tibi Pseudole. *Pse.* Sic salutiferum, ac bibere, *Har.* Eho Troch.  
quid viderur.

*Pse.* Virum te præbuiſti ſtrenuum, laudo.  
Agedum hoſpes, prome alterum. *San.* Fict. *Har.* Nunc  
genio indulgeamus,  
Et ſumus hilares. *San.* Felix ſit vobis hic potus. *Har.*  
Hem,

Tibi debetur Pseudole. *Pse.* Scio, Tibi Pamphage:  
Sed eadem qua accepi conditione. *Pam.* Nil reſuſo.  
*Pseu.* Accipe; & ſi quid ſefelli, redde cantharum:  
*Pam.* Non herclè reddam, nam probe Troch.,

Officio functus es tuo. Sed agedum Sannio,  
Menſam inſterni, & opiparum nobis hic apparari  
Jube convivium, neq; enim potandum ſolum, ſed Troch.  
Edendum etiam erit nobis: Quam vinum quoq; ut  
Promatur effice. *San.* Faciam.

Vos modò confidite, faxo ut jam jam parata  
Sint omnia: *Pa.* Nunc omnes ex animo nobis ſunt  
Ejciendæ ægrotadines. *Phor.* Hanc unam ob cauſam  
huc venimus.

Agedum, nunc moveamus manus patinis, quiſque cæ-  
piat,

Quod patro maxime ſapit ſuo.  
De armohooovillo mihi partem ſumam: videtur  
Enim probe atq; diligenter aſluſime  
Imitamini, & quiſq; ſibi conſulat. *San.* Felix  
Fauſtumq; hoc vobis ſit vinum. *Pf.* Optime herculè  
Factum, nam vinum bibo libenter. *Phor.* Atque ego  
vinum

Cuiſis facile antepono cereviſiæ. *Har.* Næ tu mecum  
Sentis Phormio? *Pse.* Harpale, hunc vini tibi  
Præbibo cyathum. *Har.* Lætus herclè accipiam, & e-  
bibam

Lætior. Eho tibi Pamphage. *Pam.* Proſit Harpale.  
*Phor.* Eho quid iſtud? an ego vobis hic ignorus ſum  
omnibus;

*Pam.* Quid ita? *Pho.* Quia nemo mihi præbibit. *Pam.*  
Id herculè

Nostre culpa accidit. Sed quod dispendii  
Est factum, sarciam. Tibi Phormio. *Phor.* Habeo gratiam.

*San.* Agite, ne parcite sodes, quæ apposuimus; ferculis.

Apparatus tenuis est: quod si ante scivissemus  
Vos huc venturos, obsonati fuissetis

Largius. *Phor.* Quæ appobita sunt, abundè nobis  
Sufficient: præbibo tibi Sannio. *San.* Ut faustum tibi  
Sit opto: quo pacto vobis sapit vinum? *Har.* Optimè.  
*San.* Lubenter istud audio. *Pson.* Ohe, potatū est satis:  
Ludendi jam tempus est. *Pam.* Placet.

Sed quanti ludemus. *Pse.* Floreno. *Pam.* Fiat. *San.* Ecce  
vobis

Fritillum, & tesseræ. *Phor.* Nihil

Opus erit fritillo, solæ tesseræ

Sufficient nobis. *Pam.* Sic est: sed pecuniam

Deponamus præsentem. *Har.* Ita fieri oportet.

*Pam.* In ludendo sociis erit mihi Phormio. *Har.* Placet.

Tu mihi Pseudole. *Pse.* Agite, sit ita. Sed pecunia

Utrinq; deponatur. *Phor.* Fiet. Ego, quia tesseræ

Mihi tradidit hospes, bonis avibus exordiar

Lusum, nisi quid dissentitis. *Har.* Concedimus.

*Pho.* Ecce vobis quatuor. *Pson.* Sic est. *Phor.* Nobis  
Septem.

En rursus septem, vicimus. Aliam pecuniam

Deponite. *Har.* In promptu est; sed nunc mihi tesseræ

Tradi velim. *Phor.* Accipe. *Har.* Quod cadet

Vestrum erit. Novem, videris?

*Pam.* Probè. *Har.* Nos octo habemus. *Pam.* Perge. Ego  
novem

Rursus, vicimus & hoc. *Pson.* Fatemur, ne ride.

Fortuna inconstans, & varia est. *Phor.* Fateor. *Har.*

Nunc plus erit

Deponendum. *Phor.* Quantum lubet. *Har.* Quatuor  
hos aureos

Ego

Ego depono vos adicite totidem. *Pam.* Nimirum id quidem.

Sed nihil refragamur. En & nostros quattuor. *Psen.*  
Nunc mihi

Tesseras dari velim. *Phor.* Placet.

*Pf.* Advertite: vobis quinq; nobis sex. *Pam.* Video

Euge, benè tecidere tesseræ,

Quinq; sunt: & hæc nostra est pecunia.

*Har.* Næ nos infortunati sumus.

Sed jam à ludendo desistendum existimo,

Cum non ita multum nobis restet in marsupiiis.

*Pam.* Pergamus, & quicquid vobis superest pecuniæ;

Deponite. Non semper adversabitur

Fortuna. *Har.* Quid videtur *Pseudole.* *Psen.* Deponamus omnia.

*Pam.* Nostant undem. Ego nunc, quid Fors sit allatura,

Experiar. En duodecim nobis: vobis undecim.  
Rursum

Ecce undecim. Quid nunc vobis videtur? Hæc

Nobis cedunt omnia. -----

ACTVS III. SCENA IV.

SANNIO, PAMPHAGUS, PHORMIO, HARPA-  
LUS, PSEVDOLVS.

*Eiusdem rationis versus.*

----- Crucior hos nihila liud

Quam ludere, potare eos malim. *Pam.* Commodè

Ingreditur hospes. Eho rationem subduc Sannio.

*San.* Hui, tam citò; *Phor.* Alio nostra nos vocant negotia. *San.* Ue

Videtur: quatuor floreni mihi debentur. *Pam.* Mem

Benè me herculè, cuiq; solvendus erit unus.

*San.* Ita est. *Pam.* Accipe nostros duos. *San.* Habeo pol  
gratiam.

Valete viri boni. *Pho.* Vale Sannio. *San.* Rhodum.

Adolescensuli, an non & vos solvetis? *Har.* Quid

Solvemus miseri, cum ne obulus quidem nobis

Supers

Superstit in oculis. *San.* Quid ita fodes? *Pse.* Quia  
Nobis plane adversa fuit fortuna. *San.* Quid istud  
mea?

Solvite. *Har.* Quid quæso adimas nudis? *San.* Nudi.  
hercule

Nondum estis, Agite, superiores protinus

Exuite vestes. Vah, quidnam cunctamini?

Eas mihi donec solvetis servavero,

Exuite inquam, nisi vapulare malitis.

*Pse.* Vis quidem hæc est. *San.* Nuncabite.

Quo vultis. *Pse.* Ah, itane fieri oportet? *San.* Nondum

Abiistis improbi? Hoc vobis accipite. *Har.* Pro sum-

me

Deus! quænam hæc est contumelia? non satis

Erat nos vestibus exui, atq; indignè ex ædibus

Exturbari, an lotio nos in super

Perfundis? *San.* Sic tractari eos oportet, qui

Rem decoquunt. *Har.* Me miserum! quid nunc agi-

mus *Pseudole;*

*Pse.* Nescio me hercule, nam una cum pecunia

*Groch.*

Omne mihi periit consilium, & me me pudet.

*Har.* Ego quoque cum crumenam exhaustam, & ve-

stibus

Me spoliatum video, arborem suspensio

Mihi quærendam arbitror. *Pse.* Et me vitæ jam dudum

piger

Meæ. *Har.* Aliquid tamen nobis erit

*Groch.*

Inveniendum, neq; plane despondendus animus. Sed

Abeamus hinc mox tibi meum consilium, aperuero

## ACTVS IV. SCENA I.

CHREMES, HARPALVS, PSEVDOLVS,

SANNIO.

*Iambici.*

**D**E via profectò defatigatus sum

Planissime: hic quiescendi mihi commodus

Datur locus, modò, quod superest, perficiam iter: sed

Ne quis mihi hanc relam eripiat, cavebo. Nam

Scio

Scio hic passim multos vagari nebulones,  
Impostores, ac sycophantas ij ne me  
Fallant, videndum est sedulò. *Har.* Quid tibi de eò  
Videtur, quod modò dicebam Pseudole? *Pseu.* Place-  
ret, nisi.

Cum periculo esset conjunctum. *Har.* Vah, indigentib⁹  
Nullum pol fugiendum est periculum. *Audaces*  
Fortuna juvat. *Pse.* Sed ne audacia ea nobis in  
Nervum erumpat metuo miser.

*Har.* Ah, meticulosus es nimis. Benè ominare, rem  
Ex animi confido successuram sententia  
Sed video non procul hinc in gramine rusticum  
Iacentem. *Pse.* Video & ego. Quid tum? *Har.* Rogas?  
telam

Habet, & dormit, *Pseu.* Sic est. *Har.* Superi me per-  
dant, nisi

Hæc illi eripuerò furcifero. Hæc circumspice,  
An cura satis sint omnia.

*Pseu.* Turissima. *Har.* Præda hæc nostra est, alium dor-  
mit.

Hæc quid videtur? *Pseu.* Mirum ni Dea Laverna pro-  
pitia

Sit tibi. *Har.* Næ ille, ubi mox fuerit exspectatus, ejus  
labit, tum

Telam sibi ereptam conspexerit. Revertamur  
Nunc ad cauponem, atq; hac nostras redimamus  
Vestes. *Pseu.* Rectè. Nunquam audivi melius consiliū  
dari,

Hæc. Opportunè, atq; adeo in ipso tempore  
Hic nobis est oblatus rusticus. *Har.* nihil  
Potuit fieri commodius. Sed clausas video fores.  
Pullabo Heus heus Sannio, prodiocyus. *San.* Quid  
vis tibi?

*Har.* Aperiri inquam, atq; egredere protinus.  
Vt vestes redimamus huc rediimus, *San.* Vnde  
Vobis pecunia tam cito? *Pse.* Tua quod nihil refert,  
Desiste percontari.

Hanc accipe telam, & vestes nobis reddito.



*San.* Eho telam? hanc, ut opinor, surripuistis alicui: at  
 Mea nihil interest. Sequimini me intro, ibi  
 Vobis restituentur vestes. *Pf.* I præ, sequimur.

## ACTVS IV. SCENA II.

SYRVS, SANGA, CHREMES.

*Eiusdem generis.*

**Q**uia undiq; quotidie ad dominum nostrum a-  
 gricolarum

Querelæ deferuntur, quod nihil tutum

Sit ipsis à prædonibus aliisq; furibus,

Omnes huic urbi, vicinõs pagos ut visamus, nobis

Præcepit. Et si quos istius generis homines alicubi

Inveniremus, eos comprehensos ad se statim

Pertraheremus. Id nunc exequendum erit

Nobis, Hem Sanga. & Geta præcedo, sequimini me.

*Chr.* Hui,

Dum defessus quiescere

Tantum statuerã, planè obdormivi. Nunc tempus est

Surgendi, ac progrediendi longius. At at, quid

Hoc? ubi tela est? Eheu dormienti adempta est

Mihi, Deus istum perdat sacrilegum, qui me

In publica via ausus est spoliare, O miseriam!

Quid nunc agam, aut quo me recipiam nescio.

*Syr.* Quid ille suo questu sibi vultristicus?

Accedamus ad eum propius. *Ghr.* Næ ego hominum

Qui vivunt sum infelicissimus.

*Syr.* Eho, quid vociferare? aut quid ejulas? *Chr.* Quid  
 ejulem

Rogas? equidem perii. *San.* Quid ita? *Chr.* Telam  
 quam in civitatem

Deferre proposueram hic erepta est mihi.

*Syr.* Quando istud est factum? *Chr.* Modò. *San.* Quo  
 pacto? an palam

Per vim? *Chr.* Non, sed dum longiori itinere defati-  
 gatus,

Quiescere hic parabam paulisper, somnus

Me

Me oppressit, mox expectatus telam mihi  
Ereptam invenio miser. *San.* O prædonem audacissi-  
mum!

Sequere nos. Est non ita procul  
Hinc prostibulum, quo nebulones, aliiq; malefici  
Diverti plerunq; solent, ibi cum reperiemus forsitan;  
Qui telam tibi ademit. *Chr.* Id ut fiat, faxit Deus.

*Syr.* Recta eo properamus, tu interea nos hic

Præstolare. *Chr.* Faciam. Hei mihi!

Quid agam, siquidem hæc tela perierit mihi? Ah! in  
quæ

Tempora incidimus, quibus furari, rapere, atq;

Prædari quisq; licere existimat sibi.

Sed confidebo hic paulisper, donec redeant.

ACTVS IV. SCENA III.

SYRVS, HARPALVS, SANGA, PSEVDOLVS,  
CHREMES.

*Eiusdem generis.*

**Q**uid hoc? hiccine vos reperimus nequissimi?

*Har.* O populares! ferte miseris auxilium, subve-  
nite Troch.

Innocentibus. *San.* Etiam subsidium implorare

Audetis sceleratissimi? *Syr.* In ipso crimine

Deprehensi vos innocentes Troch.

Dicis scelus? *Har.* Me miserum! in crimine

Quoniam obsecro? *San.* Vah, quæris impudens? unde

Hanc hæsti estis telam? aut cui eripuistis? *Psen.* In

Me! pol tale non cadit facinus. *Har.* Neq;

In me. *Syr.* Mentimini, Is cui adempta est, hic adest.

Hem rustice, respira, ecce telam. *Chr.* Quis telam?

Oh, beatis me.

*San.* Sequere. *Chr.* Istud quidem. *Syr.* mor-  
vete vos.

Malefici, nisi obtorto collo malitis protrahi.

*Har.* Ah, siccine nobiscum agitis? *San.* Vapula trifur-  
cifer.

*Har.* Eheu me infelicem! etiam verberas? *Syr.* Eho,

R 2

Quid

Quid pugnosc frustra lædis Sanga: non sentit nisi  
Fustem mastigia. *San.* Crucior mihi baculum  
Deesse, quo isti latera conteram improbo.

*Psen.* Onos miserrimos! *Syr.* Tace nequam, ac progredere. Sed

Herum eccum egressum conspicio.

ACTVS IV. SCENA IV.

LEONIDES, SYRVS, SANGA, CHREMES.

*Eiusdem rationis versus.*

**R**Evisto quam mox huc mei redeant ministri; quos  
Quidem sine præda non reversuros existimo.

Tantam audio passim esse nebulonum,

Ac furum multitudinem.

Quorum audacia ne impunita relinquatur, maximam

Nobis adhibenda est cautio. Sed video huc eos

Accedentes. Et nisi me oculi fallunt, duos

Huc ligatos pertrahunt. Manebo hic, donec

Propius accesserint. *Syr.* Salve here, non infeliciter;

Uti vides, hæc nobis successit venatio.

Adducimus ad te prædam. *Leo.* Hem bene fecistis.

laudo

Sublimes eos intro rapite, atque vinctos sedulo

Asservandos curate, ne qua copia

Sit elabendi. *Syr.* Curabitur here.

Heus tu, quid stas rustice? Prætores sequere, ac telam

tuam

Esse dic. *Chr.* Nihil est quod æquè fecero lubens.

ACTVS V. SCENA I.

BROMIA, EUBULUS, LESBIA.

*Iambici.*

**P**erii, interii miserrima! Siccine filium

Meum unicum conjectum in carcerem mihi

Nuncias cognate Eubule? *Eub.* Sic est herculè

Factum ut dixi, remque ita se habere intelliges.

*Bro.* Qui scis aut unde istud rescivisti obsecro?

Troch.

*Eub.*

*Eub.* Hisce oculis vidi, ac statim deinde id tibi  
Vt nunciarem, huc properandum putabam

*Troch.*

*Mihi. Bro.* Næ tu tristissimum mihi adfers nuncium.

*Eub.* Neq; solum istum tuum, sed alium in super  
Cum illo adolescentulum, in vincula vidi deducier.

*Bro.* Eheu me miseram! mirum ni Harpalus is fuerit,  
ejus

*Sodalis.* Sed quam huc ad nos exanimatam accurrere  
Video? Nisi mihi hallucinantur oculi, Lesbia est.

*Eub.* Ea est ipsa. *Bro.* Ah, quam perturbata sit vide! *Troch.*

*Les.* Hei mihi miseræ! actum est, siquidem verum est,  
quod audiui modo.

*Eub.* Audin' quid dicat? *Brom.* Audio, & animus me-  
tu, ac

Tremore inhorrescit mihi.

Compellabo. Eho Lesbia, quidnam est istud quod

Te audisse prædicas? & quod animum perturbavit *Troch.*  
tibi?

*Les.* Quid? hiccine eras Bromia? Non prævideram  
Te. Næ nos omnium, quæ vivunt, mulierum sumus

Infelicissimæ. *Bro.* Quid ita? cedo. *Les.* Filii nostri

Comprehensi sunt, atq; à prætore in carcerem

Detrussi. *Bro.* O miseriam! Idem & hic cognatus no-  
ster

Eubulus nunciavit mihi. *Les.* Credo, sed dic mihi

Quæso, quid perpetraverant:

Aut quodnam ob facinus capti dicebantur? *Eub.* Ru-  
sticum

Quendam ab iis spoliatum aiebant. Sed certi habeo  
nihil.

*Les.* Eheu, quæ est, si non hæc miseria est appellanda  
maxima!

Jam vitæ me tædet meæ. Nunc accidit

Quod præceptor nobis eventurum prædixit. *Br.* Ah,

Memini, & illi non obsequutam doleo, sed

Frustra. *Eub.* Desinite flere, & lamentarier:

Sed potius, quod ad hanc rem attinet,

Mecum consulite. *Bro.* Consilii in me reperio

E 3

Nihil.

- Nihil *Eub.* Dicam mihi quod in mentem venie.  
*Troch.* Vos dijudicate. *Les.* Quid isthuc? *Eub.* Virgæ, atq;  
 Ferulæ auctoritate ego illos liberandos  
 Esse arbitror, in quo quidem pecuniæ vobis  
*Troch.* Non erit parcendum. *Bro.* Eubule pecuniam  
 Nihil moramur, si modo filii servarica  
 Possent. *Eub.* Poterunt, ludimagistrum, qui eos  
 Docuit, statim accedite, cumq; orate, ut vobis  
 Auxiliari dignetur, quod quidem facile  
 Ab eo impetrabitis, si hominem novi satis.  
*Les.* Eho, quid faciemus Bromia? *Bro.* Quid aliud,  
 quam  
 Quod nos facere cogit *necessitas*, durum,  
 Ut aiunt, telum, *Les.* Eamus igitur. --- ---

## ACTVS V. SCENA. II.

EVGENIUS, LESBIA, BROMIA.

*Eiusdem generis versus.*

- --- Grave profecto est  
 Docendi munus, multoq; molestissimum.  
 Non tam ob peruersos juventutis mores &  
 Ingenia ad nequitiam prona, quam obstultam ma-  
 tercularum  
*Troch.* Indulgentiam, suos qua perdunt liberos:  
 Laboremq; hunc nostrum longè omnium reddunt  
*Troch.* Difficillimum. *Ne ego hoc saxum satis*  
*Volvi diu. At quid hoc? accedunt huc duæ*  
*Istæ mulieres, cum quibus*  
*Non ita pridem jurgium fuit mihi, &*  
*Videntur esse tristiores. Mirum ni*  
*Barum filii, qui pessimi sunt nebulones,*  
*Aliquid perpetrarint mali: opperiar eas*  
*Hic ante ostium. Les.* Ehem Bromia, video didasca-  
 lum  
 Stantem pro foribus. *Bro.* Commodè & depol, salute-  
 mus  
 Eum comiter, atq; in genua procumbamus,  
 Oremusq; supplices, ut subvenire

Nobis

Nobis dignetur. *Les.* Ita nos facere decet. *Bro.* Ego

Illum compellabo prior:

Tu, si quid forte defecero, uti orationi

*Meæ* subservias vide. *Les.* Curabitur.

Troch.

*Eug.* Nescio quid secum mulsissent. *Bro.* Salvere te

Jubemus vir honorande. *Eu.* Vah, insidiosa herculè

Hæc est civilitas: Satis superq; salveo:

Paucis dicite si quid est, quod me velitis.

*Bro.* Si qua in re te unquam offendimus,

Troch.

*Nostre* ut id imprudentiæ, atq; inscitæ

Ascribas, nobisq; pro tua clementia

Ignoscas, vehementer te oramus. Præterea ut in his

*Nostris* ærumnis, atq; calamitatibus

Troch.

Opitulari nobis digneris. *Eug.* Agitedum surgite

Et, in quo mea opera vobis sit opus, dicite.

*Bro.* Faciam, quamquam me dicere pudet: & dicendū Troch,  
est tamen,

Filii nostri periclitantur de vita, ni ope,

Vir humanissime, serventur tua.

*Eug.* Quid ij commiserunt? *Bro.* Furti eos

Accusari audivimus modò,

Troch.

In quo quidem facinore deprehensi ante sunt

Nunquam. *Les.* Est ut dicis Bromia.

*Eug.* Quid, an non dixi hoc eventurum? *Le.* Dixisti o  
bone,

Et peccatum à nobis est maximè, nunc in

Te uno omnis spes est nobis, ad te venimus,

Subsidium expetentes supplices.

Troch.

*Eug.* Quid vultis ut faciam? *Bro.* Virgæ, ac ferulæ tuæ

Auctoritate ut illos liberes. *Eug.* Quo pacto istuc  
queam?

Cum jam meam reliquerint scholam. *Les.* Sic est. Sed  
hoc

Tecum cogita eos non nisi paucos abfuisse

Dies. *Bro.* Misereat te nostri, tuæq; ope

Succurre nobis infelicibus, gratas

Nos dices, atq; memores. *Les.* Moveant te nostræ la-  
chrymæ,

*Bro* Puerilis ætatis te moveat imprudentia,

*Les.* Adhæc viduas, atque pupillos tibi defendendos cogita.

*Eng.* Desinite orare. Quanquam haud benè de me estis Meritæ, tamen experiar, quid hac

In re efficere queam. *Iniuria*

Oblivisci deçet. *Bro.* Non solum gratiam tibi

Habemus, vir colende, sed referemus etiam maximam,

*Eng.* Sequimini me intro, atq; ibi paulisper expectate, dum

Me paro. *Bro.* Eho Lesbia, sequamur. Confido ego Eum aliquid effecturum boni.

### ACTVS V. SCENA III.

LEONIDES, SANGA, HARPALUS, PSEUDOLUS.

*Eiusdem generis.*

Troch.

**E** Ho, perducite huc è carcere duos illos improbos, Morte ex iudicium sententia Mulctandos, *San.* Curabimus here, *Les.* Digni me hercule

Sunt qui indignis pereant modis: nam tales, in republica

Bene instituta nequaquam sunt tolerandi.

Troch.

*Syr.* Procedite scelesti, atq; etiam restitatis ?

*Har.* O miseriam! nullusne nobis auxiliabitur

Troch.

Infelicibus? *Pse.* Hei mihi! nemo est quem nostri

Misereat? *San.* Tacere, ac pergite;

Dignum vestris sceleribus lueris supplicium.

*Syr.* Adducimus ad te here, quos voluisti. *Leo.* Benè fecistis. Hem, ad

Precandum vos componite,

Et in genua procumbentes, Deum orate, ut

Animis vestris propitius esse dignetur.

*Har.* Ut te nostris misereat obsecramus supplices.

*Leo.* Nullus me mileret, infelicitatis

Qui ipse est auctor suæ, *Bonus nocet*, quisquis

Peper-

Pepercerit malis. *Pſeu.* Væ nobis infelicibus.

Adeſte huc adoleſcentuli,

Troch.

Et ad hoc triſte concurrite ſpectaculum,

Ex nobis exemplum capite, vobis quod ex uſu

Troch.

Erit. *Felices ſunt aliena quos*

Emendant infortunia

*Har.* Parentum præceptis, atque magiſtrorum ne

Adverſe mini videte ſedulò, improborum

Troch.

Conſortium fugite, atque à furto, alijsque rebus

Malis, ac veritiſtemperate, ne in idem,

Quod nobis nunc impendet exirium, illabamini,

*Leo.* Ohe, mittite lamentationes.

Et ad moriendum vos parate, Deo animorum ve-  
ſtrorum

Troch.

Salutem commendantes ſupplices. *Har.* Eheu,

Quam miſerum eſt mori!

Troch.

#### ACTVS V. SCENA IV.

EVGENIVS, BROMIA, LESBIA, HARPA-  
LVS, LEONIDES, PSEVDOLVS,

*Ejuſdem generis verſus.*

----- *Eug.* Hæm puer,

Sequere me cum virga & ferula, & vos mulieres,

Ad prætorem recta nunc procedo via.

*Bro.* Immo in forum potius; nam eo

Illos modo deductos audivimus. *Eug.* Velubet.

*Les.* Sed ne ſerò veniamus metuo. *Brom.* Idem &  
mihi

Cutæ eſt maximè. *Eug.* Bona

Animo eſtote, ſed maturemus; magnam in foro

Troch.

Conſpicio hominum frequentiam, ut fieri ſolet,

Quando de maleficis ſupplicium ſumitur.

*Bro.* Heu me infelicem! nulla ſum; perij, interij mi-  
ſerrima,

Scalas erectas ad patibulum conſpikor.

*Eug.* Eho, reſpirate, atque animum recipite. Veni-  
mus

E s

In



In tempore. *Leo.* Vocem tollam, Heusheus, omittite

Paulisper, quod agere cœpistis : quidque hic didascalus

Sit dicturus, audite obsecro. *Har.* Matris vocem mihi Audire videor, illam oro ut mihi alloqui

Liceat, priusquam moriar. *Leo.* Eho, quid hæc res vult sibi?

*Eng.* Salve Domine prætor. *Leo.* Et tu bone vir. *Eng.* Oro,

**Troch.** Ut tantisper quod facere instituisti, intermittere Digneris, dum pauca loquentem audiveris.

*Leo.* Fiat, concedo. *Eng.* Hem matronæ, prætori supplices

Ad genua accidite. Quos huc in crucem suspendendos

**Troch.** Duci iussisti, harum viduarum filij Sunt, meique discipuli. *Leo.* Credo : sed in furto tamen

Deprehensi. *Eng.* Non inficior, sed quoniam inficijs, Atque adeo invitis matribus, non plus quam tri-duum

Ab improbis seducti, nequitiæ sese dedidere, neque Antea tale quippiam ab eis perpetratum est unquam, ut

**Troch.** Tu publicè illos morte punias, neque Decere, neque licere tibi arbitror, quando Scholarum privilegia illos ex huiusmodi Pœna, veteri ac laudabili

Consuetudine, atque more liberant:

Ut antè sæpe factum novimus : quare

A te petimus, vir honorande, ut puerilis

Incogitantia, ac fragilitatis misertus, eos

**Troch.** Nobis puniendos tradas. Gratas non solum tu has Duas matres, sed famulas etiam tuas esse senties.

*Leo.* Oratione tua tam cordata, ac gravi,

Tum adolescentium imperitia

Commotus, tibi eos tuo arbitratu castigandos

Trado

Trado vir humanissime. Hem  
 Matronæ surgite. *Bræ.* Gratiam tibi habemus, ac  
 Referemus etiam prætor clementissime.  
 Tum hujus tui erga nos beneficii, quoad vixerimus,  
 Memores erimus. *Leo.* Solvite eos, ac præceptori  
 committite.


*Eug.* Nunc in genua procumbite, atque gratias  
 Prætori agite. *Har.* Maximas tibi prætor  
 Benignissime ago gratias,  
 Qui me ex morte liberatum vita donasti. *Psen.* Et  
 Ego quoque mitissime domine, meam salutem  
 Tibi acceptam refero. *Leo.* Benè facitis, quando  
 Gratos vos præbetis, sed etiam atque etiam videte, ut  
 posthac

Ab omni maleficio abstineatis, ne rursus in ma-  
 nus

Nostras illabamini. *Har & Psen.* Curabitur  
 Sedulo. *Engen.* Spectatores, non est quod hic more-  
 mini

Diutius. Quod restat, in schola peragetur, ibi  
 Pœnas, qui deliquerunt, luant. Valere, & plaudite.

F I N I S.



PSEV-



# PSEVDOSTRA- TIO TÆ FABVLA LYDICRA,

## ACTORVM NOMINA,

PHORMIO, Victor.

DORIO, Athenarius  
faber.

PERILIA, Phormio-  
nis uxor.

BROMIA, Dorionis  
uxor.

LESBIA, Caupona.

SYRA, Lesbiz An-  
cilla

CHREMES, Agri-  
cola.

NISA, Chremetis  
uxor.

## PROLOGVS,

*Iambici trimetri.*

**P**Acem & quietem vobis, atque publicam  
Tranquillitatem grex exoptat scenicus,  
Quicumque huc confluxistis, fabulam hanc novam  
Hodie vestra decoraturi presentia.  
Vos appello, quicumque liberalibus,  
Atque ingenuis animum excoluistis artibus:  
At candida qui humanitate præditi,  
Ad studia bonorum provehenda sedulò  
Incumbitis, nigrosque odistis Zailos.  
Malevolos nihil moramur: qui dum industriam  
Nostram culpant, suam produnt inscitiam.  
Nunc quam sumus exhibituri audite fabulam:  
Non sacram, aut seriam, ut consuevimus hætenus,

Ve-

Verum festivam, jucundam, atque ludicram,  
 Locos hoc tempus postulat & facerías,  
 Salesque, sed castos tamen, atque innoxios.  
 His nos jam ludere permisit didascalus.  
 Neque id sibi vitio vertendum existimat,  
 Bonorum habet exemplum, quo se defendere  
 Facile queat ab invidorum moribus.  
 Valeant igitur malorum hominum calumniæ:  
 Quos non melius ulciscaris, quam si auribus  
 Obruratis prætereas, nihilque æstimes.  
 Abundè sibi satis factum putabit, si suam  
 Operam vobis non displicere senserit.  
 Cui hoc solum est in votis, ut quas hæc ænus  
 Et fecit, & posthac facturum est, bonis  
 Probet comœdias: siue illæ sint sacræ,  
 Seu sint futuræ ludicræ. Verum satis  
 Prolixa oratione præfatus mihi  
 Videor. Agitedum, ad argumentum fabulæ  
 Attenti quæso estote, absque ullis fabulis,

## P E R I O C H A.

**D**Vo combibones admodum diluculo  
 Foras una egressi, ad potandam commeant.  
 Vxores per totum illos quærunt oppidum.  
 Mox deprehensos, plagis contundunt plurimis.  
 Hi postea sese simulantes milites,  
 Ruri adoriuntur rusticum, miserisque eum  
 Exercent & eruciant modis, qui sumptibus,  
 Magnisque impendijs gravatus, conjugis  
 Subsidio ex ædibus ambos exturbat, probe  
 Sugillatos. Compulsi mox inopia,  
 Domum se recipiunt, & confessi suam  
 Culpam, cum uxoribus redeunt in gratiam.

## ACTVS I. SCENA I.

## P H O R M I O.

*Iambici.*

**N**Æ ego hominum qui vivunt sum infelicitissimus,  
 Cui

Cui præter alia, eaque innumera incommoda, tam  
procax.

Difficilis, tamque imperiosa uxor contigit.

Cum Furia quæpiam infernali vitam agere mihi

Videor, adeo suis dies noctesque me exagitat,

Cruciatque præstigijs. Quanquam operi sedulo intentus.

Vsque officio meo perfungar gnaviter,

Nunquam tamen suis me rixis, atque jurgijs

Obrundere, & enecare cessat bellua.

Mirum est profectò etiam nunc animi compotem  
esse me,

Neque jam pridem redactum esse ad dementiam,

Qui cum tali Tisiphone annos jam vixi plurimos.

O me temerarium, atque hominem multo omnium

Stultissimum, qui tam duro, & inamabili

Capistro collum irretiendum præbui: unde quo

**Troch. 2.** Pacto me expediam, aut quibus rationibus

Exolvam, planè nescio miser: tam arcto,

Tamque insolubili nodo illigatum me esse sentio.

Sed quid agas? quod factum est, infectum reddi non  
potest.

Cui cum cacodæmone, ut ajunt, navem ingredi

Contigit, ei inter pavigandum mores illius,

Omnesque sunt ferendæ injuriæ, non diutius

Tamen, quam cum in portum sit perventum, tum eo  
Relicto, liberum est abire quolibet.

Sed quàm procul ego adhuc ab illo portu absum mi-  
ser!

Neque de ulla re sum sollicitus magis, quam ne

Ad eum nunquam accessus concedatur mihi:

Nisi quis Deus *Apomechanes*, uti dici solet,

Apparens, de medio, hanc tollat veneficam.

Tum ego me quovis homine feliciorẽ deputem.

At

Nequaquam pol hoc sperandum est mihi, cum ultra  
Nestoreos annos illa sit victura sacrilega.

Sed quemnam huc procul accedentem conspicior?

Estne

Estne hic Dorio, familiaris meus, ac fidissimus  
Compotor? is est ipse, commodè herculè.  
Hic illum præstolabor, dum propius accesserit.

## ACTVS I. SCENA II.

DORIO, PHORMIO.

*Ejusdem rationis versus.*

**M**irum ni mihi mater fuerit Ignavia,  
Paterque Læthargus, ita laborem corpus exti-  
mescit,

Meum, adeoque nihil ocio dulcius est mihi. Itaque  
Relicta, quæ me jam satis superque defatigauit,

Officina, atque uxore, quam habeo domi  
Quavis molestiorem Xanthippe, lebetes, ac cacabo

In humeros sublato, opportuno hoc tempore,

Quo omnia passim lætitia, commensationibus,

Convivijsque perstrepunt, hinc longius

Abire decretum est mihi: ubi mea me haud faciliè

Est inventura blitea: satis jam diu

Non secus ac claudus futor desedi domi. At

Eccum sodalem Phormionem non procul

Hinc stantem conspicio, ad iter quoque instructum,

Vti videtur. Nullum ego nunc obviam

Mihi dari malim, accedam, atque alloquar. Hem  
hiccinè

Astabas Phormio? oh ut te aspicio lubens!

*Pho.* Tuus quoque per Iovem conspectus, Dorio,

Mihi longè est gratissimus, atque ob id procul

Te huc accedentem conspiciatus. Substiti herculè

Lubenter, & adventum expectavi tuum.

*Dor.* Facis amicè, atque ut te decet. Sed quo nunc  
est iter,

Aut ubi quæstum tibi futurum existimas?

*Phor.* Ego hoc tempore, ne quid amice similem nullo

Labore me fatigare statui, à quo alias quoque

Non mediocriter abhorre soleo, sed quod

Dies hi postulant, curandam curiculam

Mihi esse duxi, genioque indulgendum affatim.

*Dor.*

Troch. 2.

*Dor.* Cur igitur hæc circumfers, aut quare ad opus tē  
paras?

*Phor.* Vis dicam Dorio? ut os uxori sublinam.

*Dor.* Ha, ha, hæ, ad eundem modum ego quoque, non  
raro fallo meam.

Sed quid, quod te rogem? *Pho.* Quid obsecro? *Dor.*  
non sitis?

*Phor.* Utinam sit qui istuc cupiat experiri,er,

Mihique cantharum offerat, malè peream

N si totus, quantum vis capacem, protinus uncio

Haustu ebibam. *Dor.* Mihi quoque ex compota-  
tiuncula

Quam in multam noctem producebamus heri,  
Fauces ariditate crepitant. *Pho.* Eamus ergo; quid

Stas, Sed ubi nunc cerevisiam arbitrare nos

Inventuros bonam? *Dor.* Non procul hinc. hem se-  
quere

*Troch.* Recta istuc jam te deducam via. *Phor.* Quo? *Dor.* ad  
Lesbiam.

*Phor.* Festivamne illam mulierculam; quæ in pro-  
ximo

Hoc habitat vico? *Dor.* Eam ipsam. *Phor.* Eamus  
ergo: nam

Nimis vereor, ne, si hic subsistamus diutius,

*Troch. 2.* Vxor obtorto collo me intro retrahat. At at, cre-  
pat

Ostium: in pedes nos conjiciamus quantum possu-  
mus.

### ACTVS I. SCENA III.

#### PERILLA.

*Eiusdem generis versus.*

**E**Ho, quid hoc monstri est? quo tam subito meus

Hinc se subduxit fuscifer? credo hic eum

Aliquem conspexisse eacodæmonem, adeo

Has horret ædes, adeoque invitus est domi.

Non tamen illum puto hinc tam cito abiisse longius:

Sed alicubi hic astare ociosum pro foribus,

Et cum vicinis de rebus frivolis, nihilque ad  
Fatinam conducentibus confabularier.

Aut percontari res novas, quod ædepol multo facit  
Lubentius, quam opere se exercet suo. At

Quid hoc? nusquam hic ego illum conspicio misera,

Perij! mirum ni se rursus aliquo abdiderit

In diverforium, aut prostibulum potius.

Eheu, nullam me mulierem infeliciorem existimo,

Quocunque me verto, luctus, atque miseriæ

Me urgent, premuntque undique: tum paupertas:

grave

Troch.

Profecto onus, & liberorum grex inops,

Nudus atque famelicus, eo me redigunt infelicem,

Vt quo me vertam, aut quid agam planè nesciam. At

Frustra hic ego lamentando consumo diem.

Quin potius missas facio querimonias,

Quibus proficio nihil, atque me ita comparo,

Non perperi diutius nebulonis contumelias.

Quem jam, ubi ubi est, per totum quæram oppidum,

inventumque ira

Exercebo atque ulciscar sacrilegum, ut hujus

Diei, mei que quoad vivet, memor fiet.

Et primum visam apud Dorionem vicinum, ubi

Eum nunc esse cogito, nam cum illo potitat

Libenter. *dignum pol* patella operculum:

Adeo ille huic nostro est similis per omnia.

Ignavus, iners, tardus, stipes, potator strenuus.

Vnum si noris, alterum cognoveris:

In eodem mihi videntur ludo edocti ad nequitiam.

Sed eccam Bromiam ejus uxorem. hanc adorat.

## ACTVS I. SCENA IV.

### BROMIA, PERILLA.

*Ejusdem rationis versus.*

**V**bi ille scelus est? Vah, nusquam est, heu me mi-  
seram! occidi,

Rursus tam manè? ut illum dii deæque perdant, qui

Tot mihi curas, tot sollicitudines parit.

¶

Per



*Per.* Irata est, neque quæ loquitur intelligo satis.  
Accedam propius, atque compellabo. Hem Bromia,  
Quid est, quod hic stomachare ante ostium? aut quid  
accidit

Tibi? satin' salvæ res? *Bro.* Hem Perilla, tun'  
Hic astabas? ignosce, non prævideram.

*Te. Per.* Credo, sed quid tristis es, aut quem incusast  
age,

Dic sodes Bromia. *Brom.* Quem incusem rogas? quem  
nisi meum?

*Per.* Maritum? *Bro.* Eum ipsum, qui nunc si detur, faxo  
meas

Experiatur manus, ostenderem quid sit, dolis,  
Ac sycophantijs uxorem fallere.

*Per.* Tu pol mecum in eodem luto hæres Bromia.  
Sed quid tuus ille designavit? aut ubi nunc est ob-  
secro?

*Brom.* Credo hinc illum abiisse in malam crucem, &  
utinam

Revertatur nunquam. *Per.* Ego quoque idem sæpe  
imprecata sum.

*Meo.* Sed cedo quod te rogo.

*Bro.* Dicam. Cum heri totum potando exegisset  
diem.

Tandem multa nocte reversus domum, Deum  
Immortalem, quam ille temulentus excitat  
Ibi nobis tragediam! quas turbas, & tumultus  
Ciet! nunc quoque cum ego illum operi intentum  
puto.

Nescio quo se clam subduxit modò. *Per.* Facile,  
Ita me Deus amet id esse divinabam, eisdem enim  
Ludos hodie meus fecit furcifer:

Et propterea huc illum quæsitum egressa sum foras.

*Bro.* Quid ais? ô nos infelices, quæ talibus

Maritis nupsumus, quid restat obsecro,

Nisi ut perpetuò simus miseræ? nam meus quidem

Frugi futurus est nunquam. *Per.* Neque de meo

Quicquam spei est reliquum mihi.

Adco

# PSEVDOSTRATIOTÆ. 81

Adeo in naturam jam pridem illi versa est malitia.  
Tamen inultum, quod mihi fecit hodie, nunquam auferet.

Nam pergam eam potro in omnibus quærere diversis.

Pugnos, si vivo, non evitabit meos,  
Ad manes imos etiam si confugerit. Mori  
Me malim, quam non tantam ganeonis illius  
Vlciscar impudentiam. Atque idem Bromia tibi quoque

Faciendum censeo, facilitate enim nihil  
Effectum est hactenus, atque adeo tales eos  
Nobis nostra reddimus indulgentia. Dictum est verus  
*Phryx non nisi verberibus emendari solet.*

*Bro.* Agedum placet. *Malo nodo* malus nobis  
Quarendus est cuneus. *Per.* Recte, laudo. *Brom.* Sequar

Quocunque præcesseris. *Per.* Vngues mihi pol præriunt.

Væ illis, si quidem in nostras hodie inciderint manus.

## ACTVS II. SCENA I.

PHORMIO, DORIO, LESBIA, SYRA.

*Eiusdem generis*

**H**Em Dorio, quo pacto se tuæ habent fauces, & quo modo

Valer stomachus? *Dor.* Eho, rogas Phormio? guttur siccatate

Iamdudum exaruit mihi, & lupo esurientior

Sum. *Phor.* Mihi quoque firim non parvam hæc concivicambulatio:

*Dor.* Væ cantharo illi, qui ori primus occurrerit meo,

Nam pumice aridior, & quavis sponsia

Siticulosus sum magis. Sed eccam Lesbiam

Foras conspicio prodeuntem. Iupiter

Supreme, quam elegans, & quam venusta est forma gratia!

Venerem superat ipsam. *Les.* Demirrör nullum ex civibus

Huc etiamnum devetuisse adjentaculum,  
Præsertim hoc Baccchanaliorum tempore,  
Quo adventuros sperabam plurimos: præter  
Opinionem istud mecastor accidit mihi.  
Sed credo ut sit, frugalitatem, ac temperantiam  
Multos docet penuria: & hoc bellum, quo plurimos  
annos

Hæ nostræ regiones miseris jam divexatæ sunt modis,

Multorum loculos exhaustit penitus: hinc noster  
quæstus est

Frigidior. Nihilominus tamen credo adfuturos, à  
quibus

Lucellum aliquod nunc expectandum sit mihi.

Sed eccos quos volebam: pol Salus me servatam cupit:

Non alios magis ego nunc optarim mihi,  
Nam belli sunt homunculi, faceti, atque lepidi.

*Phor.* Accedamus, eamque appellemus comiter,

*Troch.* Quem hic ante ædes præstolare Lesbía,  
Suavium, atque delictum meum; Oh, ut te amplector  
lubens.

*Les.* Vos operiebar advenientes *Dor.* Facis amicè & ut

*Troch.* Te decet. *Les.* Adventus vester multo omnium  
Mihi est gratissimus. *Dor.* Vis ut id ex animo existimem

A te dici Lesbía; age, da mihi osculum mea

Festivitas. *Les.* Nihil deprecto, tale enim

Quid vobis negare, aut eo etiam amplius, religio

Mihi esset maxima. Sed intrate sodes, atque sarcinas  
Deponite, ut hilarem, lætumque hunc sumamus  
diem.

*Phor.* Placet, sed cantharum prome, & mensam insternijube.

*Les.* Nihil in me erit moræ. Hem Syra, ocysus exi  
Syra.

*Syr.*

*Syr.* Adsum, quid me facere jubes hera. *Lesby.* in sterne  
 Mensam, *Dor.* Primo omnium amabò cerevisiam  
 Promi jube, nam ingens fauces meas urget  
 Ariditas. *Les.* Næ tu antiquum Dorio obrines.

Age Syra, prome cantharum. *Dor.* O dulcissimam  
 Cantunculam. *Les.* Tales mihi hospites Troch.

Gratissimi esse solent, nam edaces illos pamphagos  
 Nihil moror. *Syr.* Sic fausta vobis hæc cerevisia. Troch.

*Dor.* Habeo gratiam Syra;  
 Tibi vicissim bene faxim lubens, præbibo tibi  
 Dimidium Phormio. *Phorm.* Perge, quid cunctare Troch.  
 cessator?

Nam si herculè jamdudum enecor, ut Dij  
 Deæque te omnes perdant totum exhauris impu-  
 dens.

*Dor.* Quæso ne ægrè feras, nam imprudens ebibi.  
 Mirum ni mihi favillæ, aut prunæ inhæreant in gut-  
 ture.

Nam vix etiam nunc me bibisse sentio. Troch.

*Les.* Mitte isthæc Syra, & sine mora alium prome  
 Cantharum, atque audin', fac diligenter annotes,

*Syr.* In hoc profectò obliuiosa neutiquam  
 Esse soleo. *Phor.* Vah, quid moraris pessima?

Non verba tua, sed cerevisia meam mihi  
 Restinguet sitim. *Les.* Quierus esto, jam jam Troch.

Aderit: atque eccam. *Syr.* Hem accipe.

*Dor.* Vt haurit helluo. Bithum cum Bacchio

Commissum dixeris. *Les.* Agite, apparata jam sunt  
 omnia,

Vbi voletis accumbite. *Phor.* Accumbamus Dorio.

Hic ego mihi locum deligo. Eho Lesbia,

Tu dextrum mihi claude latus. Tum ut Syra nobis-  
 cum quoque

Accumbat jube. *Les.* Syra cape sedem. & Dorioni Troch.

Te adjungiro. *Syr.* Nihil est quod æquè fecero

Lubens. *Les.* Ehodum Phormio, hunc

Tibi præbibo cantharum. *Pho.* Vt saluti sit precor

Mea Lesbia, mea voluptas unica. *Dor.* Hem Syra,

Videte mihi subtristior,

Nam quid te torquet, aut sollicitat? cedo. *Syr.* Nihil  
Omnino anime mi. *Do.* Frontem igitur exporrigere,  
Ac te præbe hilarem. *Syr.* Id pol hoc tempus atque  
locus hic postulat.

ACTVS II. SCENA II.

PERILLA, BROMIA.

*Ejusdem rationis.*

**O**pportundè ædè pol isthæc vicina Glycerium  
Nobis veniebat obviam, nostros maritos quæ  
Ex urbe egressos se vidisse dicebat modò.

*Bro.* Per commodè, ac feliciter sanè: ista epim  
Nisi hoc nobis indicium fecisset, per oppidum  
Totum hunc frustra illos quæsissemus diem,  
At nunc eo recta contendimus via.

*Per.* Novi ego prostibulum isthuc, ad quod frequen-  
ter commeant.

*Bro.* Vbi illud est? *Per.* Non ita procul ab urbe. *Bro.*  
Quod est nomen hospitæ?

*Per.* Lesbix. *Bro.* Vah, Lesbix? impurissima  
Illa est meretrix. *Per.* Tenes. Tum ancillam habes  
Syram,

Nostin? *Bro.* Quid ni? non arbitror in toto oppido  
Scortum usquam esse impudentius: adeo similes ha-  
bent labra

Lactucas. Sed quid quod te rogem? *Per.* Quid? *Bro.*  
hiccine

Nos illos inventuras autumas? *Per.* Non est dubium  
id quidem,

Nam illic frequenter potitant. Hem Bromia,  
Para unguës, non procul enim nunc ab ædibus absu-  
mus.

*Bro.* Non unguës modò, sed dentes etiam exacui,  
Nunquam me castor quisquam hic me exorabit quin  
meum

Istum hodie, uti meretur, ulciscar mastigiam.

*Per.* Mecum quoque vah, quibus exercebo modis!

*Ne*

Næ ille sibi cum viragine rem esse dixerit.

Sed placidè accedamus, ne præsentiant.

Ego præbibo, tu subsequere Bromia. *Bro.* Hem sequor.

ACTVS II. SCENA III.

PHORMIO, DORIO, LESBIA.

*Ejusdem generis.*

**O** He Dorio, jam abunde satis factum est stomacho,

Nunc hauriamus, ac potemus strenuè,

Hem quid tibi vis Syra? cantharus vacuus est, quid  
si hoc rerum statu

Incendiū cōtingat, quo pacto restingueremus? *Les.* O

Periculosum facinus! Hem, vola. *Ph.* Mea Lesbia,

Quanto mihi nunc formosior videre, quàm

Dudum! *Les.* Certè quidem tu multo es hilarior,

*Pho.* Da sodes osculum, meum suaviū.

*Dor.* Benè herculè fecimus, quod longiusculè ab opido

Sumus digressi: nam hic, ut opinor non facile nos

Invenient uxores. *Pho.* Quid si invenerint:

Ego nihil moror fæminam. *Les.* Eia sic decet

Viros vos esse judico. *Do.* Hem præbibo tibi Phormio.

*Troch.*

ACTVS II. SCENA IV.

PERILLA, BROMIA, DORIO, PHORMIO.

*Ejusdem rationis versus.*

**O** Cælum, ò terra, ò facinus indignissimum!

*Bro.* Quid vociferare Perilla? *Per.* O Iupiter! hæccine

Vides, & pateris? *Bro.* Hem, quid est? *Per.* Ambo probè

Poti, inter meretrices duas hic accumbunt,

Pudet me commemorare quæ vidi, per ostij

Rimas prospiciens clanculum: irruamus Bromia.

*Bro.* Agedum, præcede sequor. Ego meo, tu tuo

In faciem unguibus invola venifico.

**Troch.** *Per.* Hiccine sedes sacrilege? *Bro.* Hiccine quærendus eras nequissime?  
*Dor.* Me miserum! succurrite populares. *Pho.* Hei mihi!

*Perimor* infelix, subvenite inopi. *Bro.* Etiam Subsidium imploras furcifer? *Dor.* Ignosce obsecro, Si alias unquam pedem foras extulero, occidito.  
*Bro.* Id nunc faciam. *Pho.* Eheu, parce quæso mea *Perilla*. *Per.* Vah!

**Troch.** Tibi ego parcam omnium? *Do.* O me infelicissimum!  
*Pho.* Ah, siccine me uxor strangulas? *Per.* Hem *Bromia*,

*Crumenas* illis eripiamus: deinde abeant, vel in malâ Crucem impurissimi. *Bro.* Hoc ago, nunc quod dignus es,

*Abi* scelerate, *Per.* Sic exercendi sunt, qui rem decoquunt.

*Brom.* Qui meretrices impuras plus amant, quam conjuges.

*Per.* Quod si omnes uxores suos maritos, rem malè Gerentes, ad eam tractarent modum, non tam Multi passim invenirentur decoctores, & adulteri, Nunc ad quævis facinora illos impunitas Ille ctat. Sed satis jam hic remorata sumus diu, Ad urbem redeamus Propediem supplicantes Aderunt famelici Sed nihil agent, me mortuam Malim, quam cum tali marito vivere.

*Bro.* De isthoc quod sit futurum, consilium unà capiemus domi.

## ACTVS II. SCENA V.

PHORMIO, DORIO, LESBIA,

*Eiusdem generis.*

**Troch.** Quid nunc agendum nobis censes *Dorio*? Audebimusne foras egredi? *Dor.* Circumspice Etiam sedes, anne alicubi hic hæreant  
*Phormio.* *Pho.* Perij, ut etiam nunc timeo miser.  
*Dor.* Circumspicito inquam, ne rursus ex insidijs

Non

Nos adoriantur harpyæ obscœnissimæ.

Me miserum! differor doloribus, membra

Laxata sunt omnia, genuaq; labant mihi,

*Rha.* Mea quoq; caput totum mihi tuber reddidit

Venefica. *Les.* O viros fortes, ac strenuos!

*Eho,* quo pacto vobis hoc sapit ientaculum?

*Pho.* Etiam rides pessima. *Les.* Profectò defessa sum Troch. 2.

Vos ridendo. *Dor.* Pergis ineptas? *Les.* Eia pugnatum est fortiter,

Quid restat, nisi ut triumphum agatis? *Dor.* Mitte so-

Jocari Lesbia, satis nos cruciat infortunium

Nostrum, etiam si tu istud tuis disteris,

Atq; jocis non conduplices. *Les.* Pro Jupiter!

Quam velim me non vidisse tantum dedecus.

Viros vos cædi ab uxoribus ut pueros? o inauditam

Infamiam, atq; turpitudinem! at satis

Jam verborum est, jam me cum talibus viris

Loqui puder. Agite, numerate pro ientaculo.

*Pho.* *Eho,* quid numerabimus miseri, quibus

Adempta sunt marsupia? *Les.* Quid isthuc mea?

Numerate inquam. *Dor.* Id quidem nihil habentibus

Difficillimum. *Les.* Isthæc verba sunt, quibus

Nihil moveor. Scio quid agam; Hem Syra, cacabum

Hunc, atq; lebetem intro aufer. *Pho.* Hem, siccine a-

gis Lesbia?

*Les.* Quid nî? ubi persolveritis quod debetis, reddentur protinus.

Valere. *Ph.* Quid nunc agimus Dorio. *Do.* Nescio hercule.

Nam cum crumenam adimebat uxor, consiliū etiam

Omne eripiebat mihi. *Pho.* Tamen inveniendum est remedium huic malo:

Et damnum hoc ratione aliqua sarcindum existimo.

*Dor.* Nihil malim, si quidem quid tale posset inveniri:

Sed ne frustra quæras nimis metuo miser.

*Pho.* Ad uxores redeamus, culpamq; faciamur suppli-

ces.

B 5

De



*Do.* Rides? egon' isti supplicabo sacrilegæ?  
*Nunquam faciam. Pho.* *Durum velum necessitas.*

*Do.* Suadere noli, nam inedia mori malim,  
 Quam dominam tam difficilem, & tam imperiosam  
 perperi.

*Ph.* Age ausculta, inveni aliud, quod magis probes.

*Dor.* Quid? *Pho.* Dicam, nosti opinor quam multi, hoc  
 præsertim tempore,

*Troch.*

Passim per pagos, vicosq; vagentur milites,  
 Nihil non impune perpetrantes. *Dor.* Illorum hercule  
 Jam ingens ubiq; est copia. Ac quorsum isthæc. *Phor.*  
 Milites

*Troch.*

Quoq; nos esse assimulabimus,  
 Atq; hoc prætextu spoliabimus  
 Rusticos. *Dor.* Dicis probè, si pro sepulchro  
 Crucem statui velimus. *Phor.* Vah, nihil  
 Periculi est. Quasi non multo graviora ubiq;  
 Tolerentur scelera & flagitia. *inter arma*  
*Silent leges.* *Dor.* Pol vera prædicas, sed unde nobis  
 Arma? quibus & ab aliis dignoscuntur, & agricolis  
 Terrori esse solent milites. *Phor.* Si mutuo non possu-  
 mus,

Sumemus alicunde fænore. *Dor.* Hem placet  
 Consilium, itaq; & hic, & alibi tibi lubens  
 Obtemperavo. *Phor.* Benignè dicis, sequere me.

### ACTVS III. SCENA I.

#### N Y S A.

*Eiusdem rationis.*

**M**iseram me, quam dura, aspera; vitæ conditio  
 Nobis obrigit agricolis, quibus à sceleratissimis  
 Nihil usquam tutū est militibus, qui sibi licere in nos  
 Quicquid lubet putant. Æquum sit, an iniquum  
 quod imperant,

Nihil morantur, aut vident, nihilq; pensi habent.

Tum nisi protinus ad nutum illis inservias

Sacrilegis, si quid eorum, quæ impudenter exigunt

His deprecaveris, cadunt, spoliant, milleq; nos

*Assi-*

Affigunt, & cruciant modis. Næ illi admodum  
Fortunati, atq; felices sunt, qui hoc rerum statu  
In urbibus & intra muros vitam exigunt:

Qui portis, atq; mœnibus à se arcent hoc impium  
Excrabileq; hominum genus, cum ruri apud  
Nos illis pateant omnia, ubi plerumq; janua,  
Fœnestræq; ruinosis desunt ruguriis.

Nunc quoniam quæ portaveram  
Ad mercatum, ova, gallinas, atq; caseos satis  
Vendidi feliciter, pecuniaque  
Loculos oppletos gero, recta domum propero,  
A qua cum absum diutius, neq; maritus, neque  
Libari satis officium faciunt suum.

Troch. a.

At, at, nescio quos procul adventantes conspicio:  
Milites sunt, nisi oculi mei prospiciunt parum.  
Ab eo, atq; in pedes hinc me quantum queo.

Troch.

ACTVS III. SCENA II.

DORIO, PHORMIO.

*Eiusdem generis.*

**E**Ho Phormio, quo pacto nunc tibi instructus  
Esse videor hasta, atq; gladio? *Phor.* Probè admo-  
dum:

Nam nîs qui sis nossem, veteranum quendam militem  
Te esse dicerem. Sed circumspice lodes, satî  
Mihî hic thorax, galeaq; conveniunt. *Dor.* Pol forme  
gratis

Evenit, ut quidquid indueris, te deceat maximè  
*Phor.* Derides? *Dor.* Nequaquam, quod res est dico.  
Sed

Meus hic ens totus rubet ferrugine:  
Intra annum nec mundatum, nec detersum esse di-  
xeris.

*Phor.* Nihil refert, cruore eum rubere credent rustici.  
*Dor.* Hæ, hæ, hæ, scitè herculè. *Phor.* Sed cætera quoque  
an me deceant, video

Obsecro. *Dor.* A capite usq; ad talos miles mihi  
Videre strenuus. *Phor.* Vitam

Troch.

Ita

Ita armati hesternò fuiffemus die,  
 Cum in diverforio nos adorirentur coniuges:  
 Nunquam vivæ è manibus noſtris evaſiffent veneficæ.  
*Dor. Phy:* tam periiffent, *quam extrema faba*, quod dici ſolet.

Sed ubi prædam paratam nunc nobis fore  
 Puras Phormio? nam jamdudum ſtomachus latrat  
 mihi

*Phor.* In proximo hoc viço, ibi cadaver erit, quod involabimus

Vultures. *Dor.* Itane arbitrare? *Phor.* Certè. *Dor.* Sed vide

Etiam, ne te iſthæc fallat ſpes, neve quis ibi ſit, cui  
 Fucus ſuboleat, noſq; agnoſcat, atq; ita fabula  
 Fiamus vulgi, ac riſui ſimus omnibus.

*Pho.* Non fiet, tu modo fac ſis animo bono,  
 Ut fortem militem decet.

At ſatis hic iam cunctati ſumus. Eamus, ac bonis  
 Avibus Martis experiamur aleam. *Dor.* Placet.

### ACTVS III, SCENA III.

CHREMES, NISA.

*Eiusdem rationis.*

**N**Æ ego agricolarum qui vivunt, ſum infeli-  
 ciſſimus,

Qui nulla unquam conceditur quies, nullum ocium,  
 Tam imperioſam habeo uxorem, tamq; difficilem  
 Ac moroſam, quæcum ipſa dies totos domi  
 Deſideat ocioſa, aut cum vicinis garriat,  
 Non magis parcit marito, quam ſi aſinum illum ju-  
 dicet,

Troch.

Mercede conductum: adeo neq; quid imponat, neq;  
 Quid imperet mihi, unquam cogitat, neque  
 Me respicit, neq; ætatem meam. At lupum eccum in  
 fabula.

Troch.

Hui tam citò è mercatu? Væ mihi, perii miſer:  
 Vapulabo largiter, nam nondum, quæ modo  
 Imperabat exiens, curata ſunt

Omaia.

*Omnia. Hæc mihi restant eluenda multatralia, idagam.*

*Nis. Hei miseræ mihi, genua labant, vox deficit,  
Tum æger fatiscit spiritus. Deum immortalem! quæ  
fere*

*Ego in istorum prædonum incideram manus.  
Pedibus pol habeo magnam gratiam, qui me ex  
Tanto surripuerunt periculo, Sed ab ædibus  
Nostris me non procul jam abesse gaudeo.  
Atq; ut hic quoq; satis tuta sim vereor misera.*

Troch.

*Chr. Atar, quid ego illam turbatam, & metu exanimatam conspicio?*

*Compellabo. Hem uxor, quid sibi vult hic timor?  
Aut quid expalluisti? quidve respicis  
Identidem? satin' salvæ res: quid taces?*

*Nis. Actum est. Chr. Quid ita? cedo sodes. Nis. Nostra  
æde pol*

*In dubio viræ est. Chr. Quin dic quid sit. Nis. Paululû  
Sine ad me ut redeam, Chr. Me miserum! quam timeo  
quem*

*Tu nuncium nunc allatura sis mihi.*

*At omiſſis ambagibus rem paucis expedi*

*Amabo, Sed quid hoc? video huc procul adventare  
nescio*

*Quos hastis, gladiisq; armatos. O Jupiter,  
Serva nos obsecro. Nis. Hem, viden'?*

*Illime prædones per totum iter insequuti sunt*

*Hactenus: & nunc nihil magis metuo misera,*

*Quam ne huc divertant, nosq; suo tricient, atq; affligant modo.*

*Quare ocys intro nos recipiamus Chreme,*

*Atque occludamus ostium. Chr. Ne feceris Nisa,*

*Namque hoc pacto multo illos irritaveris magis: et  
fores*

*Perfringent, aut irrumpent per fenestras*

*Potius, quam se finent excludier. Nis. Quid ergo*

*Faciendum existimas, aut quid das consilij Chreme?*

*Chr. Operiamur hic eos ante ostium,*

Troch.

Et co:

Et comiter appellemus, fortasse uti  
Prætereant, impetrabimus cum gratia.

Nis. Utinam id fac. Sed animus mihi nescio quid præ-  
sagit mali.

Chr. Bene ominare, res succedet opinione melius:  
Nam spero adiuturum Deum, rû modo fac sis animo  
bono.

### ACTVS III. SCENA IV.

PHORMIO, DORIO, NISA, CHREMES.

*Eiusdem generis versus.*

Troch.

Nunc vultus nobis est sumendus Martius;  
Et non nisi castrensia proferenda verba.

Do. Sesquipedalia pullosq; Bellonæ decentia, ut

Troch. 2.

Viros graves, ac fortes milites decet.

Ph. Recte, nam *severitas* auctoritatem, facilitas

Contemptum parit. Dor. Verum mihi herclè videri  
dicere:

Hoc enim pacto fiet, ut & nostra iussa rustici  
Statim capebant, & nobis ad nutum præbeant  
Omnia: tum ut quidvis impune faciamus. Nam  
quis eâ

Audacia est, licet indignis sit exceptus modis, ut de  
Injuria sibi illata à milite queri audeat?

Aut si id faciat, quid obsecro nisi malum conduplicat  
suum?

Sed jam satis hic remorati sumus, domum

Hanc adoniamur proximam: quicumque hic habitat  
rusticus,

In primis à nobis comedetur, atq; exhaustetur  
Planissimè. Sed ecce tum pro foribus stantem con-  
spicor.

Nis. Ehem Chreme, recta huc ad nos affectant viam  
O nos infelicissimos!

Nimirum consilium illud rectum est de occultandis  
ædibus.

Chr. Mitte id, nihil in quâ juverit, imo oberit magis.  
Non sunt irritandi crabrones, quoscum volueris.

Placa:

Placate nequeas. Prior ego illos compellabo. *Salvator*  
*Viri boni. Pho.* Proba salutarior, ex animo  
 Si proveniat bono. *Chr.* Ita me magnus seruet Jupiter  
 Ut hoc ex animo à me est dictum. *Do.* Apage rustice  
*Vulpem annosam* non facile laqueo ceperis.

Scimus, quam nos invisi vobis simus milites.

*Chr.* Ego certe odi nullum, nisi

Eos, qui nostra nobis adimunt. *Pho.* Hem, quid ais  
 scelus?

An hoc videtur iniquum? & militem tibi

Incusandum putas, si coactus inopia,

Opulentum spoliatur rusticum?

*Dor.* Ha, ha, he, id nobis quotidianum est. Sed satis

Hic nos detinuit diu, mensam protinus

Insterne, prandiumq; nobis appara,

*Ch.* Paramus sedulo, vos modo desinite stomacharices

*Nis.* Quicquid in ædibus est nobis, apponemus libe-  
 raliter.

*Pho.* Hoc etiam atq; etiam cogitate, militem vobis

Esse excipiendum regium: quapropter ne vulgaris, aut

Quotidianus apparatus sit cavete sedulo.

Eho, quid tu nobis panem atrum adfers blitea?

Album apponito, eumq; recentem, nisi cerebrum

Tibi velis hic dispergi.

Tum petasone, lardum, aut fumo induratas carnes  
 nolumus:

Servate isthæc vobis, nam talibus noster

Non assuevit stomachus. *Nis.* Atqui nihil præter

Illa est nobis usquam in penario. *Do.* Apage in

Malam crucem garrula, viam etiam ex oppido ad-  
 ferri

Nobis volumus in vesperum,

*Chr.* Hui. *Ph.* Præterea armum ovillum, caput aut le-  
 pore, potius, hæc

Nisi mature parata, atq; probe assa fuerint

Omnia, vix vestris capitibus, atq; scapulis.

Hac conditione contenti nunc hisce erimus vulga-  
 ribus.

*Nis.*

*Nis.* Eheu, ad restim jam nobis res rediit planissime.

*Pho.* Quid mustitas pessima? quod præceptum est, tibi  
Fac exequare protinus, etiamne respicis?

*Dor.* Hem furcifer, ubi sunt oculi? videsne cantharos

Esse vacuos? *Chr.* O me miserum! *Pho.* Quid stas stipes? vola.

Probe, ut arbitror, se habent principia. *Dor.* Rusticum  
Hic nacti sumus satis opulentum, ac divitem.

*Pho.* Sciebam ego isthuc, & propterea te potissimum  
Huc deducebam. *Dor.* Fecisti probe, sed eorum

Accedentem. *Chr.* Sit faustus, ac

Felix vobis hic potus. *Dor.* Aconitum esse optes, ut arbitror,

Quo his exonereris sumptibus.

*Chr.* Deum immortalem, quis me est infelicior?

*Troch.*

Has tantas impensas quis ferat vel satrapes?

Dii perdant hoc imperiosum, superbum, atq; intolerabile

*Troch. 2*

Militum genus! qui, cum domi sunt, vir habent

Quo ventrem exaturent famelicum, apudem vorant,  
Vappam bibunt, cum nuditate horrent, ringunt atq;  
inedia.

*Troch.*

Mox vili stipendio ad lanienam conduci, haud secus

Ac heroes se coli, & honorari volunt: atq; ob id eos

*Troch.*

Odi pessime. At metuo ne hic me audiant

Querentem, abibo, quando præsens proficio parum.

### ACTVS III. SCENA V.

PHORMIO, DORIO,

*Ejusdem rationis versus.*

*Troch. 3.*

**O** HE, nunc assatim expleti sumus, satgamus, &  
Ambulando in vespere exacuamus stomachum,  
Tum visamus quot vacas hic rusticus habeat in stabulo.

*Do.* Quin ædes perscrutemur omnes, omnes arculas,  
Scriniq; omnia deniq; involemus, atque  
Auferamus etiam quæ usui nobis futura sunt.

*Ph.* Quo jure? *Do.* Bellico, *Pho.* Placet militibus enim  
Quod-

Quodcunq; lubet, licet, neq; pol injuria:

Nam in rempublicam merita illorum sunt maxima,

Propulsant hostem, pugnant pro patria,

Pro aris, ac focis, pro libertate publica.

Hi si quid cuiquam ademerint, si quem spoliaverint,

Si quid perfrigerint, inculandi, aut culpandi erunt?

*Dor.* Nequaquam, nam cum ex illis maxima percipi-  
antur commoda,

Ad hæc levia connivendum est incommoda.

*Phor.* Rectè dicis, sed pergamus, quo perlustremus  
singula.

ACTVS IV. SCENA I.

CHREMES, NISA.

*Trochaici, partim catalectici, partim acatalectici.*

**P**RO Deum fidem! minimè miror si homines  
Insanire incipiant ex injuria.

*Nis.* O mores, o flagitia, o inauditam impiorum  
Audaciam! mori malim, quam in tantis calamitati-  
bus

Vivere, & tam acerba perpeti. *Chr.* Non perpetiar  
Amplius: arque adeo animam relinquam potius,  
quam non hos, uti

Merentur, ulciscar mæstigias; magnum est quod mo- *Jamb. 3.*  
lior

Et spero adjuturum Deum.

*Nis.* Quid Chreme? *Chr.* Vi ego illos pellendos atque  
ex ædibus

Exturbandos censeo: quandoquidem blandiendo,  
Et benefaciendo, omniaq; tolerando nihil *Jamb. 4.*

Hactenus profecimus. Hac non successit, rem alia  
Nunc experiar via. *Nis.* Laudo. Sed ne supra vires  
tuas

Sit quod coarctaris, fac videas, Chreme. *Chrem.* Nihil  
môrôr.

*Non sic sine periculo facinus magnum, ac memorabile  
Audendum est, nemo ignavia victoriam*

*Est consequutus unquam. Prima coitio est acerrima,*  
hanc

*Pars III.*

G

Si



Si sustinueris, post illas ut lubet ludas licebit.  
 Itaq; hoc quicquid periculi, magnarum erit  
 Remedium ægritudinum Nam posthac incolumes  
 Sat scio fore nos, si semel infracto animo iniuriam  
 A nobis propullaverimus. *Nis. Ne hercules*

*Iamb. 2.* Quidem contra duos. *Chr.* Vah, quasi tibi desint manus.

*Nis.* Euge, rem feliciter successuram auguror. Ac  
*Iamb. 7.* Eccum foras utrumq; prodeuntem. Tu  
 Accede ad illos, ac primum quidem experire  
 Si quid cum gratia impetrare queas, nam quod cavere  
 Potes, stultum est admittere. Quod si comiter  
 Blandeq; loquendo nihil effeceris, nosque  
 Affigere, cruciare, atq; verberare porro  
 Pergant, memento te virum esse. Ego intro eo, ut  
 Quæ ad pugnam opus erunt, parem reversura è vestigio.

# ACTVS IV. SCENA II.

DORIO, PHORMIO, CHREMES, NISA.

*Eiusdem generis.*

Quid isthuc? itane ad clarum dormivimus diem?  
 Multa nox meis adhuc est oculis. *Phor.* Hic vernerus

Hercule est pellendus ab animo. Sed nausea  
 Quæ tanta stomacho? Quidnam hæc sibi vult osci-  
 ratio?

*Iamb. 4.* Extendere nunc demum nervos juvat, juvat  
 Ab oculis propellere somnum. *Dor.* Quid an ructas  
 Hesternam crapulam. *Phor.* Id quidem facio insolens  
 nam vel

Ad cruda concoquenda stomachus mihi valet satis  
*Dor.* Sic indulgere juvat genio. *Phor.* Sic curanda est  
 cuticula

*Chr.* Mortuum ego me malim, quam hoc vobis de  
 meo

Contingat sæpius. *Pho.* Io Liber pater!

*Dor.*

*Dor.* Io Ceres! quis nobis fortunatio?

*Chr.* Dij vestris sceleribus dignum vobis reddant præmium.

*Nis.* Chreme, in promptu sunt quæ parari iusseras. *Iamb.*

*Chr.* Bene fecisti. *Pho.* At ecce furciferum cum conjugē.

Quid tu nos sequeris, aut observas pessime?

*Chr.* Blanda atq; hercule amica salutatio. *Phor.* Quid mustitas scelus?

*Chr.* Vos hic demitrabat tam mane, qui heri

Tantum biberatis. *Dor.* An tibi id nimium videbatur Scæz.

Sacrilege? An nos vento aereq; victitare

Creditas? *Nis.* O homines luxu perditos!

*Iamb.*

*Phor.* Eho venefica, ego tibi, nisi taces,

Istam linguam præcidam impurissimam.

*Iamb.*

Abi ad macellum, emptura quæ appares in prandium

*Chr.* Hui, etiam prandere hic statuistis? Itineri ego

vos

Accinctos putabam. *Dor.* Ha, ha, he, tota erras via,

Neq; hodie, neq; cras, neq; perendino hinc discedi- *Iamb.*  
mus

*Die.* Quare absque mora ad urbem te confer: ibique

Quæ parato opuserunt, atq; vide ne quid desit, nisi

Vapulare mavis sceleratissima. *Chr.* Ex

Cœna hesternæ non pauca supersunt: ea

Vobis toto hoc sufficient die. *Pho.* Servate vobis

Liberisq; frustra illa, atq; reliquias:

Nos recentia, integraq; volumus. *Chr.* Recentia?

*Dor.* Recentia inquam, atq; integra: quoties idem

Dicendum erit trifurcifer. *Chr.* Pecuniam

Igitur numerate, quæ emanant recentia.

*Pho.* Pecuniam? hem tibi mastigia *Do.* Accipe

Sacrilega. *Chr.* Etiam verberare auderis pessimi?

Hem uxor, ad arma, ad arma, insonuit buccina.

*Nis.* In me nihil erit moræ. *Phor.* Etiam referite patriæ

- Iamb. 4.** Audacissimi? huc, si quid lubet. Non hercule  
 Vivi è manibus nostris evadetis hodie. *Chr.* Siccine  
 Ais canis? *Phor.* Eho populares, succurrite,  
 Atque auxilium ferte miseris. *Nis.* Hem Chreme, vi-  
 rum  
 Te præbe. *Do.* Væ mihi. *Ph.* Interimor infelicissimus  
*Chr.* Sic, sic vobis apparamus integra.  
*Nis.* Sic mercamur recentia. *Chr.* Eho Nisa, vide  
 Ne istud elabi sinas scelus, ego huic spiritum  
 Intercludam. *Nis.* Vapula impurissime.  
*Do.* Perii miser. *Phor.* Interii. *Nis.* Quo pacto hæc vobis  
 placent  
 Cupedia? *Chr.* Quomodo hoc villi sapit? *Do.* Hei  
 mihi,  
 Eriam illuditis? *Chr.* Hem Nisa, arma illis eripiamus  
 Atq; ex ædibus exturbemus sceleratissimos  
*Nis.* Non pol vivi extrudentur hodie, sed efferentur  
 Mortui. *Do.* Misereat vos nostri, obsecro.  
**Iamb. 2.** *Chr.* Apagite, apagite. *Nis.* Indigni qui vivant tamen.  
*Chr.* O forres, atq; strenuos  
 Milites! *Nis.* O insuperabilem ferociam!  
*Chr.* Eia pugnastis fortiter, Egregiam pol laudem, &  
 spolia  
 Ad commilitiones referetis pulcherrima.  
**Iamb.** *Pho.* Fugiamus, fugiamus dum evadendi datur  
 Copia-----

## ACTVS IV. SCENA III.

CHREMES, NISA.

*Iambici.*

----- Jamne abierunt Nisa? *Nis.* An abierint rogas?  
 Imo simulac elabendi facultas  
 Dabatur, non secus se conjiciebant in pedes  
 Homines timidissimi, quam lepores aut damæ aufu-  
 gere solent  
 Conspectis canibus venatoriis. *Chr.* Non Hercule  
 Revert-

Reversuros illos credo propediem. *Nis.* Sic, sic  
 Exercendum est sceleratum hoc militum genus.  
 Quod si omnes à se iniuriam, & violentiam  
 Ad hunc propulsarent modum, non quoslibet  
 Tanta audacia, tamq; intrepidè passim læcesserent, *Troch.*  
 Despoliarent atq; cruciarent improbi. *Chr.* Est  
 Istud quidem ut ais *Nisa.* Verum nunc quia  
 Hoc prælium nobis ex animi successit sententia,  
 Eamus, atq; triumphum agamus intus. *Nis.* Ita certè  
 decet.

## ACTVS V. SCENA I.

DORIÓ, PHORMIO.

*Trochaici.*

**Q**uid nunc consilii capiemus Phormio?  
 Aut quo pacto tantum dedecus celabimus?

*Pho.* Neque quid dicam, neq; quo me recipiam, neq;  
 quid agam scio.

Nam ad restim jam nobis res rediit planissimè.

*Dor.* Nil me herculè aliud restare video: quam quod  
 deligenda

Arbor sit suspendio.

*Pho.* Utinam hic aliquid esset, quo me præcipitem  
 darem:

Nam vitæ jam dudum me rædet meæ.

*Dor.* Neque ego quicquam malim, quam in hac re de-  
 fungier:

Adeò totus displiceo mihi. *Ph.* Vah, crucior

Bolum tantum tam subito nobis ereptum esse è fauci- *Iamb. 3.*  
 bus,

*Dor.* Quarta hercule luna nos natos esse arbitror,  
 quibus

Tot calamitates, ac tanta eveniunt infortunia. *Phor.* *Iamb. 9.*  
 Quora

Luna nati sumus, equidem nescio;

Hoc certe scio, nos natos esse ad verbera. Sed ea

Mitramus, & consilium potius capiamus,

Quid posthac nobis faciendum fiet. *Phor.* Neq;

Pol consilium habeo, neq; auxilii copiam.

Actum est, nihil restat, nisi ut inedia pereamus miseri

*Dor.* Durissimum id quidem morris genus; quare

Quidvis malim & facere, & pati, quam vitam in

Tantis finire calamitatibus. *Pho.* Et mihi quoque

Onus quamvis grave imponi sinam,

Siquidem istud effugere liceat infortunium.

*Dor.* Hei mihi! nunc cupiam esse frugi, atq; opere ex-  
ercendo,

Totos defatigari dies, nisi

Frustra id cupiam infelix. *Phor.* Ah, quis nos inopes

Tecto dignabitur? quis ventrem saturabit fameli-  
cum?

Nam postliminio ad uxores revertendi nullâ hercule

Spem nobis superesse conspicio. *Dor.* Et tamen nisi

Illæ recipiant, actum est, periimus funditus.

Cum ne unus quidem obulus nobis sit reliquus.

*Phor.* Quam velim nobis esse præcatorem, aut patro-  
num aliquem,

Qui blande, ac commode loquendo illis animum

Emolliat, & nos restituat in gratiam.

*Dor.* Quin ipsi potius ad illas accedamus, & veniam

Prececur supplices. *Ph.* Non improbarem

Consilium tuum, si ausim experiri,

Sed qua fronte obsecro isthuc tentabimus?

*Dor.* Perfricanda frons est, & pudor omnis est

Abjiciendus egentibus, exorabiles

Facilesq; illas fore confido. Nam foeminae

Quemadmodum leves ob causas sæpe ad iracun-  
diam

Provocantur, ita si quis modo paululum

Blandiatur, deliniuntur, ac placantur facile.

*Phor.* Age, age, mos gerendus est tibi, quandoqui-  
dem

Ho nos compellit necessitas. At nescio

Quas istis procul stantes video. hem, manet,

ACT-

## ACTVS V. SCENA II.

## PERILLA, BROMIA.

*Eiusdem rationis.*

**E**St ut dicis Bromia, pro gravissimo mariti  
Crimine paululum supplicii uxori debet esse

Satis, nunc vero nostra austeritate, ac sævitia

Iamb. 3.

Ira illos hinc alienatos video, ut reditum sibi

Ad nos non audeant sperare. *Bro.* Non iniuria.

Nam nimis pol duriter, neq; ut uxores decet,

Nos illos tractavimus Perilla. *Per.* Verum

Dicis, nostra culpa hæc turba, atq; abitis

Evenit. Quapropter si contingat nunc meum

Redire, & si frugi se impostertum fore

Iamb. 4.

Promittat, ne ego libenter illum reciperem.

*Bro.* Ego idem quoq; mihi faciendum arbitrarer.

Neque ideo certe, quod non facile vel perpetuo, si  
opus

Sit, carere illo possem: sed quod communes me mo-  
vent

Liberi, quibus alendis ego me imparem esse sentio.

Tum molesta, injucunda, atq; tristis est

Solitudo. *Per.* Eadem me cura torquet Bromia.

Nam ni id esset, nunquam me exoraret quispiam,

Quin perpetuo sola esse malim, quam tam multa a-  
pud virum

Perperi. Sed quosnam quæso eos dicam esse, quos  
procul

Hinc consistentes video? *Bro.* Viri nostri sunt, de  
quibus

Loquimur Perilla. *Per.* Pot eos esse augutor,

Iamb.

Adeo ad occursum illorum mihi commovetur

Animus. *Bro.* Ii sunt ipsi, procedamus illis obviam,

Atq; excipiamus comiter. Non licet hominem

Sæpe esse ut vult; si res non sinit ita tempus est

Nunc, ut mihi virum restitui gaudeam;

Iamb. 8.

Nuper nihil minus. *Per.* Mane, mane, isthoc pacto in  
ipsas,

Atq; in nos pessime consuluerimus, si tam  
Leni, atq; victo animo nos esse ostenderimus.

*Bro.* Qui sic? cedo: non enim intelligo. *Per.* Non at  
faro ut

Intelligas. In nequitiam cito relabentur pristinam,  
Si nos cupidas esse sui intellexerint.

*Bro.* Quid igitur faciendum censes Perilla?

*Per.* Subsistamus hic, atq; ultro illos ad nos sinamus  
Accedere, ac primum quidem quanquam orant, atq;  
supplicant.

*Iamb. 3.*

Tamen vultu ad severitatem composito,  
Simulemus nos illos recipere nolle: tandem  
Cum obsecrandi finem non facient, quasi  
Precibus victæ, ægrè culpam illis ignoscemus, atque  
Recipiemus in gratiam, ita firmitus  
Illos alligaverimus: neque iterum audebunt, quod  
semel

Experti, sibi cessisse sciunt infelicitè.

*Bro.* Consulis probè: atq; ob id tibi lubens parvero.

### ACTVS V. SCENA. III.

PHORMIO, DORIO.

*Eiusdem rationis.*

**H**Em Dorio, nisi quid mihi hallucinantur  
Oculi, uxores istæ sunt nostræ, quas hinc procul  
Colloquentes vidimus hætenus. *Do.* Sant? herculè  
Sunt, Animus mihi tremat formidine

*Pho.* Et mihi herculè pavore totū corpus inhorruit.

Abeamus Dorio, nam in illarum conspectum ego

Prodire ausim neutiquam. *Dor.* Eho, quo fugis.

Stulte resiste. *Pho.* Non ausim: nam nimis ego a mea

Mihi timeo infelix. *Dor.* Resiste inquam. *Pho.* Nihil  
agis.

*Iamb. 2.*

*Dor.* Nullam ego nobis aliam viam ad salutem esse  
video.

Audendum est. *Pho.* Vide obsecro quid agas. *Do.* Ni-  
mirum quod ipsa res

Tem-

Tempusque hoc postulat, id ago Phormio. *Phor.*

Nondum satis,

Illarum videre perspexisse contumaciam.

*Do.* Ah, non desines? neq; unquam auscultabis mihi?

*Phor.* Libenter auscultavero,

Si modo quæ ex usu sunt futura consulis. *Do.* Quasi <sup>Iamb. 4.</sup>

Isthic minus mea res agatur quam tua &

Vllum alium præter hoc nunc nobis restet refugium;

Quod si tu quid melius invenire queas, quo

Nobis prospiciamus, vitamque tuam ab inedia

Age profer, parabo lubens. Sed si nusquam alia

Nobis superest spes, si ubique excludimur,

Si invisi, atque exosi passim sumus omnibus

Quid aliud faciemus miseri? *Pho.* Miseri profecto, <sup>Iamb. 2.</sup>  
utcunque res

Cesserit, novi ego meam, quam difficilis, superba,

Morosa, contumax sit; tum quam durum, atque mo- <sup>Iamb.</sup>  
lestum mihi

Fuerit hætenus, illius intolerabile

Imperium pati. *Do.* Iugum ego quoque me scio

Suscepturum minimè amabile: sed quid facias è duo-  
bus

*Malis*, cum ntrumque declinari non potest,

Quod minus leviusque est, eligendum censeo. <sup>Iamb.</sup>

*Phor.* Dicis sapienter, atque ideo morem geram tibi.

*Do.* Bene facis, laudo. Nunc igitur absque ulla mora <sup>Iamb.</sup>

Ad eas accedamus, dum solæ sunt, dumque occasio

Offertur: nam in tempore venire, omnium

Rerum solet esse primum -----

#### ACTVS V. SCENA IV.

PERILLA, BROMIA, DORIO, PHORMIO.

*Iambici.*

----- Viden' eos Bromia

Accedentes propius? *Bro.* Oh, video Perilla,

Et gaudeo. *Per.* Hem serva, tristis severitas

Sic in vultu, *Bro.* Teneo. *Per.* Tum in verbis gravitas  
atque constantia.

G 5

*Brom.*



*Brom.* Memorem monuisse te dices. *Per.* Toti pal-  
lent metu,

Terramque prospectant identidem. *Bro.* Mirum

Ni frugi posthac sint futuri, si quidem

Re ipsa jamprehenderunt satis, quid sit

Apud alienos, atque ignotos vivere.

*Troch.* *Dor.* Sequere me Phormio: ego prior illas adoriar.

*Pho.* Præ pudore, ita me Deus amet, vix caput

Attollere audeo. *Dor.* Abjiciendus est pudor

Inutilis Sed heus, orationi fac subservias,

Vt si quid forte ego defecero, tu succurras. *Ph.* Dabo

Operam. *Per.* Ehem Bromia, accedunt, simulemus  
nos velle abire,

Sequentur, atque revocabunt nos, sat scio.

*Dor.* Eho siccine maritos fugitis uxores? *Per.* Quasi

Non prævideris, ad illos respice. Quis est qui nos?

Hem hiccine

Eratis perditæ? *Bro.* Itane in conspectum nostrum  
venire

Audetis impurissimi? *Do.* Hanc unam nobis ignos-  
cite

Culpam, si aliam unquam admiserimus ullam occi-  
dire.

*Phor.* Miserear vos nostri obsecro. *Per.* Abire quo  
digni estis furciferi.

*Bro.* Satis diu verba dedistis nobis, apagite.

*Dor.* Quod est peccatum, corrigemus sedulo.

*Bro.* Nempe ut soletis. *Dor.* Certo mea Bromia. *Bro.*  
Non audio.

Scio ego, quàm non sit tutum vobis credere.

*Per.* Vetus dictum est: *decipienti semel ne Dij faxint*  
*benè,*

*Dij faxint malè, si bis idem deceperis.*

*Phor.* Eia sine te exorem meum suavium.

*Troch. 2.* *Dor.* Da veniam obsecro mea voluptas unica.

*Bro.* Ut nunc blandiuntur sceleratissimi.

*Troch.* *Per.* Ut adulantur impostores. Verum talibus  
Non facile nos circumvenietis fallacijs.

*Dor.*

*Dor.* Eheu nos miseros ! *Bro.* Neque lachrymis, neque querimonijs,

Neque precibus vestris fidem habemus, itaque nihil Agitis, si his nos flecti posse cogitaris.

*Phor.* Commoveant vos quæso communes liberi.

Troch.

*Dor.* Commoveat tempus illud, quo voluptati

Vobis aliquando fuimus. *Per.* Quid isthuc ? video

Troch.

Bromia

4.

Nobis non licere, uti cœperamus, hoc perrendere,

Hac

Conditione vos nunc recipiemus in

Gratiam, si feceritis, quæ vos facere

Æquum est. *Do.* Faciemus omnia : imperate. *Bro.*

Ego

Vobis leges, quibus erit parendum, recitabo :

Troch. 2.

Auscultate, atque animum advertite sedulo.

Principio, ne unquam posthac injussu nostro foras

Pedem efferatis. *Dor.* Hem, placet. *Brom.* Nullum

ingrediamini

Diversorium. *Pho.* Ratum esto. *Bro.* Festo autem die,

Troch. 2.

Cum ab opere vacandum erit, usque domi desideatis :

Nobis vero exire quo lubeat, jus atque æquum esto.

Troch.

*Dor.* Age,

Nihil refragamur *Bro.* Tum ut pecuniæ, rei

Familiaris, atque facultatum omnium

Penes nos administratio sit, & custodia.

*Do.* Isthuc quanquam durum, concedimus tamen,

Nisi quid dissentis *Phormio.* *Pho.* Agedum, placet.

*Bro.* Postremo objurgari, & pulsari etiam patienter

Troch.

feratis,

Omnisque vobis mussitanda sit injuria.

*Phor.* Hui ! iniquum id quidem. *Per.* Iniquum ? hem,

ut lubet, nihil

Moramur. *Dor.* Mea Perilla, quiesce pariar omnia.

*Per.* Nihil etiam audio ipsum ? *Phor.* Perij. *Per.* Hem,

quid taces ? *Phor.* Age,

Assentior, si quidem huc me res ipsa impellit. *Bro.*

Iovem

Igitur

Igitur lapidem iurate, vos

Hæc religiose servaturos omnia.

*Der.* Iuramus; firma, atque inviolata sunt. *Brom.*

Nunc

*Dimet.* Domum recta hinc concedite,

Et apud vos conferte, nos sequemur protinus.

*Catal.* *Per.* A nobis exemplum sumite mulierculæ,

Quæ ignavos, aut decoctores haberis

Maritos; quo pacto emendandi sint discite.

Sic tandem ludicra hæc spectasse proderit

*Bro.* Nihil est quod expectetis amplius:

*Catal.* Facta, & transacta jam sunt omnia, nos maritos

Sequimur. Valet, & si placuimus, plaudite.



# CVNÆ FABVLA LV DICRA.

## ACTORVM NOMINA.

PAMPHILVS, adolescens.

CHREMES, senex.

PERILLA, anus.

NISA, puella,

SYRVS, adolescens, } Chremetis liberi

LESBIA,

BROMIA,

} ancillæ,

## PROLOGVS.

*Iambici.*

P Acem firmam, atque perpetuam concordiam

Exopto vobis spectatores omnibus.

Neque illam solam publicam, qua caruimus

Diu,

Diu, verum domesticam,  
 Et privatam multo magis. *Nequicquam enim*  
 Est pax foris, si bellum nobis est domi.  
 Miramini fortasse hoc dictum quid sibi velit.  
 Atqui id verissimum esse confitebitur,  
 Cui rixosa, ac inquietâ conjunx obrigit,  
 Cum qua illi totos pugnandum est dies, nisi  
 Servire fortè malit, illique obsequi  
 Per omnia. Quod si inter vos nullus est, qui cum  
 Hujusmodi colluctatur malo: equidem gaudeo,  
 Vobisque gratuler, At ne frustra pluribus  
 Sim gratularus, non mediocriter metuo.  
 Nam haud quaquam me later, quâ multæ in oppido  
 Hoc noster passim reperiantur fœminæ  
 Procaces, difficiles, morosæ, atque improbæ.  
 Quæ ut mancipijs maritis utuntur suis:  
 Æquum, an iniquum sit, quod imperant, nihil  
 Vident quicquam, nihilque pensi habent.  
 Quibus quoties repugnās, irritas magis.  
 Nunc itaque qui tales sunt uxores nacti, bis ego, ut  
 Bono, ac tranquillo sint animo impero. Inventum  
 Est remedium huic incommodo. Gaudete. Serio  
 Loquor, nec cuiquam ludos faciendos puto:  
 Alienum id à nostris est moribus. Bonis  
 Prodesse, nulli obesse studuimus hæcenus.  
 Nisi fortè mulieres malæ hic se lædi existiment,  
 Quando ex improbis probæ, ex incommodis  
 Redduntur commodæ. Iniquum id, atque injurium  
 Ego esse existimo: neque dubito quin in hac  
 Re omnes assentiamini mihi. Nunc remedium  
 Quod adfero, non verbis vobis eloquar,  
 Sed lepida festivaque hîc exhibebitur  
 A nobis fabula. Auscultate sedulo,  
 Et Comico favete omnes choragio.

Trochæ

## PERIOCHA.

**N**Isam puellam rixosam ambit Pâmphilus:  
 Pater, cui nota erat improbitas filiae,

Ei

Ei adversatur, impeditque nuptias.  
 Ille instat, nullumque precandi finem facit.  
 Tandem parentes exorari se sinunt,  
 Rectis moribus, indoleque filiar.  
 Mox fiunt nuptiar. Illa ad ingenium redit  
 Haud multo post, domique magnas concitat  
 Turbas. At Pamphilus ejus, iracundiar,  
 Remedium querens in cunis illam probe  
 Vincam agitat, versatque : neque prius inde ex-  
 mit,  
 Quam culpam supplex confessa ad frugem redit.

## ACTVS I. SCENA I.

PAMPHILVS.

*Iambici.*

**N**Æ ego quarta luna, aliove infelici fidere  
 Natus sum, qui cum amore flagrem, atque ar-  
 deam,

Troch.

Tamen illam quam amo, & cujus cupiditate,  
 Desiderioque tabesco, atque maceror miser,  
 Neque pretio, neque precibus obtinere potui hacten-  
 us

Neque illud tam meæ Nisæ imputandum esse arbi-  
 tror,

Troch.

Quæ ex animo me redamat, quam ejus parentibus.  
 Restiterunt, quod quantopere meum animum com-  
 moveat,

Quamque ægrè istuc feram. verbis equidem eloqui  
 Non possum. Et quis sibi non graviter hoc dolen-  
 dum existimet?

Troch. 4.

Si cum ambiat puellam, neque opibus, neque  
 Dignitate se præstantiorem, imo inferiorem

Troch.

Etiam, suo tamen voto nequeat potiri?  
 Placet illa mihi : neque ego illi displiceo, velut  
 Ex comi, blandaque ejus oratione  
 Mihi conjectare videor : nullus enim est adolescen-  
 tium,

Cum quo lubentius confabuletur, vel

In multam noctem, si lubeat mihi. Quamvis  
Colloquium nostrum ab illius parentibus  
Interturbatum nobis fuerit sæpius,  
Non sine utriusque nostrum maximo dolore.  
Quibus totam noctem vigilare dulcius.  
Iucundiusque fuisset, quam quiete, vel  
Somno frui placidissimo. Sed me, nisi  
Oculi fallunt, ejus patrem, atque matrem pro fori-  
bus

Consistentes prospicio: opportunè herculè.  
Adoriar illos rursus, quanquam sæpius  
Repulsam passus sum miser.

## ACTVS I. SCENA II.

CHREMES, PERILLA.

*Eiusdem generis versus.*

**F**elices hercule sunt parentes, ut modo  
Ajebas uxor, quibus morigeri, perque  
Omnia obsequentes contigere liberi.

*Per.* Istud quidem mi vir re ipsa satis. superque jam  
Expeti sumus. *Chr.* Est ut dicis Perilla: atque illa res Troch.  
Ægritudini est mihi maximæ: nec quodnam huic  
Malo remedium inveniam scio. *Per.* Neque ego qui-  
dem.

*Chr.* Vna est filia sua procacitate, moribusque  
Improbis hanc quæ nobis movet tragediam,  
Quæque hos luctus parit. De filio enim, atque filia  
Natu minore, nihil est quod merito queramur qui Troch.  
Se satis obsequentes nobis præbuerunt hætenus.  
Illa ætate major sola est, quæ nunquam quieta,  
Aut placata, omnem nostram familiam suis  
Vexat, perturbat, exagitatque jurgijs.

Alecto, aut Tisiphonem esse dixeris: adeo  
Adcommovenda, concitandaque omnia  
Nata esse videtur. Procax, maligna, contumax Troch.  
Nulli cedens, adversa omnibus. *Per.* Pol vera sunt  
Quæ narras Chreme, pejorem puellam vix in  
Toto reperias oppido. Et tamen quoties

Pamphi-

Pamphilus ejus procus ad eam confabulatū  
Venit, miris modis hanc naturæ suæ malitiam,  
Improbiterque & regere, & dissimulare novit  
pessima;

**Troch.** Comiter, ac blandè cum illo usque colloquens.

*Chr.* Istud quidem adverti sæpe, & ea res mihi  
Admirationi fuit aliquoties.

**Troch.** Sed etiam atque etiam nobis est videndum, ne ille,  
qui

Bonus est adolescens, optimi sive parentibus  
Natus, fictis ejus circumveniatur blanditiis.

*Per.* In eo sedulam uterque operam hactenus navavi-  
mus.

*Chr.* Injuri præfecto essemus, planeque improbi,  
Si cum nostra culpa falli, atque decipi

Sinamus. Quin potius, ut antea fecimus, in ea  
Despondenda difficiles, atque inexorabiles

Nos illi præbeamus: neque verbis ullis,  
Neque precibus commoveri nos, flectique patiamur:  
Neque eo miserum inducamus, unde postea  
Sen illis expedire queat rationibus.

*Per.* Dixi probe. illud enim bonorum officium esse  
arbitror.

Sed estne hic ille, de quo agimus, quem non ita  
Procul consistentem video? *Chr.* Est is ipse: nos,  
Vti videtur, opperitur. mirum ni de eadem re

Acturus est nobiscum denuo. *Per.* Id quidem  
Futurum ego auguror. verum nihil efficiet.

**Troch.** Idque adeo suo magno bono; atqui isthuc nunc  
Non intelligit. *Chr.* Neque nos, ut postea  
Intelligat, frustra que doleat, permittemus  
Perilla. *Per.* Laudo. sed propius huc ad nos accedit:  
Audiamus quid velit. *Chr.* Placet, chem orationi  
Meæ uti subservias vide, si quid forte ego defecero,

### ACTVS I. SCENA III.

PAMPHILVS, CHREMES, PERILLA.

*Ejusdem rationis versus.*

**N**unc accedendi ad illos, atque comiter  
 Appellandi tempus esse existimo  
 Quamquam vercor ne nihil rursus efficiam miser  
 Attamen experiendum erit. *Nam tum semel*  
 Arbori securim admo veris, ac cedere  
 Inceperis, non nisi ea eversa desistendum cenſeo.  
 Eho, mi Chreme, meaſque Perilla matrona optima,  
 Salvere plurimum. *Ch.* Ehem, tun' hic eras Pamphile?  
 Salve. *Per.* Proſpera tibi precamur omnia.  
*Pam.* Benigne herculè, utinam & ad cætera, quæ à  
 vobis

Troch

Troch.

Sum petiturus, eodem mihi reſpondeatis  
 Modo. *Chr.* Propemodum ſcio quid dicās Pamphile,  
 At non ſtatim cuique concedenda ſunt  
 Omnia: cum frequenter is, qui quid cupit,  
 Planè aut ignoret qualè iſtud ſit, quod petit:  
 Aut ſibi etiam noctura imprudenter poſtulet.  
*Pam.* Nihil hic mihi tale metuendum cenſeo:

Troch.

Vos modo precibus nunc annuite meis. *Chr.* Tace  
 Sodes Pamphile: quaſi te hoc orando à nobis  
 Impetrare oporteat: mitte preces obſecro  
 Si in rem tuam eſſet, & niſi metuerem, ne quàm  
 Id nunc tibi ſedet cordi, tam diſpliceat poſtea,  
 Libenter tibi morem geram: nam ego te probum  
 Adoleſcentem eſſe iudicò,  
 Boniſque prognatum: quare non gravare herculè  
 Tibi noſtram in uxorem daremus filiam,  
 Niſi quid eſſet, quod nos deterreret. *Per.* Eſt  
 Vt dicit Chremes: nam nulli eam  
 Locaremus lubentius, ſi hoc conjugium tibi  
 Ex uſu fore conſideremus: quare mitte hanc obſecro  
 Aliasque nuptias & affines commodiòres tibi  
 Querito. *Pam.* Ah, itane eandem nunquam mihi  
 Deſinetis canere cantiunculam?  
 Nuptiæ hæ, affinesque placent, ut qui maxime.  
*Chr.* Rationem potiùs quam amorem, qui malus  
 Plerumque conſultor eſt, in conſillum adhibe Pam-  
 phile:

Pars III.

H

Ba



Ea procul dubio id tibi dissuadebit, ad quod  
Cæcus amor, nimiumque vehemens animi cupido te  
Nunc impellit. *Dis* deliberandum est in eo, quod se-  
mel

Cœptum rescindi non potest.

Quare videndum tibi erit sedulo, ne hoc calidum sit  
nimis:

Neve nunc remere aggrediate, quod te fecisse  
Pæniteat postea. *Pam.* Non fiet, desponde modo.

*Chr.* Neque hîc, neque alibi refragarer Pamphile.

Si has nuptias tibi profuturas crederem,

Quare si nondum animum penitus ab illa

Potes avocare, fac id quod potes. *Pam.* Quid isthuc  
obsecro?

*Chr.* Age, dicam. Aliquot hanc rem saltem differ dies:

Interea diligentius tecum perpendendo omnia,

Mutabis, ut opinor, sententiam: nobisque, qui

Non statim tibi obsecuti sumus, gratias ages.

Quod si tum etiam idem tibi fortè fuerit animus,

*Troch.* Non amplius voluntati obstitam tuæ.

*Pam.* Quanquam durum est, quod postulas Chreme,  
tamen

Quia hoc tuum consilium ex animo benevolo

Mihi provenire videtur, agedum, parebo: vos modo

Facite, uti promissis steris. *Per.* Fiet, bono

Animo esto Pamphile. *Pam.* Rus hinc nunc conce-  
do: ibi

Me aliquot macerabo dies. *Chr.* Hem bene facis, vale.

ACTVS I. SCENA V.

NISA, CHREMES, PERILLA.

*Ejusdem rationis.*

**A** Vdire visa sum mihi vocem patris,

Atque eccum, quin opportunè quoque adest  
mater: voce pol

Opus est mihi. Pro Deum, atque hominum fidem!

Quæ est, si non hæc insignis est injuria!

*Chr.* Antiquum herclè obtinet, compellabo. Quid:  
obsecro

*Te:*

Tecum stomacharis Nisa? aut quam tibi illatam

Quereris injuriam? ne retice, ut offensæ

Medeamur. *Nis.* Vah, rogas quid sit pater? soror

Est, quæ me non toleranda affecit contumelia.

*Chr.* Quid, soror? *Nis.* Soror inquam, cui mox in ca- Troch. 4.  
pillum

Involabo sacrilegæ? *Per.* Quid illa fecit obsecro?

*Nis.* Quæ me non sororem, sed servam sibi esse de-  
putat.

*Per.* Missa hæc nunc facito mea Nisa, & quare te illa

Offenderit, narra potius.

*Nis.* Age mater, dicam, ausculta. Cum ego totum  
hunc diem

Diversis, gravibusque occupata fuerim negotijs:

Illa in triclinio ociosa desidens

Cum fratre, alijsque quibusdam adolescentibus Troch.

Fabulata, nugataque est hætenus.

*Chr.* Næ tu magno conatu magnas nugas adfers Ni- Troch.  
sa. *Nis.* Vah,

Siccine & tu isti otiosæ

Patrocinare pater? neque te mei miseret, quæ me  
gravi

Labore defatigavi? iam video quid mihi

Faciendum sit, à vobis quando deferor,

Ipsa hanc injuriam, atque ignominiam mihi

Pugnis, unguibusque vindicandum censeo:

Neque quisquam me hodie exorabit, quin illam uti

Merita est, ulciscar impurissimam. *Chr.* Eho, siccine

Abis Nisa? *Per.* Mane obsecro *Chr.* Abijt

Turbas excitatura intus maximas.

Non arbitror magis morosam, atque irritabilem Troch.

Puellam usquam reperirier. Atque ideo prudenter  
herculè

Facimus, qui bene morato isti adolescenti eam

Nuatum lotare nolimus. Quod si ille eam satis

Nosset, nos missos faceret erotinus. & à tam

Gravi malo sibi cavendum esse putaret sedulo:

*Per.* Verum dicis Chreme. Sed eam

Intro statim sequamur : nam nisi nos in tempore  
Adfuerimus, metuo mecastor, ne gravissimos  
Istic tumultus concitet.

*Chr.* Probe mones, itaque lubens obtempero.

ACTVS II. SCENA I.

SYRVS, NISA.

*Tronchici.*

**P**Rò supreme Iupiter ? quas intus nostra  
Nisa concitavit turbas ? quam illaudabile  
Exhibuit spectaculum ? quod nisi pater, &  
Mater eam cohibuissent, sororem nihil mali  
Commeritam, & puellam longe, quam ipsa est, me-  
liorem,

*Iamb.*

Interemisset planissimè. Non mulier per Iovem,  
Sed Furia infernalis videbatur mihi:

*Iambæ.*

Quam neque blandè, commodeque loquendo magis  
placaveris

Quam si adversus stimulum calces, aut laterem laves.  
Næ ille omnipium hominum qui vivunt, futurus est  
Infelicissimus, qui eam uxorem ducet domum.  
Ego herclè perpetuo cælebs vivere malim, quam à  
tam

*Iamb. 2.*

Improba quotidie vexari, & cruciari fœmina.  
Sed quid cæcus atque inconsultus amor valeat  
Advertite obsecro. Pamphilus hic noster vicinus  
Eam deperit, amatque perditè. Næ ille  
Haud mecum sentit  
Qualis ea sit, quam ambìt, quamque uxorem sibi da-  
ri petit.

Atat, eccam ipsam foribus erumpentem conspicio.  
Vt etiam nunc insaniat, videre  
Obsecro, mirum ni me quoque hic sit aggressura, quæ  
Est audacia, quod si fiat, efficiam, ut  
Cum viro non muliere sibi certamen susceptum esse  
sciat,

Sed eventurum herclè, quod dico mihi auguror:  
quia in

*Iurgio*

Iurgio sorori adiutor fui. *Nis.* Vbi ille scelus est,  
Qui mihi adversus sororem obstitit, atq; repugnavit  
Tam contumaciter? cum tamen illa esset digna, quæ  
Pessimis exciperetur modis. Sed opportune  
Hic illum pro foribus consistentem invenio.

Adoriar. Hem, hiccine stas furcifer. *Syr.* Tun', me *Iamb. 2.*  
furciferum

Appellabis pessima? *Nis.* Vah, quid dixti nequam?

Itane & nunc patrocinare sorori? quam modo

A patre, & matre adjutus, mihi è manibus

Surripuisti? Næ ego te pro isthac audacia

Exercebo probè. *Syr.* Apagesis, nihil tuæ me terreat  
minæ:

*Neque mihi* periculum admodum videtur

Metuendum, quod ab hoste sit denuntiatum

Antea. *Nis.* Non pol denuntiabo, sed dabo malum.

*Syr.* Siccine agis venefica? Heu me miserum! suc-  
currite

Populares, auxiliumque innocenti ferte

Mihi. *Nis.* Etiam vociferaris nequissime?

Crucior fustem mihi deesse, quo tibi

Scapulas conteram mastigia. *Syr.* O puellam

Omnium quæ vivunt sceleratissimam! at

In pedes hinc me quantum queo, nolim mihi

Rem esse cum isthac Tisiphone. *Nu.* Ha, ha, he, au-  
fugit

Ignavus, non alio telo, quam unguibus,

Et pugnis superatus. Næ ille consecutus

Est triumphum magnificum. Age nunc me lacessat

Qui volet, faxo illum tali, atque hic est, mactatum  
malo.

## ACTVS II. SCENA II.

PAMPHILVS, NISA,

*Eiusdem generis*

**V**T nihil est tam facile, quin difficile fiat,  
Si invitus facias. Hoc adeo ex hac re mihi  
In mentem venit. Diebus hisce superioribus

Commoratus sum ruri: neque hercle incommodè.  
Nam præterquam quod verno tempore nunc illa  
floreant,

Atque jucunda, & amœna sint omnia.

Quotidie cum amicis, atque sodalibus quibusdam

Iamb. 4. Commessabar, genioque indulgebam affatim,

Nihilominus tamen pauci hi dies, totus

Annus, aut eo amplius etiam visus est mihi.

Iamb. Credo ut sit: quia aberam ab illa quam amo, breve

Etiam tempus fuit longissimum. Sed quid

Nunc agam, aut quid consilij capiam, equidem nescio.

Conveniam ne iterum parentes.

An ipsam potius; quod quidem fecero lubentius:

Quando illam benevolam, pareutes autem illius ex-  
perrus,

Sum mihi adversos esse hætenus. Sub vesperum

Itaque cum illa loquendi

Iamb. Opportunitatem quæram: quam hoc tempore

Non defuturam puto. Sed nescio quam huc procul

Adventantem video, aut illa est, aut oculi mihi

Prospiciunt parum, profectò ipsa est. Salus

Me servatum vult. Eam hic præstolabor,

Iamb. Atque appellabo comiter. Nis. Satis superque jam

Me sum ultra: haud arbitror quengquam futurum, qui

Me convitijs suis posthac sit provocaturus.

Et sapient mea quidem sententia,

Si crabrones sibi non esse irritandos putent:

Qui ultro, & non lacessiti, satis nocent,

Iamb. Porro quod me procaem, iracundam, malamq; esse

Prædicant, id equidè minimi facio: cum mulier mala

Vulgari etiam proverbio, longe anteferenda sit

Fatux. At quisnam ille est, quem ad me accedentem  
conspicor?

Pamphilus est, nisi oculi hallucinantur: ut ego illum

Aspicio lubens. Pam. Hem ficcine hic mihi

Obviam venis mea Nisa, mea voluptas unica?

Quo tibi iter est? Nis. Ad macellum propero, emtu-  
ra, quæ

Nobis

Nobis apparanda erunt in vespertinum. *Pam.* Bene  
Facis : at subsistamus hic paulisper : est quod tecum  
agam

*Serio. Nis.* Si quid, quod me velis, est Pamphile,  
Agedum sodes, atque confer tua verba in compen-  
dium,

Nam properato opus est mihi. *Pam.* Expediam pau-  
cissimis.

Longè me omnium fortunatissimum putarem,  
Si tu uxor contingas mihi.

Iamb. 1.

Qui meum erga te animum, ut ante cognovisse,

Atque perspexisse te sæpe arbitror,

Iamb. 1.

Ita nunc rursus eundem tibi aperio, retegoque pla-  
nissimè.

Age sodes mea Nisa, desine tergiversari.

*Nis.* Quid vis faciam ? *Pam.* Quid ? amantem redama.

*Nis.* Amo te

Mi Pamphile : neque quisquam alius est, uspiam

Iamb. 1.

Adolescens mihi charior. Quin tute ipse scis,

Quam intimum habeam te, & mea consilia ut tibi

Credam omnia. *Pam.* Benignè dicis, gaudeo.

In toto hoc oppido nulla heri puella est, quam  
ego

Magis diligo quam te, meum suavius,

Iamb. 2.

Delicium meum : præ qua ipsa Venus parum venusta,

Elegansque videretur mihi. *Nis.* Tu pol quoque

Adolescens mihi videre facetus, atque

Formosus satis. *Pam.* Credo, verum hæc nihil

Ad rem : & hætenus quamvis inter nos familiariter

Sæpe locuti sumus, effectum tamen est nihil.

Iamb. 2.

*Nis.* Non id mihi imputandum est Pamphile, sed tibi

Potius, qui cum parentibus meis de eo

Nondum tibi agendum putasti ferid

*Pam.* Egi quidem de hac re cum illis sæpissimè :

Quin non ita pridem itabam, atque urgebam sedulo, Iamb. 3.

Sed parum etiam nunc profecisse videor mihi.

*Nis.* Bono animo esto, rursus illos conveni :

Credo te impetraturum, nisi ipse tibi desis.

H 4

Non

- Iamb.* Non uno, ut vulgo ajunt, ictu arbor concidit,  
 Instandum usque, ac perseverandum erit tibi;  
 Ita victor tandem evades, *Pam.* Faciam herculè,  
*Nis.* Ego nunc ad macellum, quo constitueram ire  
 pergo:  
 Tu vide ut in tempore, quod omnium rerum pri-  
 mum est, patrem  
*Iamb.* Rursus adoriare, atque matrem etiam meam si  
 Potes: me equidem morigeram experieris tibi.  
*Pam.* Faciam ut mones. Vale mea Nisa. *Nis.* Pamphi-  
 le mi, vale

## ACTVS II, SCENA III.

## CHREMES, PERILLA.

*Ejusdem rationis.*

- Iamb.* Somnum ego hac nocte oculis non vidi meis;  
 Neque animo tranquillo toto hoc potui esse die,  
 Adeo nostra Nisa, puellarum, quas ego quidem  
 In vita vidi, pessima, suis me turbabat jurgijs,  
 Mitto jurgia, atque rixas, verbera  
 Etiam cuivis impingere audet sceleratissima:  
 Ne fratri quidem cedam ipsi, tanta est animi  
 Itacundi, atque preceps impotentia.  
*Iamb.* Cæterum sororem non pluris facit,  
 Quam mancipium, aut vernam vilissimam,  
 Quam quidem hisce diebus superioribus  
 Plane occidisset, nisi ex furiosa manibus  
 Innam extorsissem miseram. Pol omnium  
 Hominum infelicissimum me hæc efficit  
 Filia, quam iratam placare si coneris,  
 Nihilo plus agas, quam si des operam, ut cum illa in-  
 sanias.  
*Iamb.* Sed ostium crepat, quis exiturus sit  
 Videro. uxor est. *Per.* Eho, hincine astabas Chremes  
 Te quærebam. *Chrem.* Mei quid est: eloquere paucis,  
*Per.* Pamphilum rure rediisse narravit modò  
 Mihi quædam, cui credo satis. *Chr.* Quid tum? *Per.*  
 Sibi que

Ab eo negotium esse datum aiebat, uti nos  
 Conveniret, serioq; ageret de nūptiis  
 Filix: ipsum jam quidem deliberasse satis:  
 Neq; interea commutatum esse eius animum;  
 Ac proinde orare, ut tergiversandi finem  
 Tandem faciamus, *Chr.* Me miserum! neq; quid a-  
 gam,  
 Neq; quid responsurus sim, scio. *Auribus enim*  
 Ut dici solet, teneo lupum: cuius nec retinendi, nec  
 Amittendi mihi datur copia. *Per.* Quin missam  
 Faciamus, & elocemus pessimam; ut tandem  
 Perpetuis nos nostramq; familiam rixis,  
 Jurgiisq; liberemus. *Chr.* Egon' id conari queam? *Iamb. 2.*  
 Egon' adolescentem nihil de nobis mali  
 Commeritum, indignis circumveniam modis?  
 Tum me hominem durum, & inhumanum esse de-  
 putem.  
*Per.* Quid igitur faciendum censes? cedo Chreme.  
*Chr.* Neq; ei ega illam do, neq; cuiquam dandam ex-  
 istimo.  
 Sed lupo est in fabula: vox comprimenda est. *Iamb. 6.*  
*Per.* Quis est? *Chr.* Viden' accedentem? *Per.* Quem ob-  
 secro? *Chr.* Rogas?  
 Pamphilum. *Per.* Ipse est profecto, huc affectat viam  
*Chr.* Taceamus, sermonemq; ejus aucupemur  
 Eminus. *Per.* Placet. -----

## ACTVS II. SCENA V.

PAMPHILUS, CHREMES, PERILLA,

*Eiusdem generis.*

----- Vetus dictum est: *Quod ipse per*  
 Te efficere potes, ne committas alteri.  
 Atq; id quidem jam hinc succurrit mihi. Hesternodie *Iamb.*  
 Cum vicina nostra Lesbia egi sedulo,  
 Ut Chremetem nomine meo conveniret,  
 Cumq; illo de filix ageret nuptiis,  
 Quam frustra miser ambivi hastenus, verum illam

H s

Et



Et mei, & negotij suscepti plane oblitam  
 Esse arbitror, utpote quam toto hoc nusquā vidi die,  
*Chr.* Audin' quid dicat Perilla? *Per.* Audio Chreme.  
*Chr.* De eadem re nobiscum acturus videtur denuo.  
*Pam.* Nunc itaq; ut ipse mihi Mercurius sim, res tem-  
 pusque

*Iamb. 3.* Postulat: quare recta ad eos accedo via:  
 Quandoquidem satis jam diu rem dilatam arbitror.  
*Es inutilis homini est pudor, dum urget necessitas.*  
 Atq; adeo amor, quavis necessitate vehementior.  
 Sed eccos quos volebam, nihil herculè fieri potuit  
 Opportunius, propius accedam, atque alloquar.  
 Salvete, ad vos ibam. *Chr.* Qua de re? *Pam.* Ah, rogas?  
 quasi

*Iamb.* Nescias Chreme, & non antea frequenter  
 De eadem vobiscum egerim. Quid, an diutius  
 Me ruri mansurum arbitramini?

*Iamb.* Cuius animus hic in amore est occupatus totus?  
*Chr.* Affectibus moderare sodes Pamphile:  
 Et quid ratio tibi præcipiat sedulo  
 Observa. *Pam.* Senes rationi pareant; alius  
 Nos adolescentes urget stimulus, quanquam hunc  
 animi

*Iamb.* Mei affectum non ex juvenili levitate, aut stultitia,  
 sed

Ex sano consilio, ac deliberatione  
 Longiori esse profectum existimo.  
 Quare desponde obsecro, atq; tergiverfandi  
 Tandem sine face. *Chr.* Vis quidem hæc est, quanquā  
 ipse.

Quid peras, ignoras infelix. Nunc itaque, ne  
 Te circumvenisse dicas postea,  
 Proferam quod te celavimus hætenus:  
 Nam gener, & affinitas placent: sed est quod  
 Nos deterreat, *Pam.* Quid obsecro? *Chr.* Non auctim  
 dicere,

Tu huic dic Perilla. *Per.* Proferendum est, namque  
 eo

Jam

Jam res rediit, ut non dissimulandum amplius.  
Sed parum tutus hic est ad narrandum locus:  
Quare intro eamus: ibi, quo modo se res habeat,  
Tibi commemorabimus. *Pam.* Vt lubet, præcedite,  
Sequor. o me felicem! nisi vestra postrema hæc  
Oratio mihi animum exanimasset metu.

Iamb;

## ACTVS III. SCENA I.

LESBIA, BROMIA.

Iambici.

Quid ais Bromia? daturne illa hodie Pamphilo nuptum?

*Bro.* Est ut dico Lesbia *Les.* Qui scis, aut unde istud  
Audisti obsecro? *Brom.* Hæc mihi modo narravit intus.

*Les.* Quid audio? illamne procacem, iracundam, atq;  
Morosam puellam adolescenti dabunt

Tam amabili, ac generoso? vah, vide quid agant homines. Troch.

Præ studio, dū isthuc quod volunt, efficiant, o senem  
Audacem! o infortunatum adolescentulum!

Cui si exitium moliaris, quo nisi

Huc instiges infelicem? *Bro.* Miseret me ejus:

Nam liberalis, & honestus visus est mihi.

*Les.* Non ille uxorem ducet domum, sed inquietam

Rixosamque Furiam, ac pugnacem bestiam: cum qua Troch.

Illi totos erit rixandum, & pugnandum dies.

*Bro.* Mirum est adolescentem tam obesus esse naribus,

Vt consuetudine longiore, crebrisq; colloquiis

Improbos eius mores, atq; indolis ferociam

Non animadvertit. *Les:* Amor quem semel corripuit  
Bromia, hunc Troch.

Cæcum facit: ut medio etiam die hallucinetur,

Errerq; turpiter. *Bro.* Ita me Deus amet, ut mihi

Verum videris dicere, nam si ita esset, quamvis

Indoratum, atq; inopem huic prælaturum eum

Fuisse

Fuisse facile crediderim. *Les.* Vicem pol ejus doleo  
Bromia. Quantopere huius stultitiæ, ac temeritatis

**Troch. 4.** Illum pœnitebit postea, cum tam infelicibus  
Nuptiis sese impeditum, atq; illigatum  
Esse sentiet. *Brom.* Sera erit illa hominis imprudentia.  
Atq; inconsulti querimonia: cum ex eo malo,  
In quod sua se stultitia conjecit, nulla erit  
Emergendi copia. Sed verba hic facimus, quasi nihil

**Troch. 2.** Sit quod agamus intus, cum omnia in culina  
Perstrepan tumultibus: ingrediamur potius.

**Troch.** Lesbia: ne nos hera hic ociose garrientes  
Inveniat. *Les.* Probè mones. I præ, sequor.

ACTVS III. SCENA II.

CHREMES, PERILLA.

*Eiusdem rationis.*

**M**ulta quidem in vita aduersa, atq; tristia  
Mihi contigerunt: ex quibus ægritudinem,

**Troch.** Gravemq; molestiam animo meo obortam memini  
Sæpissime: sed ex nulla alia re maior unquam  
Mihi provenit dolor, quam ex filia huius, quæ  
Jam sponsa est, indole proci atq; moribus  
Minime amabilibus, Atq; id adeo mirari

**Troch.** Nunc in mentem venit mihi, cur Pamphilus  
A me, uxoreque mea edoctus, præmonitusq; sedulo,  
Non eam sibi rejiciendam sit arbitratus:

Et non tenuioris fortunæ uxorem duxerit  
Potius, cum qua & hilariter, & commodè vitam  
Potuisset exigere. cum ex nuptiis his, nihil

**Troch.** Nisi lites, & jurgia ei sint exoritura  
Infelici, cuius me miseret, vicemq; doleo:  
Atq; adeo ipse me accuso, atq; iniuriæ  
Condemno, quæ ei auscultaverim, moremque gesserim  
Fuisset tum quidem ei molestum, pertinaciter

Si denegassem, verum non nisi bidui,  
Aut tridui hæc fuisset ægritudo, post  
Rem secum recta reputasset via: at fores  
Crepuere, quis sit exiturus nescio.

*Per.*

*Per.* Mirum quo se noster Chremes hinc longius  
 Subduxerit, præsertim cum sciat, quam multa sint  
 Nobis apparanda in vesperum. *Chr.* Perilla, hic  
 Ego sum, quem abiisse suspicari longius.  
*Accede, est quod tibi dicam. Per.* Non jam vacat  
 Hic ociosè fabularier: intro me sequaris  
 Velim. *Chr.* Mane sodes paulisper. *Per.* Hem maneo.  
*Chr.* Quid arbitrare? in quem tandem finem hoc nobis  
 Evasurum est coniugium? *Per.* Nescio mi vir,  
 Et metuo, ne illa antiquum obtinens,  
 Magnam suo marito sit brevi excitatura  
 Tragediam, gravesq; tumultus, ac turbas domi  
 Concitet, qua est improbitate, & contumacia.

Troch.

Troch.

Troch.

*Chr.* Metuo id ego quoque. Verum si quid tale evenit,

Non nos, sed ipse se Pamphilus incuset, ac  
 Culpet licebit: qui suis affectibus,  
 Animoq; gerens morem, quæ ei prædiximus  
 Eventura, nihili fecerit. *Per.* Istud recte. Næ ille  
 Plorabit, sat scio, siquidem ipsa, quod ne contingat,  
 nimis.

Vereor misera, ad ingenium redierit. *Chr.* Ad illum  
 Jam solum rerum summa redit: *Ipse quod*  
*Intravit,* omne id erit exedendum. Sed  
 Melius fortasse, quam nos suspicamur,  
 Res succedet: Eamus nunc intro, omniaq; ad nuptias  
 Quæ erunt opus, paremus sedulo. *Per.* Bene  
 Mones, & propterea tibi libenter obsequor.

Troch.

## ACTVS III. SCENA III.

## PAMPHILVS.

*Eiusdem generis.*

**N**uptias mihi parati, meq; jam Nisam  
 Uxorem ducturum, jam pridem in ore est omni  
 Populo, vicem omnes deplorant meam, qui tam  
 Infausto me irrevivi connubio, adeo  
 Ejus improbitas innotuit omnibus.  
 Ego tamen contra opinionem hominum, has nuptias  
 Mihi

Troch.

Troch.

- Troch.** Mihi confido eventuras ex sententia: nam si  
 Illa secus, quam bonam decet matronam, sese gesserit
- Troch.** Siq; ego salutaribus admonitionibus,  
 Commodeq; loquendo nihil effecero,  
 Inveniam, opinor, ejus improbitati remedium:  
*Et malo nodo* malum mihi quæram cuneum.  
 Sed fortasse ipsa posthac sese emendabit,  
 Et ad frugem redibit denique. At poeta  
 Ille, haud mediocriter mentem terret mihi,  
*Qui odorem*, quo semel est imbuta, recentem  
 Testam servare diu asserit. Sed non statim  
 Velut ex tripode profecta, habenda sunt oracula;  
 Quæ poetæ chartis illinunt: apud  
 Quos mendaciorum plena sunt omnia.  
 Mea sic est ratio, & sic animum induco meum,  
 Quod quis nescit, an sit eventurum, id, antequam  
 Acciderit, vehementer si timeat, meticulosus homo  
**Troch.** Is sit netesse est. *In rebus dubiis* spe fulciendus est  
 Animus, neque committendum, ut ante tempus vi-  
 deamur  
 Miseri: ita facere certum, ac decretum est mihi.  
 Nunc: ut me patem, domum eo, reversurus sub ve-  
 sperum.

## ACTVS IV. SCENA I.

CHREMES. SYRVS.

*Ejusdem generis.*

- A** Dhuc tranquilla res est; & spero inter eos  
 Conventurum Syre. *Syr.* Spero ego hercule quod  
 que pater,  
 Sed vereor infelix, ne nos hæc spes fallat.  
*Chr.* Ego etiam, quoties eius ingebium, indolemque  
 Mecum perpendo, non mediocriter timeo; meque  
 Adolescentis miseret: qui neq; nostris, neque  
 Aliorum admonitionibus, consiliisque  
**Troch. 3.** Acquiescens, sese in tantum coniecit malum,  
 Vnde in posterum nullis rationibus  
 Emergere poterit: conjugium enim semel

Coh.

Contractum, dirimere si conetur, nihil  
 Agat. *Syr.* Est ita ut dicis pater. *Chr.* Quod de inferis  
 Poetæ fabulantur, facilem scilicet  
 Ingressum ad eos patere cuilibet: verum  
 Regressum nullum: id hercle mihi evenire  
 Videtur matrimonio iunctis: qui compede  
 Arctiori sunt vincti, quam ut unquam distrahi  
 Queant, & quamvis eveniat (quod interdum  
 Accidere videmus) discessio, tamen maritus, &  
 Vxor maneant necesse est. Nihil enim inter eos  
 Intervenire potest tantum, ac tam grave, quod istam  
 Societatem dirimere queat unquam. *Syr.* Verè id  
 quidem

Troch.

À te dictum est pater. *Chr.* Tu itaq; fili vide  
 Sedulo, ne quid tale unquam usu veniat tibi, vafre,  
 Callidæq; sunt puellæ, ad sua regenda,  
 Dissimulandaq; vitia miris ingeniosæ modis,  
 Quæ cum amatore quoties confabulantur,  
 Nihil illis videtur blandius, nihil  
 Jucundius, nihilq; amicus: verum  
 Cum ductæ sunt domum, cumq; uxores factæ sunt  
 Tum operæ precium est videre illarum contuma-  
 ciam

Troch. 2.

Moresq; subito commutatos, tum pro blanditijs  
 Rixas & jurgia ingerunt, ne à verberibus quidem  
 Subinde temperantes, quæ quidem injuria probis  
 Est mustitanda viris: nam si reluctari  
 Pergas, ex infano infaniorum eam reddas tibi.  
 Tu itaq; periculum ex alijs facito *Syr.*  
 Tibi quod ex usu fiet.

Troch.

*Syr.* Spero ego mihi obventuram commodam. *Chr.*  
 Spero

Ego quoque. Neq; eo hæc dicta volo, à connubio ut  
 Te deterream: sed ut probam

Beneq; moratam dispicias: ac prudenter deligas,  
 Quam diligendam tibi putes. *Syr.* Dabo operam

Pater: habeoq; gratiam l' qui filio

Consulendum existimas. *Chr.* Probè facis,

Troch. 3

Arque

Atq; ut te dignum est. Eamus nunc intro.  
Jamdudum mater tua nos expectat domi. *Syr. Fiat.*

## ACTVS IV. SCENA II.

PAMPHILVS, NISA.

Cum uxore utcumq; mihi convenit hactenus,  
Nisi quod modo, cum egissem nescio quid parũ  
Ex ipsius sententia stomachari ceperit.  
Ego ejus iracundiæ concedens, huc foras  
Abibam tacitus. Id enim facere malebam,  
Quam majorem excitare tragœdiam, & oleum  
Camino addere. Quod ego quidem boni mariti  
Officium esse arbitror. Infirmæ sunt sœminæ,  
Atq; irritabiles: quæ blandè commodeque  
Loquendo, meliores redduntur sœpius.  
Quod mihi faciendum puto, neq; id moleste  
Ægrèq; ferendum, si ex qua voluptatem  
Cipio, ejus incommoda mihi toleranda etiam sient.  
Sed nescio quid à nobis crepuit ostium,  
Ipsa est, quæ exit, hui, vulcus non placet, commota  
etiam

Troch.

Nunc videtur, quare comiter mihi  
Erit appellanda: *Namq; animo irato blanda*  
Solet mederi oratio. *Nis.* Vbi nunc ille est improbus?  
Qui modo, dum verbera sibi parata esse videret,  
Foras effugit clanculum. Sed commodè  
Pol hic eum stantem reperio: jam faxo  
Ne ad consimilem fugiat modum, accedam. Hem  
bone vir,

Troch.

Columen vero nostræ familiæ, siccine  
Te hic ociosè stantem rursus invenio? Næ  
Ego mulier sum misera, quæ tibi, viro  
Tam defidi, tardoq; nupsi. *Pam.* Oh, Nisa. desine  
Sodes stomachari: qua in re deliqui, non causam  
Dico, quin quod meritis sum, feram. *Ni.* Nihil tuas  
Blandicias moror, neque verbis hoc persolves un-  
quam

Troch.

Quod re mihi fecisti malè.

Pam.

*Pam.* Si quid peccatum est, age, curabo ut sarciam.

Tu modo quieto animo sis fac obsecro.

*Nis.* Tūn' mihi quieto ut animo sim, imperas scelus?

Vah, vix me contineo, quin in oculos tibi involam.

*Pam.* Ah, ne savi tantopere: & quicquid illud est,

Quo te offendi, ignosce amabo. *Homo sum nihil*

Humani à me alienum puto. *Nis.* Haud me sic placabis furcifer.

Novi ego matitorum mores, qui cum sua

Delicta sibi volunt remitti, supplices

Sunt uxoribus: ubi vero istud impetraverint,

Continuo ex supplicibus contumaces, ex bonis

Redduntur pessimi. *Pam.* Bona verba mea *Nisa*

*Nis.* Etiam rides, meq; illudis mastigia?

Crucior mihi deesse baculum, quo tibi

Scapulas, caputq; diminuam impurissime.

Sed neq; manus, neq; ungues desunt, arma semper

Parata mulieribus. *Pam.* Ah, siccinē me *Nisa* verberas?

An te hoc decere arbitraris? non te dignum facis.

*Nis.* Tace, neq; me amplius lacesse, aut provoca impudens:

Quam, cum voles, placare nequeas: intro ego

Hinc concedo, tu nisi sequaris protinus,

Vx scapulis tuis. *Pa.* Hui, quam iracundo, quamq;

Præcipiti animo est: uno aliquo verbo ad stomachandum,

Atq; adeo verberandum eam facile conciveris.

Quod moderatè quidem ferendum nunc putavi

Mihi. Quod si patientia mea sibi

Abutendum esse existimet, nã illa vehementer

Errat, si me tam leni, placidoq; animo semper

Futurum censeat: Inveniam remedium

Illius iracundiæ, quò non utar tamen

Nisi necessitate coactus, atq; erit

Isthuc extremum præsidium mihi: quemadmodum

Nautæ omnibus rebus desperatis, sacram

Ad anchoram confugere consueverunt. Sed Syrum

Eccum uxoris fratrem huc accedentem è foro

*Part III*

.1

Con-



Conspicio, non hic illum præstolabor: at  
Intro statim mihi eundum esse arbitror.  
Sequatur ipse, si quid est, quod nos velit.

## ACTVS IV. SCENA III.

SYRVS, NISA.

*Eiusdem generis.*

- R** Eviso quid agat Nisa, soror mea, & quo pacto  
Ipsi conveniat cum marito, cuius ego vicem  
**Troch.** Ex animo doleo, cui tam rixosa, & procax  
Vxor contigit. Pol dignus est fortuna meliore:  
Nam liberalis est, ingenio, ac moribus  
**Troch. 2.** Commodis: nostra autem imperiosa, proterva, atque  
contumax  
Est: quam ego mihi uxorem nolim, etiam si principis  
Aut satrapæ alicujus sit filia. Sed video eam  
Foras egredientem. Hic ego subsistam paulisper, ut  
Quidnam dictura sit audiam.  
*Nis.* Næ mihi multæ mulieres desipere admodum  
Videntur, quæ, veluti pueri magistros, ita  
Maritos observant, atq; metuunt suos.  
Ego alio ingenio me natam esse gaudeo,  
**Troch. 2.** De quo tamen omnes nostri questi sunt hætenus:  
Et quam ob causam me parentibus etiam minus  
Charam fuisse probè animadverti: Verum  
Nihil moror, malo me uti improbam incusent,  
Quam ut fatuam contemnant, ac derideant.  
**Troch. 2.** *Syr.* Prò summe Jupiter! quis non eam mulierum,  
quæ  
Vivunt, arbitretur pessimam? quæ de malitia,  
Atq; improbitate sua non erubescit gloriari?  
Sed compellabo. Hem Nisa, quo pacto novum  
Tibi placet connubium, satini ex sententia?  
*Nis.* Tun' hic eras Syre? non prævideram te, quo  
Tibi est iter? *Syr.* Aliud respondes, quam quod te  
rogo.  
De coniugio quæro: quod quia novum est, gratum  
Tibi, jucundumq; esse auguror.

*Nis.*

*Nis.* Veriham augur sis verus! *Syr.* Quid? an quicquam  
te tam cito

Potuit offendere? præsertim cum maritum Troch.

Commodum sis nacta? *Nis.* Tibi talis videtur:

*At non nisi qua* calceum induit, sentit qua parte

Pedem urgeat. *Syr.* Mihi herclè ejus mores placent,

At tibi videndum est, ne tua culpa incipiat

Esse sui dissimilis. *Nis.* Apage sis furcifer,

Nihil dicis, nec mihi vacat tuas audire nœnias.

*Syr.* Abiit commota, idq; unico verbo : quanquam  
decreveram

Eos visere, tamen ingrediendum jam mihi

Non puto, alias id fiet opportunius.

# ACTVS V. SCENA I.

NISA, PAMPHILVS.

*Iambici.*

**Q**uotquot in hac nostra sunt urbe, omnes me fe-  
licem

Vno ore esse asserunt, measq; prædicant

Fortunas, quæ hunc nacta sum maritum, in quo tamen

Errare, falliq; omnium videntur

Mihi Nam quem illi probum, solertem atque impi-  
grum

Esse putant, stupidus est, iners, & caudex insulsi-  
mus.

Quare parum inter nos convenit hætenus:

Neq; conventurum posthac unquam existimo.

Sed eccum prodeuntem, jurgio aut pugnis

Potius erit mihi excipiendus, ut sciat

Nondum excidisse mihi verba ista contumacia

Quibus me modo laceſſebat. *Pam.* Satis jam,

Satis diu me bonum maritum præbui,

Palpandi, ac blandiendi finis faciendus

Nunc est mihi. *Nis.* Quid ais omnium? *Pam.* Hiccine  
astabas?

Ego te nunc, ut digna es, exercebo pessima.

*Nis.* Ain' vero canis? hiccine agis? huc si quid lubet.

*Pam.* Non herclè altercandi, aut concertandi tēcū  
nunc ocium

Est mihi, mox faxo aliam nobis uti canas cantiuncu-  
lam.

*Nis.* Quid tecum mussitas mastigia? sed fugit  
Homo ignavissimus, ante tubam inani pavore territ⁹.  
Sed fugiat quo volet, non tamen effugiet infortuniū,  
Nam domum reversa illum exercebo, ut  
Huius diei, meiq; semper meminerit,  
Nunc ad Fabullam vicinā hanc fabulatum eo:

Vbi domum rediero, sentiet pugnōs, unguēsque meos.

ACTVS V. SCENA II.

CHREMES, PERILLA, PAMPHILVS.

*Ejusdem generis.*

**A**udio Perilla quotidianas inter filiam,  
Generumque nostrum Pamphilum esse turbas:  
quæ

Res quantopere mihi doleat, verbis equidem ne-  
queo eloqui.

*Per.* Meo quoque animo, mi Chreme, ægritudo hæc  
maxima est,

Sed eccum Pamphilum, cupas gestantem: hui,

Quid istud est novæ rei? sed alio desceſcit viam.

Revocemus. Hem Pamphile. *Pam.* Quis est, qui me  
vocat?

Socer est, socrusque, opportunè herculè, his nunc  
consilium

*Troch.* Aperiam meum: simulque adjuutores in hoc

Negotio mihi ut sint orabo. *Chr.* Quid istud esse

Dicam Pamphile? quo defers has cunas? an parturit

Vxor? *Pam.* Parturit illa quidem, quin potius parit

Quotidie. *Chr.* Eho, quid isthuc monstri est? *Pam.*

Jurgia,

Rixas, turbas, tumultus, cui malo remedium ego nūc  
mihi

Quæram. *Chr.* Quod remedium Pamphile? narra ob-  
secro,

Nam audire gestio; *Pam.* Tam placidam atque mitem  
sam

Red-

Reddam, quam ovem. *Per.* Quo pacto amabo? *Pam.*  
Non est nunc

Narrandi tempus. Eamus intro, ibi meas Troch.

Artes vobis commemorabo. *Chr.* Ubi illa nunc est?

*Pam.* Foras confabulatum cum vicinis exibat modo;

Neq; eam reversuram arbitror ante vesperum:

Adeo jucundæ, dulcesque illi sunt inanes fabulæ.

*Chr.* Præcede, sequimur. -----

ACTVS V. SCENA III.

NISA, CHREMES, PAMPHILUS, PERILLA.

*Eiusdem generis.*

----- Nunc tandem lepidis saturata fabulis,  
Sub cœnæ tempus, uti mos est mihi, redeo domum:

Ubi nisi omnia à meo furcifero reperiam

Parata, væ capiti, oculisq; illius! Faxo ne

Jam elabatur, uti modo, cui si in capillum

Semel involavero, eo redigam miseriarum, ut

Perpetuò sit miser. *Chr.* Quæ nobis Pamphile Troch.3.

Dixisti, probè intelleximus omnia.

Sed dic seridò sodes, putas successurum,

Si ad eum rem aggrediaris modum? *Pam.* Non est du-  
bium id

Quidem. Vos modò facite ut adiutores sitis mihi.

*Chr.* Faciemus herculè sedulò: sed eccam, adest.

*Pam.* Video, continuò, nisi fallor, me jurgio

Adorietur, vos intrate paulisper, & mox ad meam Troch.

Vocem exilite prorinus. *Chr.* Fiet. *Pam.* Nunc te vi-  
rum

Præbe Pamphile, neque unguis, neque pugnus ejus  
time.

*Nis.* Vah, siccine rursus te ociosum hic stantem re-  
perio

Scelus? *Pam.* Eho, blanda atq; amica salutio.

*Nis.* Etiam rides pessime? næ ego te pro istis dictis,

Ac factis exercebo, ut ne impune in me

Illusisse videaris. *Pam.* Non agnosco te tam Troch.

Superbam, atq; efferam. *Nis.* Rursusne irrides pessime

**Troch. 4.** Hem quid cesso? aut cur non in oculos illi in volo  
 Sacrilego? *Pam.* Age, si quid lubet. *Nis.* Præsto sum.  
 Vapula

Trifurcifer, etiam referire audes sceleratissime?

*Chr.* Quid hæ sibi turbæ volunt? *Nisa,* cohibe iracundiam;

Et contendere cum marito, matronæ indecorum,

**Troch. 2.** Ac turpe esse existimo. *Nis.* Nihil ego moror  
 Talem maritum, cui jam spiritum interclusero  
 Ne me laceßat amplius. Quid istud? ah

Scelerate, quo me abripis? *Pam.* Hem subveni pater,

*Chr.* Adsum. *Pam.* Nunc lepidum faxo ut videatis  
 spectaculum.

*Nis.* O populares! succurrite, atq; opem ferre miseræ.

*Pam.* Jam ego procacitatem te docebo tuam,

**Troch. 4.** *Nis.* Subveni sodes vicina. Vah! hæccine  
 Fieri in civitate libera?

Subvenite, subvenite mihi obsecro.

*Pam.* Jam constricta, vinctaque est satis. Nunc agi-  
 tanda

Vsq; est mihi, ut hanc furiosæ mentis edormiscat

Insaniam. *Per.* O spectaculum novum, & nunquam

Visum antea! *Nis.* Prô Superi, atq; inferi omnes! *Pam.*

Oh, quiesce

Sodes mea *Nisa,* & temet ad somnum compone.

*Nis.* Vt te supremus perdat Jupiter. *Pam.* Dormi,

Dormi inquam, somnus hercle medebitur tibi.

*Chr.* Næ tu nugatores facetus Pamphile.

*Pam.* Hoc unum deerat illi patet, in cunis olim eam

Infantem non agitaßtis satis, hinc illa oritur moro-  
 sitas.

*Nis.* Ego pol modò te occidam sacrilege. *Pa.* Quiesce  
 Mea *Nisa,* mox anim iredibit sanitas.

*Nis.* O miseram! nemo me audit vociferantem?

Nemo infelici subvenit mihi? *Pam.* Ego mox subve-  
 niam,

**Troch. 2.** Vbi morbum tuum edormieris. *Nis.* Vê tibi

Mastigia, nam nemo me exorabit, quin te uti

Dignus

**Dignus es, jamjam ulciscar: neq; quisquam erit.**

**Qui non hoc merito à me factum dixerit,**

**Cum tanta me hac affeceris contumelia,**

*Pam.* Aliis tibi verbis erit utendum, si quidem

**Troch.**

**Hinc eximi velis. Nis.** Quid? an etiam me tibi

**Supplicaturam arbitraris sceleratissime?**

**Dissolve me, dissolve inquam. Vah,** discrutior mihi

**Cultrum deesse, quo hæc præcidam vincula:**

**Et quem deinde in pectus tibi recondam, hominum**

**Quos terra sustinet nequissimo. Per.** Mitte

**Minas mea Nisa, ac desine stomacharier:**

**Ego jam faxo ut solvaris. Pam.** Nemo illam hinc liberabit,

**Aut eximet mater, nisi prius frugi**

**Se in posterum futuram mihi promiserit.**

**Nis.** Egon' tibi illud promittam impudens? **Vah.** toxicum

**Tibi præbuero lubentius. Chr.** Age mea nata, promitte,

**Ego te solvam protinus.**

**Nis.** Suadere noli, nunquam faciam, quin mori malim

**Quàm non hanc tam insignem in me injuriã ulciscar.**

*Pam.* Et tamen id erit faciendum tibi, si his liberari

**Troch.**

**Vinculis velis. Chr.** Age Nisa. **Nis.** Non possum pater

**Chr.** Potes, sic te rediges in gratiam **Nis.** Parvi

**Ego ejus gratiam facio, qui mecum agit**

**Tam illiberaliter. Per.** Eja, quiesce, atque ausculta mihi,

**Tu te probam præsta posthac, ego tibi**

**Illum maritum fore polliceor commodum.**

**Nis.** Verba isthæc sunt. **Chr.** Fiet procul dubio ad me recipio,

**Troch.**

**Tu modo tuæ fac uti modereris iracundiæ.**

**Nis.** Vah, egon' me induci patiar, ut huic

**Supplex fiam? non pol faciam. Per.** Nihil isthoc erit opus:

**Tantum te officio probæ matronæ functuram**

**Promitte in posterum, Pam.** Imo nisi sua se delicta

**Troch.**

Posthac correcturam, mihi que per omnia  
 Morigeram, atq; obsequentem fore receperit,  
 Nunquam illam hinc eximam. *Nis.* Qs durum. *Pam.*  
 Tum contumaciæ, &

Tuæ procacitatis, qua in me es hætenus  
 Vsa, veniam velim preceris coram his tuis  
 Parentibus. *Nis.* Etiamne amplius? *Pam.* Delibera  
 Tecumq; statue, quid tibi faciendum fiet.  
*Per.* Ne tergiversare mea Nisa, faciendum est, nam in  
 cum

*Troch.* Jam res devenit locum. *Nis.* Ah, desine, nam nihil  
 agis

*Mater. Chr.* Non pœnitebit te facti, & nobis

*Troch. 2.* Qui consilium dedimus, gratias ages  
 Postea. *Nis.* Heu, quo inducitis miseram! *Pam.* Faciat  
 quod vult, nihil

*Moror. Per.* Faciet Pamphile. *Nis.* Age, age, faciam:  
 solve

Modo me, atq; his liberate vinculis: pudet  
 Enim me, atq; piget huius tantæ infamiæ.

*Troch. 3.* *Chr.* Hem, laudo, faciemus sedulo, soluta es, exili.  
*Pam.* Nunc quod promisisti, præstandum est tibi.

*Troch.* *Nis.* Quid? *Pam.* Eho rogas? procumbe ingenua,  
 Et tuorum delictorum nos veniam precare.  
 Hem, cessas? in cunas te per Jovem rursus  
 Conjiciam, ni id quod pollicita es effeceris:  
 Neq; toto te hinc eximam die. *Per.* Obsequere  
 Nisa: facile factu est, quod maritus imperat.  
*Nis.* Non video quo pacto hinc elabar, improbæ  
 Eius voluntati nisi morem gesserō:  
 Itaq; faciendum erit. *Chr.* Nunc te amo mea Nisa. *Nis.*  
 Ignosce Pamphile,

Et vos mei parentes, quod peccatum est, sarcietur in  
*Troch. 2.* Posterum. *Per.* Euge jam mihi places mea  
 Nata. *Pam.* Si tu probam mihi uxorem præstiteris,  
 Ego me tibi commodum maritum polliceor  
 Futurum, præcedite vos nunc intro, ego jam jam so-  
 quar.

Adver-

Advertite obsecro spectatores, quam lepidò,  
Facilique invento hanc actionem vobis ex Tragœ-  
dia

Commūtaverit in Comœdiam, Vos jam appelló viri,  
Qui morosas, difficilesque uxores habetis  
Domi, à me exemplum capite, non alia eas  
Ratione, aut modo emendaveritis melius.  
Nunc si quod actum est, vobis placuit, plaudite.

Troch.

Troch.



# VITVLVS FABV- LA LVDICRA.

## ACTORVM NOMINA.

COROEBVS,	Rusticus,
CANTHARA,	Corœbi uxor.
BACCHIS,	} meretrices.
SYRA,	
CHREMES,	Rusticus.
PINALDVS,	Lanio,
DORIO,	Pinaldi famulus.
SOSTRATA,	Chremetis uxor.
BERALDVS,	Exorcista,

## PROLOGVS.

*Iambici.*

Salutem vobis plurimam precor, viri,  
Sacfœminæ, huc quotquot venistis, scenicos  
Spectatum ludos: quos nunc exhibebimus  
Iocosos, atque ludicros: castos tamen,  
Atque verecundos. Obscœnos enim jocos,

I 5

Salef.



Salesque inurbanos noster didascalus  
 Cane pejus, & angue fugiendos sibi putat.  
*Nihil turpe* est rudi instillandum testulæ,  
 Quæ odorem, quo semel imbuitur, servat diu.  
 Et quanquam id hætenus cavisse sedulo  
 Se existimat; haud desunt tamen, qui in illius  
 Comædijs quædam parum pudica esse afferunt.  
 Qui falli, & tota mihi videntur errare  
 Via, Rerum, ac verborum castimoniam  
 Et puritatem amat, choragus noster, at  
 Superstitionem morosam, & nimis anxiam,  
 Terricamque curiositatem planè despicit.  
 Æquis hominibus, atque candidis suam  
 Probari cupit industriam. Dedit alias sacras,  
 Ex mysticis vobis depromptas litteris.  
 Iam ludicram, ac profanam accipite fabulam,  
 Locos, facetiasque hoc tempus postulat.  
 Advertite obsecro argumentum fabulæ.

## PERIOCHA.

*Trimetri Iambici.*

Coræbus ab uxore ad mercatum mittitur,  
 Qui de via fatigatus, divertit ad  
 Cauponam: ubi à meretriculis potu obrutus,  
 Vitulino tergori insuitur, atque ebrio  
 Chremeti venditur pro vitulo. Accersitur  
 Manè lanio, qui voce Coræbi territus.  
 Fugit: dein' exorcista vocatur, ut suis  
 Furentem incantamenti placet belluam.  
 Hic quoque metu tremens abit. Mox cognito  
 Fuco, ridetur affatim. Coræbus à  
 Chremete, & sostrata domum ductus, redit  
 In gratiam cum uxore decepta dolo.)

## ACTVS I. SCENA I.

## COROEBVS.

*Iambici.*

Næ ego hominum, qui vivunt, sum infeliciſſimus  
 Cui

Cui tam molesta, ac rixosa uxor contigit.  
 Quæ non humaniter me, atque ut bonam uxorem  
 Decet, tractat, sed quæ miserum durissimis  
 Quotidie, atque adeo indignis exercet modis,  
 Non maritum me suum esse deputat,  
 Sed vernam potius, aut mancipium vilissimum.  
 Nulla mihi per eam quies, nulla intermissio  
 Conceditur laboris: neque me respicit  
 Quicquam, neque ætatem meam.

Troch. 3.

Molesta, superba, procax, morosa, contumax:  
 Æquum sit, an iniquum, quod imperat, nihil  
 Videt, nihilque pensi habet.  
 Cui si pergas repugnare, irrites magis.  
 A solis ortu usque ad occasum aut domi,  
 Aut in agro sudandum, & laborandum est mihi.  
 Nunc sunt mulgendæ vacæ, nunc curandi equi.  
 Nunc frumentum flagellandum, nunc defricanda  
 Mulctralia, nunc purgandum stabulum. Denique  
 Nullum ocium datur mihi: neque eam miseret mei  
 Vnquam: verum hoc unum illi curæ est maximè, ut  
 Sibi sit benè, cum mihi est malè.

Porro ad mala hæc istud quoque accedit, mihi  
 Quod multo omnium est gravissimum:

Nimirum quod me illa uti hominem infulsam, atque Troch. 4.  
 fatuum

Contemnendum atque adeo illudendum proponat  
 sibi.

Me caudicem, bardum, stupidum, insipidumque esse  
 usque clamitans.

Quæ nisi omnia patienter feram, aut si me unico  
 Saltem verbo excusare, aut illam refellere  
 Parem, ex insana insaniorem eam reddo mihi:  
 Cui ego malo quod remediū inveniā, plane nescia.  
 Sed crepuit ostium, at at, ipsa exit foras.  
 Væ capiti, scapulisque meis, nisi me sedulo  
 Laborantem conspiciat. Mulctrale igitur hoc  
 Mihi defricandum, ac abluendum sumam. Sic  
 agam

Troch. 2.

Troch.

**P**ROVISO quid meus agat cessator : quo non puta  
 Alium magis esse ignavum, tardum, ac desidem  
 Vsq̃dam, stipitem, non hominem esse dixeris.  
 Hebes est, iners, vecors, ac stolidus, sterit noctes, &  
 dies.

Næ ego infelix sum, quæ tali marito nupserim?  
 Sed eccum caudicem, adoriar.

Probè, ut putat, officio nunc fungitur suo:

Qui cum se maximè movet, nihil promover.

Hem, quid agis furcifer? *Cor.* Blâda hercule salutatio.

*Can.* Quid tecum mussitas mastigia? *Cor.* Nihil mea  
 Canthara.

*Can.* Nihil? hem, negas? Quid de salute garriebas impudens?

*Cor.* Salutem tibi præcabat plurimam. *Can.* Credo, ut  
 soles.

Sed ausculta; ut scias, quid absque mora sit agendum  
 tibi.

*Cor.* Quid an rursus me ablegare paras quopiam?

*Can.* Itane statim responsas? vah, crucior mihi  
 Fustem deesse, quo scapulas tibi conteram ignavissima.

*Cor.* Hem perge sodes mea Canthara. *Can.* Faciam,  
 at vide, ne me

Adeundem inturbes modum. *Cor.* Non fiet. *Can.*  
 In oppidum

Tibi esteundum protinus. *Cor.* Eho, in oppidum?

Mulctrale igitur hoc deponam, sed quid eo? dic mihi  
 Canthara

*Can.* Tergus vitulinum, & ova, quæ collegi plurima,  
 ad

Mercatum deferes, præterea ex gallis alterum.

*Cor.* Quid gallum? quamobrem quæso? *Can.* Quia  
 nihil aliud

Quam

Quam totos pugnant dies. Neque mirum, *cum mi-* Troch. 2.  
*cum*

*Arbustum non alar duos erithacos.*

*Cor.* Quid hoc sibi vult proverbium? *Can.* Tace stolidè, &

Tua quod nihil refert, omitte percontarier.

*Cor.* Probè herclè intelligo, quanquam tuum arbustum

Non admodum gravatè aluerit duos. *Can.* Tace inquam,

Et ad iter te accinge, ac perones indue. I

Intro, parata tibi reperies omnia.

Me miseram! quam vereor ne hæc etiam malè cures, factu tamen

Quæ sunt facillima: adeo nihil sapit caudex.

Et animus, nescio quid mihi præfagit mali.

*Cor.* En redeo uxor, probè, uti conspicias, ad viam

Instructus. *Can.* Video: sed ubi tergo vitulinum cedo?

*Cor.* Quia non potui simul omnia. *Can.* O hominem ignavissimum!

Ehem, adfer ocys. *Cor.* Hic est. Sed quomodo

Gestabo cuncta hæc, quæ vix asinus, aut mulus ferat?

Et, ne ova frangam, metuo. *Can.* Quid cessas tardissime?

Ego tibi modum, quo facillè gestes, ostendero.

Demitte caput. *Cor.* Quid tu nunc incepras? *Can.* Ita

Gestabis commodè? sine. *Cor.* Hem. sino. Quis nunc tibi

Videor? *Can.* Quis? alter Hercules:

Troch. 2.

Non leonis, sed vitulino tergo

Formidabilis. *Cor.* Clavam insuper mihi

Da, ex qua corbem suspendam gallinariam:

*Can.* Rectè dicis. Hem tibi. *Cor.* Sic incedam commodè

Troch. 2.

Et, ne ova frangam, nullum jam erit periculum.

Sed dic mihi quanti hæc vis vendi omnia? *Can.* Singula

Ven-

Vendesstupide, non omnia simul. *Cor.* Etiam ova?

*Can.* Garris? de gallo, & tergo re loquor. *Cor.* Nunc  
Intelligo.

Sed quanti vendam? cedo sodes. *Can.* Gallum decem,  
Tergus triginta, si potes, sestertijs.

*Cor.* Curabo sedulo. *Can.* Sed audin' pluris indica.

*Cor.* Scio. *Iniquum petam.* ut quod est æquum feram.

*Can.* Tenes. De ovis nihil habeo quod mandem tibi  
In his vendendis fac foro te accommodes.

*Cor.* Memorem dices te monuisse mea Canthara. At  
Priusquam me in viam dem, lactis obsecro

Mihi adfer cymbium. *Can.* Adferam *Cor.* Benigne

Dicis, nunc te laudo. *Can.* Hem, ad satietatem jam  
bibe.

*Cor.* Non herclè est ferenda sitis. Nectar hoc mihi  
sapit.

*Troch.* Lac. *Can.* Cessatum est satis. I, & negotium tuum

Fac exequare gnaviter, quodque alias est

Peccatum nunc ut sarcias vide. *Cor.* Dabo operam  
sedulo,

Vale. *Can.* Vale, ac matura reditum. *Cor.* Audio. Cras  
admodum mane

Faro reversum me videas. *Can.* Hem quid ais? pessime

Excipieris, nisi revertaris vesperi.

*Coe.* An avem me nunc esse putas, quem testudinem  
Appellare soles?

### ACTVS I. SCENA III.

#### CANTHARA.

##### *Eiusdem generis*

..... Abijt tandem furcifer:

Atque utinam redeat nunquam. Ego ædepol eam

Iacturam parvi momenti esse deputem.

Nam quam quæso mulierem usquam reperias, quæ  
non

Libenter, atque adeo cupidè tali careat viro?

Non arbitror in toto hoc viço similem huic inveni-  
rier:

Adco

Adeo ejus stultitia, atque socordia superat omnia. Troch. 3.  
 Atque ideo nihil est, quod tutò illi commiseris.  
 Quare non mediocriter vereor, ne hoc quoque negotium.

Nunc malè curret stùpidus. Tum cauponas metuo,  
 Quæ simplicibus insidiari solent agricolis.  
 A quibus hic noster quamvis delusus sit sæpius,  
 Tamen, ne rursus illi verba dent, periculum  
 Esse puto maximum, namque os illi subleverint  
 Facillimè: præsertim si vel unicum  
 Cerevisiæ biberit cantharum. Itaq; lactis cymbium  
 Illi dabam libenter, ne sitiret in via.  
 Nunc ad vicinam hanc ibo Lesbiam, atque de optima  
 Vt mihi cerevisia promat jubebo, mox  
 Sub vesperam domum redeo. Quo tempore  
 Si nondum reversum nostrum cunctatorem reperiero,

Væ illius scapulis, quas tam molles, atque pulcem reddam ei. Troch.

## ACTVS I. SCENA IV.

## COROEBVS.

*Eiusdem generis.*

**D**E via, atque bajulandis oneribus  
 Plane me defatigatum esse sentio.  
 Neque id mirum profectò, cum & gravissimum  
 Pondus sustineam. & solis æstus hactenus  
 Perpetuò tolerandus fuerit mihi. Nunc ad  
 Urbem me tandè devenisse gaudeo: ibi, ut existimo,  
 Quiescendi dabitur locus atque utinam emptorem  
 statim

Inveniam, ut ante vesperam mihi domum  
 Reverti liceat. Atque istud ni fiat: vix capiti meo:  
 Quod totum uxor mihi tuber reddet undique.  
 Quanquam id jam defessum est satis,  
 Etiam si verberibus non contundatur in super.  
 Utinam hic esset aliquis, qui hoc tergus mihi exuat.  
 Sed solus sum, neque quenquam huic accedere

Con-

Conspicor , ipse ut mihi sim adiutor necesse est. Id  
agam.

Nunc hinc recta via ad forum me confero.

ACTVS II. SCENA I.

BACCHIS, SYRA.

*Iambici.*

**P**Er paucos pol Syra reperias meretricibus  
Fideles evenire amatores, vel Phormio  
Hic vicinus noster, quoties jurabat Bromiz,  
Quam sanctè, ut qui vis facile posset credere,  
Se nunquam illa viva aliam ducturum domum,  
Hem, duxit. *Syr.* Scio, peccatum ab ipso maximum  
est.

*Troch. 2.* *Bac.* Id illi nil morantur perfidi : huc tantum  
Incumbunt, ut blanditijs suis precio  
Quam minimo voluptatem suam expleant.  
Nam forma impulsu vestra, vos illi colunt:  
Hæc ubi mutata est, aliud animum continuo conse-  
runt.

Nisi prospectum est interea aliquid vobis, desertæ  
vivitis.

*Syr.* Verum mihi videre, Bacchis, dicere.

*Bac.* Nunc itaque te moneo, atque exhortor sedulo,  
Ne cuiusquam istorum te unquam misereat, quin  
Spolies atque mutes, quemcunque nacta sis.

*Syr.* Itane, ut eximium neminem habeam? *Bac.* Ne-  
minem.

Nam veluti vos illi ex animo non diligunt,  
Sic à vobis pecuniam illorum potius, quam eos  
Amari convenit. *Fragile, fluxum, ac fugax*  
Bonum est forma, hæc priusquam deperit, tibi  
Consulas necesse est. *Syr.* Memorem dices te mo-  
nuisse. Quin

Et me, & meum amorem & vitam permitto tibi:  
Te, quæ ætate, & prudentia me maiores,  
Opera, atque tuo consilio ut me adjuves rogo.  
*Bac.* Faciam pol sedulo: tu dicto pareas vide.

*Syr.*

*Syr.* Pro viribus enitar mea Bacchis, ut per omnia  
Tuis me admonitionibus obsequentem præbeant.

*Bac.* Facis ut te deceat. At miror huc nullum hodie ex  
civibus

Potatum divertisse, cum tamen magnus

Toto hoc die fuerit æstus *Syr. Penuria ac*

Annonæ caritas frugalitatem nunc docet

Plurimos *Bac.* Est ut dicis. Spero tamen

Ex ditioribus adolescentes aliquot, aut rusticos

Bene nummatos, huc venturos sub vesperum.

*Troch.*

*Syr.* Ego agricolas non minus opto, quam cives, ex  
quibus

Lucrum plerumque nobis provenit uberius.

*Bac.* Verè tu istud. Sed nisi quid me fallunt oculi,  
procul

Video adventare, nescio quem, onustum probe,

*Syr.* Nihil fecellit te prospectus: rusticus

Est, ædepol, sua, quæ non potuit vendere,

Ex urbe domum refert. *Bac.* Illam prædam nostram  
fore

Spero, observemus quid sit acturus. Si longius

Ire pergar, blanditijs eum, atque commodè

Loquendo detinebimus. *Syr.* Oh, testè, placet.

## ACTVS II. SCENA II.

### CORQEBVS.

*Eiusdem generis versus.*

**V**T te Dij Deæque uxor perdant, quæ me à pran-  
dio

Hodie ad mercatum miseris, meque adeo, qui

Tibi paruerim & non flocci, nihilique fecerim.

Credo ego fecisse illam hoc de industria, quo me

Vltro citroque currando fatigaret miserum:

Aut quod sola voluit esse domi, aut ad Lesbiam

Vicinam nostram potatum ire, quo incio

Me sæpe comseat. Nam nisi tale quid esset, cur ob-  
secro

A meridie me ablegasset? quo tempore

*Par. III.*

**K**

*Alco.*



Troch.

*Alcedonia* in foro esse solent. Sedi ibi diu:  
Cum interea nec licitator, nec emptor ad me quis-  
piam  
Veniret? tandem cum spes nulla vendendi mihi  
Istic superesse videretur, surgo, ac totum oppidum  
Perambulo: neque emptorem invenio tamen.  
Nunc itaque domum reverti certum est: non tamen  
Prius quam in diversorio  
Hoc proximo famen, ac sitim sed a vero.

## ACTVS II. SCENA III.

BACCHIS, SYRA, COROEBVS.

*Eiusdem generis.*

Satis istic subsistit diu, nunc huc viam affectat:  
Præda hæc pol nostris digna est unguibus: blandè  
Hominem compellabo & tu orationi fac  
Subservias. *Syr* Faciam; nam quomodo id fieri soleat  
Calleo. *Cor.* Cauponam occam cum ancilla ante  
ostium

Stare video, commodè hercule. *Bac.* Noster est  
huc se

Deflectit, atque adeo is est, quem nunc maximè  
Nobis dari velim. *Syr.* Nostin'? *Bac.* Probè. *Coro-*  
bus est,

Homo stolidus, & insulsus: præsertim cum is bibis  
Plus paululo: quod pol libenter, & cupidè facit.

*Cor.* Salvere matronæ. *Bac.* Corœbe salve. *Cor.* Quid  
nostin'

Me & quo appellor nomine? *Bac.* Quidni, cum non  
semel

In ædibus his nostris potaveris. *Cor.* Iam etiam sitis  
Ingens me torquet, nec minor fames. *Bac.* Bene  
Habet: ego isti malo remedium facilè invenero.

Troch.

Ingredere, atque onera hæc deponere. *Cor.* Non est  
tempus

Ingrediendi, appetit vespera, & iter mihi  
Restat longius. *Syr.* Hem, intra sodes. *Cor.* Non her-  
cule

Faciam.

**Faciam.** Hic pro foribus confidebo, tu cerevisiæ

**Mihi** prome cantharum, ipse, quod comedam, mecum attuli.

**Bac.** Næ tu frugaliore, quam par est. Quod si tales cæteri

Essent agricolæ, ad restim propediem cunctis

Iam deventura res esset cauponibus.

**Cor.** *Magnum vestigal* parumonia est. **Bac.** Etiam sententias

**Tenes** Coræbe? **Cor.** Teneo. Sed verborum jam est satis.

**Prome** potius: fauces enim ariditate crepant mihi,

Ego merendam, quam attuli domo, super

Scabellum hoc apponam. **Bac.** Abi Syra, ac prome ocyus.

**Cor.** Non herclè sapit cibus, nisi prius aridum

Guttur potu colluero. **Syr.** Coræbe, hæc fausta sit

Tibi cervisia. **Cor.** Euge beatti, cedo cantharum

Sodes. **Syr.** Accipe. **Bac.** Quo pacto illa tibi sapit cerevisia? **Cor.** Ut

Nectar merum. **Bac.** Bibi largius. **Cor.** Quid etiam largius?

Totum ebibi. **Bac.** Hem, benè fecisti, laudo. Syra

**Prome** iterum: atque audin', diligenter annota.

*Syr.* In

Hoc obliuiosa, aut tarda soleo esse minimè.

**Troch.**

**Cor.** Nunc mihi cibus sapere incipit meliusculè:

**Syr.** Hem, accipe Coræbe plenum cantharum. **Cor.**

Bene

**Facis**, nam etiam nunc sitio, tanta est sicci gutturis

**Troch. 22**

Ariditas. **Bac.** Quin bibe largiter, cerevisia optima est.

**Cor.** Talis herclè videtur mihi. Quod est tibi

**Troch.**

Nomen? **Bac.** Mihi? Bacchidem appellant. **Cor.** Hem,

Bacchidem?

**Ego** poltalem Bacchidem, quam Bacchum malim.

*Syr.* Eho, bene,

**Atque** faceret. **Cor.** Quod tibi iuvencula? **Syr.** Syra:

**Cor.** Meminero

Probè. Præbibo tibi Bacchis. *Bac.* Sit saluti  
Coræbe. Indulge genio, atque hilarem te præbe.

*Cor.* Hem, Syra,

Micas istas da gallo, ac potum etiam admove,  
Ne, dum ego sature sum, ille pereat inedia. *Syr.* Curabitur.

*Bac.* Estne hic gallus venalis? *Cor.* Est, & cætera  
Etiam: tergus nimirum vitulinum, atque ova omnia.

*Bac.* Quanti indicas? *Cor.* Singula non omnia simul ut  
Vendam, mea mihi præcepit Canthara. *Syr.* Valeat

Illa: an tu, cum vir sis, mulieri parendum tibi  
Putabis stulte? Vah, magna pol te, & alios viros  
Ignominia afficis. Quanti? indica sodes. *Cor.* Non  
herculè

Faciam: memini enim in mandatis quid sit datum  
mihi

*Bac.* Hem, præbibo tibi Coræbe. *Cor.* Habeo gra-  
tiam

Mea Bacchis. *Bac.* En totum ebibi, tu uti respondeas  
Vide. *Cor.* Bona fide? *Bac.* Optima. *Cor.* Bene fecisti,  
cedo cantharum

*Syr.* Promam. *Cor.* Quid cessas? non herculè commit-  
tam à muliere

Ut superatus videar. *Syr.* Hem tibi. *Cor.* Quid nunc  
ais Bacchis?

Quid tu autem Syra? *Syr.* Virum te præbuiisti stre-  
nuum: laudo.

*Co.* Nunquam etiam usquam fui, quin omnes me lau-  
darent plurimum.

*Bac.* Nihil mirum: nam merito istud semper tibi ac-  
cidit tuo.

*Cor.* Oh, recte. *Syr.* Non sentit caudex sibi palpum ob-  
trudier.

*Bac.* Coræbe, quo nunc animo es? nondum has tuas  
Vis vendere merces? *Cor.* Ova primum à me emite,  
mox

De reliquis videro. Ecce contemplantini,  
Recentia sunt omnia. *Syr.* Coræbe, præbibo

Tibi

Tibi dimidiatum hunc cantharum. *Cor.* Totū ebibe.  
*Syr.* Lubens id fecero, si idem te facturum promittas  
 mihi.

*Cor.* Promitto. quid cessas? *Syr.* Hem tibi. *Cor.* Bene  
 fecisti Syra.

*Syr.* Corœbe, recentem tibi promam cantharum.

*Bac.* Propera. *Cor.* Mea Bacchis, mea festivitas,  
 quanto

Nunc mihi formosior videre, quam dudum,

*Bac.* Et tu pol multo hilarior. *Sine Cerere,*

Et Baccho friget Venus. *Cor.* Euge osculum mihi

Da mea vita *Bac.* Neque hoc, neque si quid aliud  
 amplius

A me petas, tibi negandum existimem.

*Syr.* Accipe Corœbe, atque ebibe. *Cor.* Nihil est quod  
 æque fecero

Lubens. *Bac.* Vt bibit helluo, nã nos te, ut dignus es,

Exercebimus *Cor.* Oh, nunc demum mihi vivere

Lubet. amplectere me obsecro Syra cum suavio.

*Syr.* Faciam & lubenter & depol. *Cor.* Non tam ne-  
 ctar sapit,

Quam istud osculum. Sed vespera appetit.

Troch.

Abeundum nunc erit mihi: si modo domum

Luce venire velim, & metuo ne uxor ebrium

Me esse sentiat. *Syr.* Manebis hic Corœbe,

Si nos audias, neque sub noctem te dederis in viam.

Troch. 2.

*Cor.* Nihil agitis subducatur ratio, quot cantharos

Promisti Syra? *Bac.* Mitte isthuc, ac bibe largius.

Eho propino Corœbe. *Cor.* Sit salutiferum mea

Bacchis. Sed tamen abeundum est mihi: quo mea  
 animo nihil

Est ægrius. *Syr.* Valeant ista, & nobis bene consulē-  
 tibus

Obsequere sodes. Quam non sit tutum, de nocte per  
 Viam ire hominem solum, nosti, *Cor.* Surgendum est  
 tamen. At at, quid hoc?

Vicit cerevisia quam bibi. *Syr.* Nimirum hoc Bac-  
 chidis

Troph.

Consilium rectum erat: ut apud nos hic manere  
 Corœbe. *Cor.* Agitedum, si id mihi arbitramini  
 Expedire, faciam. mos gerendus est  
 Bacchidi. *Bac.* Corœbe nunc mihi videris  
 Sapere. Hem, solum illum recipe Syra. *Syr.* Hic mihi  
 latus

Dextrum claude Corœbe. *Cor.* Osculum mihi da,  
 mea

Vita. *Bac.* Hem tibi cantharum, *Cor.* Incunda oratio,  
*Syr.* Polebrius est totus *Bac.* Iam jam in nassam in-  
 cidet:

Nunquam enim hodie casses evaserit meos.

*Syr.* Tota hæc præda est nostra. *Cor.* Ut sapiunt ova  
 mea? *Bac.* Labitur:

Hem sustine illum Syra. *Syr.* Ego eum nihil moror.  
 Labatur fuscifer. *Bac.* Ha, ha, hæ, in caeabum incidet,  
 Aqua: eplerum sordidas ut abluat nates,  
*Syr.* Spectaculum risu dignum. *Bac.* Extrahamus pec-  
 cus:

Ne forte expergiscatur, si quis sentiens.

## ACTVS II. SCENA IV.

### BACCHIS, SYRA.

*Ejusdem generis.*

**Q**uid? quid venire in mentem nunc potest mihi?  
*Syr.* Quidnam? *Bac.* quo ludos hic aliquos faciam  
 lepidos;

Si modo fortuna se secundam præbeat

Mihi. *Syr.* Quid istud obsecro? *Bac.* Ridebimus af-  
 fatim,

Ut opinor, nec ea res nobis incommoda

Erit Syra. *Syr.* Oh, quo pacto? dic sodes. *Bac.* Age,

Dicam, at primum tu gallum, atque ova intro aufer,  
 Hæc

Ut nobis cedat præda, efficiam calidè.

*Syr.* Eo, quanquam quid in hæc pres, non intelligo.

*Bac.* Quia majus hinc nobis spero lucrum, si Fors

Modò faverit. Ut stertit sterquilinum. Næ ego

Te

Te exercebo probè. *Syr.* Hem redeo. Nunc , quid  
facere

Constitueris, dic mihi amabò. *Bac.* Ausculta. Ebrium  
Hunc tergori involvemus , & consuemus undique,  
Eumque modo sub noctem rustico alicui

Poto venum obtrudemus pro vitulo. *Syr.* Vah, cal-  
lidum

Consilium, modò venerit aliquis. *Bac.* Bene omina-  
re : non

Diu erit, quin mirum conspicias spectaculum.

Hem, tu filium , atque acum mihi expedi. *Syr.* Ef-  
fero.

*Bac.* Credo hanc rem nobis successuram ex senten-  
tia

Adeo mens mihi, nescio quid præsagit boni.

*Syr.* Hem Bacchis, accipe acum , & filum satis ton-  
gum,

Vt arbitror. *Bac.* Tu hic nunc esto adjutrix mihi.

*Syr.* Iuvabo sedulò. *Bac.* Crumenam ei primum adi-  
mam : Nihil

Omnino sentit caudex ; mortuum illum dixeris.

Quid cras futurum arbitrare *Syr.* crapulam

Cum edormierit; Sed video huc adventare, nescio

Quem. Dij nos respiciunt *Syr.* Is pol ebrius

Est quoque , nisi oculi hallucinantur mihi. *Syr.*  
Bene

Mecastor factum, gaudeo. Hic jam colligatus, &

Consutus est satis. Vide obsecro Bacchis,

Malè peream, nisi vitulum esse putaveris.

*Bac.* Rectè. Sed aliud est quod nunc ago. Viden?

Accedentem? *Syr.* Quid ni. Ebrius est totus. *Bac.*

Ego meo hunc circumveniam modo.

## ACTVS II. SCENA V.

CHREMES, BACCHIS, SYRA.

*Ejusdem rationis versus.*

**N**Æ nos eutem curavimus , genioque indulsi-  
mus

Laurè, atque prolixè, à summo mane usque ad vespèrum.

Vtinam talis mihi sæpe eveniat compotatio,

In qua me plane asymbolum

**Troch. 2.** Fecit vacca, multo plaris, quam emeram,

Vendita. *Bac.* Audin', quid dicat Syra?

*Syr.* Audio, Vaccam se gloriatur ex sententia

**Troch.** Vendidisse. *Bac.* Ita est. *Chr.* Sed antequam domum

Me conferam, vicinæ hæ mihi mulierculæ

Sunt compellendæ, atque ab iis osculum petendum.

In quo quidem minimè difficiles fore eas arbitror.

*Bac.* Pro jupiter! vicinus hic noster Chremes

**Troch.** Est, nullum nunc mihi magis optarim dari.

Hic faceto nobis illudendus joco.

Namque hominem magis emacem, ac vendacem illo invenias neminem.

*Chr.* Sed eccam, commodè pro foribus stare utramque conspicio.

Quod de Syrenibus poëtæ fabulantur, id

Hac prætereuntibus accidit quotidie, quos suis

Blandicijs illæ in fraudem illectant, ac malis

Gravibus multant sæpissimè. Sed ego mihi

Ab eis caverò. nam non ingrediar: ac foris

Cum illis paulisper fabulans,

Non nisi unum mihi promi jubebo cantharum,

**Troch.** Dein' domum recta me recipiam via. *Bac.* At

Nos te tractabimus ut mereris furcifer;

Huc te qui contulisti in tempore. Lux dubia dolis

Ac fraudibus est accommoda. Alloquar Salve

Chreme. *Chr.* Eho salvet mulierculæ. Quem ante ostium

Hic præstolamini tam vesperi? *Bac.* Lucri

Bonus odor evocavit nos foras. *Chr.* Recte. Sed osculum

Ab utraque mihi volo. *Syr.* Nihil detrectamus. *Chr.* Bene

. Herculè fecistis laudo. prome cantharum.

*Syr.*

*Syr* Fiet. *Bac.* Hilaris pol nunc plane mihi videris

*Chreme.* Credo hunc tibi diem illuxisse prospere.

*Chr.* Prospertime, tales ego mihi optatim plurimos.

*Bac.* Et nobis quoq; felix, faustusq; fuit satis.

*Syr.* *Chreme* accipe cantharum. *Chr.* Cedo. Sed dic mihi

*Sodes* *Bacchis*, quidnam id sit, quod vobis hodie accidit

Feliciter? *Bac.* Dicam. Vitulum emimus modo.

Bene admodum saginatum ex sententia.

*Chr.* Vbi iste est? *Bac.* Eccum eum. *Chr.* Crassus hercle, ac pinguis

Est totus. Sed rursusne hunc vultis vendere?

*Bac.* Volumus, si emptor contingat commodus. *Chr.* Mihi

Eum vendite: pecuniam numerabo protinus.

*Troch.*

*Bac.* Placet. *Chr.* Quanti indicas? *Bac.* Florenis quatuor. *Chr.* Ah,

Nimio profecto. tres dabo. *Bac.* Vah, itane *Chreme*

Licitare? mirum ni esse furtivum putes.

*Chr.* Age age, decem adjiciam sestertios. Satis

Id sit vobis. *Bac.* Sed presentem pecuniam,

Vt dixi, numerari nobis volumus. *Chr.* Dabitur sta- *Troch.* tim.

*Bac.* Agedum, ratum esto. *Chr.* Nunc tibi præbibo *Bacchis*.

*Bac.* Bibe largiter *Chr.* Bona hercule est cerevisia.

Sed vitulum statim à vobis velim

In haram hinc abducier. cras admodum mane

Jubebo vocari lanionem. *Bac.* Pecuniam

Prius numera. *Chr.* Accipe, lecta est, conveniet numerus,

Quantum promisi. Quin duo sestertii

Superfunt, quos pro cerevisia puta. *Bac.* Adjuva

Me *Syra.* *Syr.* Præsto sum. *Bac.* In hara concludamus pecus.

*Chr.* Ibi te oblecta: supremum supplicium crastino

Lues die. *Bac.* Nunc intro abeamus hinc *Syra.*

K 5

Næ



Næ nobis hic ludus cessit feliciter.  
 Dij boni, quantus cras populi erit risus.  
 Vbi noster hic innotuerit fucus. Nunc ostio  
 Clauso, nos ad somnum componamus. *Syr.* Recte me-  
 nes,

## ACTVS III. SCENA I.

## CANTHARA.

*Iambici.*

**M**E miseram ! vix sum compos animi , ita ardeo  
 iracundia,  
 Neque somnum hac nocte oculis vidi meis. Quin  
 nescio

Quid suspicer, aut quid ei evenisse cogitem.  
 Sed dubium non est, quin in ganeum aliquod se im-  
 merferit,

Vbi totam hanc noctem inter meretrices degit sua-  
 viter.

Næ ego illum modo domū ubi redierit, ut dignus est  
 Exercebo mastigiam. Ah quam nunc illum mihi  
 Dari velim, ut in eum hanc animi evomam ægritu-  
 dinem ;

Utrq; in capillum illi involem , oculosq; unguibus  
 Exsculpem sceleratissimo . qui me sibi  
 Tam audacter, & impudenter illudendā existimat :

Mox supplicans, opinor, aderit. Sed nihil  
 Aget, nimium pol errat, si me precibus, aut  
 Lachrymis placari posse putat. Satis, satis  
 Jam uxor lenis, ac placabilis fui,  
 Iram nunc ejus faxo ut sentiat, cuius patientia,

Ac lenitate turpiter est abusus hactenus.

Si ille sibi in prostibulis, & diversoriis

Consumendum arbitratur, quod comparcimus

Nos, nostrum defraudantes genium, ego vicissim

Eum probe excipiam , ac in tempore prospiciam  
 mihi.

Sed fortasse aliud erit, quod illum sit remoratum tam  
 diu.

*Istud*

Istud quidem velim, quanquam ne sit quod suspicor  
Nimium vereor: ubi ubi est, celari non poterit diu.

## ACTVS III. SCENA II.

CHREMES, PINALDUS; DORIO, COROEBUS.

*Eiusdem generis.*

**Q**uid isthuc: itane ad clarum dormivi diem?  
Et tamen adhuc nox multa oculis inest meis;  
Neq; hesternam etiã nunc satis edormivi crapulam,  
Nimis herclẽ largiter posaveram, & gulam  
Ad summum oppleram luxu dapfili, neq;  
Sine magno etiam meolũcro, atq; comodo.  
Mitto jam vaccam, nimio venditam. Vitulum insu-  
per

Emi à vicinis hic meretriculis bene  
Saginatam, ac pinguem precio admodum vili;  
Quem jam mihi maſtandum puto: itaq; lanio nunc  
Huc erit accersendus Pinaldus. Quin Syro  
Famulo nostro id dabo negotii: sed commodẽ, &  
Per tempus video cum huc accedentem cum ser-  
vulo.

Securitaliisq; armis probẽ instructum: nihil  
Posset mihi nunc accedere opportunius.

*Pin.* Move te Dorio. *Dor.* Moveo me herclẽ sedulò.

*Pin.* Credo, sed aut nihil, aut parum

Promoves, non cogitas jamdudum septimam

Præterisse horam? Sed Chremetem ante ostium

Consistentem video, Hui, tam manẽ, qui heri

Tantum biberat. *Chr.* Hem, salve Pinalde. *Pin.* Eho,  
Chreme

Quid te tam diluculo è lecto evocavit?

Res seria sit oportet, non tibi dolet caput?

*Chr.* Mitte isthuc, aliud nunc agendum erit tibi,

*Pin.* Si qua in re mea opera tibi fortẽ est opus,

Age, impera, ac factum puta. *Chr.* A vobis heri

Digressus, emebam vitulum. *Pin.* Quid, vitulum tam  
vesperi? *Chr.* Hunc

*Velim*

Velim nobis mactes. *Pin.* Quanquam alio propero,  
tamen quia

Amici sumus, effectum id tibi dabo statim.

Sed ubi est vitulus? *Chr.* In hanc reperiens: *Pin.* Extrahe  
Dorio.

Ego cultros expediam. *Dor.* Faciam hercule sedulo.

Hu, hu, erige te. *Cor.* Quid vis tibi? *Dor.* Pro Jupiter!

Quid isthuc est monstri? succurrite obsecro.

*Pin.* Quid vociferare, aut quidnam expalluisti Dorio?

*Dor.* Formidine pol me iste exanimavit vitulus. Si  
modo

Vitulus dicendus est, & non potius cacodæmon qui-  
spiam.

*Chr.* Dii meliora Dorio. *Pin.* Ipse cum adoriar.

Hem, surge, surge. & progredere. *Cor.* Sine, sine me  
*Pin.* Deum.

Immortalem! quid hoc est prodigii? metu

Animus plane obstupuit mihi. In malam crucem

Chreme hinc abi tuo cum vitulo. Dorio, sequere

Me: nolim mihi cum isthoc monstro quicquam esse  
negotii.

### ACTVS III. SCENA III.

#### SQSTRATA, CHREMES, COROEBVS,

*Eiusdem generis.*

**Q**uas excitari hic turbas audio, Chreme,  
Quid extimulisti? aut quid palles? fatin' salva

Res? Hem taces? *Chr.* Quid ego tibi dicam miser?

Quem heri vitulum emi, cum negant esse vitulum.

*Sof.* Quid igitur? *Chr.* Quid? cacodæmonem. *Sof.* pro-  
hibeant hoc

Superi. *Chr.* Lanio cum famulo aufugit territus.

*Sof.* Mira prædicas. *Chr.* Atqui verissima.

Quod si forte mihi non credis, rem ipsa experire

Haram ingressa. *Sof.* Ah, tun' me quod ipse non audes,

Facere jubes? *Chr.* Bis jam tentatum est, neq; sine

Magno periculo. *Sof.* O viros fortes, ac strenuos!

*Chr.* Siccine ais? accede propius, si tuto te id facturam  
putas.

*Sof.*

**Troch.**

*Sof.* Næ ego formidolosa sim, vitulum mihi  
Si metuendum esse existimem. Her, her, satis dormi-  
visti diu.

Surge hic dies tuæ neci

Est destinatus. *Cor.* Vah, sine dormiam. *Sos.* Dij boni!

Servate me obsecro. Chreme, succurre miseræ

Mihi. *Chr.* Quid nunc ais Sostrata? satin; credis

Non esse vitulum? *Sof.* Eheu me infelicissimam!

Genua terrore mihi succidunt. Hem sustine

Me oro Chreme. *Chr.* Næ ego hunc vitulum emi au-  
spicio malo.

*Sof.* O rem prodigiosam! Quid agimus nunc? aut quid  
das consilii?

*Chr.* Neque quid dicam herclè, neq; quid consulam  
scio:

Ita mihi mentem ademit hoc inexpectatum

Malum. *Sof.* Tamen consilium nobis erit inveniendū  
Chreme.

*Chr.* Quid si exorcistam huc accersi jubeamus, ut

Pecudem incanter, malumq; istum genium, qui eam

Exagitat, expellat. *Sof.* Placet: namque incantationi-  
bus

Magnam, atq; admirabilem vim inesse prædicant.

*Chr.* Ego ad illum eo, tu me domi operire, dum

Redeo. *Sof.* Propera. Enim vero quid suspicer,

Aut quid conjectem nescio: nisi à Deo

Nostris criminibus offenso, hoc incommodum

Esse immissum. Nam ex qua alia causa tam grave

Nobis oriretur malum!

Quale in vita ego nulli unquam evenisse memini.

Ibo intro, neque toto hoc die foras quoquam pedem  
efferam.

Nolim mihi rem esse cum incantationibus.

ACTVS III. SCENA IV.

BERALDUS, CHREMES, COROEBUS.

*Eiusdem generis.*

**I**ncredibilia sunt, quæ prædicas Chreme.

*Chr.* Nil falsi dixi Beralde. *Ber.* Quis vitulum loqui  
Hu-

Humana voce audivit unquam? *Chr.* Ego quidem,  
Præterquam nunc, alias nunquam. Miraberis,  
Vbi audieris. *Ber.* Nihilominus, nisi memæ  
Fallunt artes, remedium isti inveniam malo.

*Chr.* Faxint ita superi. Hem, isthæc hara est, in qua  
Fascinatum reperies pecus. *Ber.* Tu cereum

Accende, ego exorcismum, qui hanc accommodus  
Ad rem maximè erit, quæram. *Chr.* Faciam sedulo,

*Ber.* Bene habet: inveni hercle satis efficacem, quo  
Vel tres ad Inferos facile pepulero cacodæmonas.

*Chr.* En cereum accensum tibi. *Ber.* Cedo, exordiar:  
Adjuro te cerita pecus per. *Cor.* Quid tibi rei

Mecum est? aut quid vis? *Ber.* Pro Deum, atque ho-  
minum fidem!

Quid hoc monstri est? pavore animus tremuit mihi,  
Chreme malè tibi sit cum tuo vitulo. Vale.

*Chr.* Quid nunc faciam infelix? exorcista aufugit,  
Et totus etiam paveo, atq; horreo formidine.

Mirum quæ saga nobis præstigiis suis

Hanc excantavit pecudem. Quicquid est, ego

Hinc me intro conjicio: neque fenestras, neque  
ostium

Toto hoc aperiam die, etiam si pulsent plurimi.

#### ACTVS IV. SCENA. I.

#### COROEBUS,

*Iambici.*

**D**isperii: quid agam, quo me vertam, aut in quem  
hominem

Commutatatus sum infelix? Næ hæc mirabilis

Est metamorphosis. Dij meretriculas illas

Malè perdant, quæ mihi os subleverunt tam turpiter

Quæ me vitulino tergori iusutum, ludos;

Ac delicias fecere sibi. Circumspice

Coræbe, an te hic habitus, & vestitus satis

Deceat? O me miserum! Vah, dispudet

Mihi sic data esse verba: ubi marsupium?

Vbi

Vbi ova, ubi gallus meus? Perierunt omnia:  
 Quid dicet uxor, ubi domum rediero, oculos  
 Sat scio, ex capite eruet mihi. Malè herculè  
 Potatum est. Sed quo me nunc recipiam? namq; hic  
 Si maneam, risui, ac ludibrio ero omnibus.  
 Ad proximas has ædes recedam, in quibus  
 Chremetem habitare existimo. Sed ostium  
 Clausum est, pulsabo. *Nam verecundia homini inutilis*  
 Est, dum necessitas urget, durum, ut ferunt, telum.

Troch.

## ACTVS IV. SCENA II.

COROEBUS, CHREMES.

*Eiusdem generis.*

**H**Eus heus, aperiat sodes aliquis ostium.  
 Quid istud? nemon' prodit? Non pol desinam  
 Pulsare, hui, quid hoc? an calcibus fores  
 Erunt effringendæ? altum hic omnes dormiunt:  
 Quanquam jamdudum clarus illuxit dies.  
 Pulsabo denuo: neq; finem faciam, donec prodeat  
 Aliquis. *Chr.* Quis toties, atq; tam graviter nostras  
 pepulit fores?

*Cor.* Eho fenestram potius, quam ostium aperis  
 Chreme?

*Chr.* Quis tu homo es? aut quid apud has ædes nego-  
 tii est?

Tibi? *Cor.* Aperi ostium sodes, ac me intromitte. *Chr.*  
 Papæ.

Troch.

Vnde hic emergit homo, vitulino tergore  
 Indutus? *Cor.* Ostium aperi: id te quæso mi Chreme.  
*Chr.* Ignotum ego intromitto neminem. Quis es?  
*Cor.* Coroëbus sum, minimè ignotus tibi. *Chrem.*  
 Deum

Immortalem! est is ipse mira hic nobis accidunt,  
*Cor.* Quin ostium aperi. quid cessas? an diutius  
 Hic mihi morandum erit? *Chr.* Faciam, atq; ipse ad  
 te prodibo foras.

*Cor.* Propera. *Chr.* Quid audes bone progredi? *Cor.*  
 Quidni?

Nihil tibi à me erit expectandum mali,

*Chr.*

*Chr.* Mirum ni tu hoc fueris monstrum, quod nos  
exterruit

Hactenus. *Cor.* Ego nemini terrori, quod sciam,

Fui: at ne risui, & ludibrio plurimis

Fuerim, meruo miser. *Chr.* Miris certe modis

Hic terruit nos vitulus. Quid tibi contigerit nescio.

*Cor.* Quid audio? vos vitulus terruit? ubi iste

Erat? dic mihi amabo. *Chr.* Rogas? in isthac nostra  
hara

*Cor.* Quid ais in hara? atqui ex illa ego prorepsi modo

*Chr.* Tun' ex hara Corœbe? *Cor.* In ea hac nocte diver-  
sorium

Fuit mihi. *Chre.* Næ tu nos horrendo perterruisti

Metu. Sed commode eccum huc redeuntem lanionē  
conspicor:

Eum mihi operiri certum est, ut mirabilem

Hanc rem illi impertiam. *Cor.* Ego intro eo, nolo me  
quispiam

Amicu hoc involutum conspiciat: nam me pudet  
mei.

#### ACTVS IV. SCENA III.

PINALDVS, CHREMES. BERARDVS.

*Ejusdem generis.*

**H**Ac nunc domum redeo, ut visam quid agat  
Chremes:

Et quo pacto res cesserit ei cum execrabili

Isthoc vitulo, qui me plane exanimaverat metu.

*Troch. 2.* Sed ecce pro foribus eum consistentem video.

Multo nunc, quam modo erat, est hilarior.

Quid illi acciderit miror. Compellabo hominem.

Hem, quo modo se res habent Chreme? satin' ex sen-  
tentia?

*Chr.* Eho Pinalde, te hic præstolor accedentem:

Nam nullus est nunc omnium, quem ego mihi

Malim dari quam te. *Pm.* Quid ita fodes? cedo.

*Chr.* O nos stulte meticulosos qui cum nobis

Vitu-

Vitulum tantopere fugiendum putavimus!

*Pin.* Qui sic Chreme? certe mihi videbatur formidandus nimis. Trochi

Sed quid rides, aut quid accidit obsecro?

*Chr.* Jocularium in malum hercle incidimus inscii.

*Pin.* Hem, quid factum est? ne retice, ut tecum rideā.

*Chr.* Nihil

Unquam risu magis dignum cuiquam evenisse arbitror

*Pin.* Quin dic, quid est? *Chr.* Dicam, sed video accedentem Beraldum

Hic quoq; incantationibus suis modo

Aggressus pecudem, subito correptus metu;

Aufugit turpiter, ut nunc etiam palleat

Vide. ô exorcistam animosum, atq; strenuum!

*Ber.* Deum immortalem! ut me larvatus ille terruit

Vitulus? & vix etiam nunc confirmatus sum satis.

Nihilominus tamen cupio cognoscere,

Quam tandem hæc res sit sortitura catastrophem.

Ob id itaq; nunc huc speculatum revertor, Sed

Video Chremetem stare ante ostium. Quis ille alter?

*Pinaldus* est lanio, qui territus quoq;

Fugit, accersitus ad mactandam belluam.

Sed quid hoc? nihil aliud quam rident, quid acciderit

Miror, accedam, ac compellabo. Hem Chreme,

Quid agitur? rides? Eho Pinalde, tu quoq; hic

Eras, ubi execratus iste vitulus! *Chr.* Ex bara

Erupit, evasit. *Ber.* Abeat in malam crucem.

Sed quid rides? an risu digna ea res tibi

Videtur? *Chr.* Defessus jam sum ridendo. *Ber.* Quid accidit?

Cedo. Hem taces? *Chrem.* Multum tu hercule vales tuis

Incantationibus Beralde. *Ber.* Siccine

Ais, & ludis? *Chr.* Quod vitulum in hominem commutaveris

Nobis. *Pin.* Quid audio. *Ber.* Irrides. referam hercle gratiam.

*Par. III.*

L

*Chr.*



*Chr.* Nequaquam: quod res est loquor. *Pin.* Dic serio  
*Chreme*, & joculari desine. *Chr.* Non equidem jocular.  
 Jam faxo ipsi hominem esse videatis, qui vitulus erat  
*Modò. Pin.* Næ tu nugator es faceris, sed  
 Mitte jocos, & quid acciderit narra obsecro.

*Chr.* Faciam, atque libenter herculè: namque ego  
 vobis

Commemorare id malo, quam vos qui percontamini,  
 scire.

*Ber.* Quin igitur incipis, an nondum etiam solus risisti  
 satis?

*Chr.* Heri mihi probè poto festivo admodum  
 Os subleverunt vicinæ hæ meretriculæ.

*Ber.* Quo pacto? cedo, nam audire gestio. *Chr.* Ebrיום

*Troch. 2.* Coræbum, atq; vitulino insutum tergori,  
 Pro vitulo ebrיום vendidere mihi. *Pin.* Ha, ha, he,  
 nihil

In vita audiivi factum festivius:

Nihilq; facerem, atque lepidum magis. *Ber.* Quid ais  
*Chreme*?

Coræbum pro vitulo? *Chr.* Sic est factum, quamquam  
 mei

Me pudet. *Pin.* Orem novam, atque auditu jucundis-  
 simam!

Abeo, per urbem totam hanc dispersurus fabulam.

Valete. *Chr.* Tu me intro sequere Beralde: ibi

Faxo magis rideas, ubi vitulum videris, tuo

Exorcismo in hominem commutatum nobis. *Ber.* Sequor.

#### ACTVS IV. SCENA IV.

SYRA, BACCHIS, PINALDVS.

*Eiusdem generis.*

**F**Acete pol Bacchis, lepideq; rusticos  
 Illos duos fefellimus:

Neq; in toto, ut opinor, reperias oppido

Quenquam qui non isthuc à nobis, & bene

Dicat factum & laudet maximè, neque

Du-

**D**ubito, quin modo huc confluxuri sint plurimi,

Toram rem à nobis ut exquirant exactius,

*Bac.* Isti huc quidem non est dubium mihi. *Syr.* Ride-

bitur

Pol affatim, Sed lanionem Pinaldum eommodè

Huc accedentem video: recta ad nos pergit via,

*Pin.* Conveni aliquot ex nostris compotoribus,

Illisque rem omnem commemoravi ordine. *Quis*

risus, &

*Cachinnus* passim exortus sit, verbis me herculè

Effari non possum Nunc mihi negotium

Dederunt, ut apud has meretriculas jentaculum

Jubeam apparari: atq; omnes symbolis datis

Sequenturos se protinus,

*Troch.*

*Bac.* Audin' tu Syra quid dicat? *Syr.* Oh, audio,

Et in sinu gaudeo. *Pin.* Sed opporùne eas

Pro foribus stantes conspicio. alloquar. hem muli-

erculæ.

Vitulum vos hic habere venalem bene

Saginatam, mihi quidam ex vicinis dicebat modo,

*Bac.* Eum ex sententia vendidimus heri. Sed furijs is

hodie

Cœpit miserè exagitarier. *Pin.* Quid audio? *Syr.* Oh

Quasi nescias, cum exanimatus formidine

Vix effugeris insanientem bestiam.

*Pin.* Tacete obsecro. jam ridendo omnes defatigati

sumus.

*Bac.* O fortes, strenuosq; animos! O confidentiam

Ingentem! quid autem exorcista? ille se virum

Præbens, furiosam pecudem tam placidam, atq; ovè

Suis reddebat incantationibus.

*Pin.* Tace sedes mea Bacchis: rem omnem, ut audio,

Noctis. Næ vos lepidam meditatæ estis fallaciam,

Quæ per totum jam divulgata est oppidum,

Et quæ risum passim excitavit maximum.

Sed nunc qua gratia huc veni dicam. Jentaculum

Erit apparandum tibi. Mox belli aderunt homunculi.

*Bac.* Nihil est quod æquè fecero lubens. *Pin.* Totus

L a

Hic

Hic nobis ridendo, atque jocando transigendus est dies.

## ACTVS V. SCENA I.

BERALDUS, CHREMES.

*Iambici.*

**A**D satietatem jam risimus Chreme:  
Vt tandem hinc abeam me tempus monet. Sed quid?

Audebimusne posthac quoquam prodire? *Chr.* Quid ita?

*Ber.* Rogas? quia risui erimus omnibus. Tu qui Hominem ebrîum pro vitulo mercatus es ebrîus: ego Qui tam stultus fui, ut eum tanquam bestiam Furijs exagitaram, incantandum existimaverim mihi

Troch.

*Chr.* In ore erimus omni populo, rum in diversorijs Fabula compotoribus. *Ber.* Ebrietas te Chreme Vt cunque excusabit, sed quid de me futurum est, qui

Mane sobrius illudendum me tam turpiter Præbuerim? *Chr.* Vt dii Deæq; istas meretriculas Male perdant. Vah, pudet sic verba data esse mihi.

At, si vivo, mox referam gratiam: ne me Impune sycophantiis & fraudibus suis Circumvenisse videantur. *Ber.* Ego quoque quidimprecer

Eis malipol nescio. *Chr.* Imprecationes

Nôstras illæ nihil morantur improbæ.

Inveniendum mihi erit aliquid, quod par pari

Referam: ne illæ suos dolos feliciter

Sibi cessisse glorientur diu. *Ber.* Huiusmodi

Obsecro aliquid inveni. *Chr.* Meditabor herculè sedulo.

At uxorem eccam cum Coræbo exire conspico.

*Ber.* Tu eas hic operire, ego domum recta

Eo via: nec toto hoc quoquam progrediar die:

Ita me pudet mei: -----

ACT.

## ACTVS V. SCENA II.

SOSTRATA, COROEBUS, CHREMES.

*Ejusdem rationis versus.*

----- Esto animo bono Corœbe ego  
Domum ipsa te reducam, atque ut cum uxore in gratiam

Redeas, enitar sedulo. Neq; dubito,  
Quin id reddam effectum tibi.

Tu tantum, ne ipse tibi desis, etiam atque etiam vide. At

Eccum nostrum Chremetem, cuius opera in hac re opus

Erit mihi. *Cor.* Compella, ne quo hinc abeat longius. *Troch.*  
*Sof.* Hem, quo parabas ire Chreme? an rursus potatū quopiam?

*Chr.* Minime: satis heri potavi infelicer.

A potum mihi posthac temperandum censeo.

*Sof.* Siquidem possis, nihil potius, neq; melius:

Verum si incipias, neq; perficias gnauiter,  
Metuone error postremus sit futurus pessimus.

*Cor.* Valeant ista, mea Sostrata, atq; consilio me, uti  
Promisisti, adiuua miserum, uxor improba

Mihi est domi: quam qua ratione placem nescio

Infelix. *Chre.* Memineris te esse virum. Eho tun' feminam

Tibi metuendum existimas? *Cor.* Non satis qualis  
Ea sit, nosti Chreme, non mulierem, sed Ty siphonem aut

Aliam infernalem Furiam esse dixeris, *Troch.*

Si cum illa res sit tibi *Chr.* Apage sis, nimis hercule

Formidolosus es Corœbe. Quin cave potius,

Ne femina imperet tibi. *Nodo malo*

Malus est quærendus cuneus. *Cor.* Hei misero n' ihil

Si id solum consulis Chreme, sat consilii habeo. *Sof.*

Quiesce, ego

Huic malo remedium quaeram. Sed tuo mihi  
Ad hanc rem, quam paro, opus erit auxilio Chreme.  
*Chr.* Hic sum, utere: namque huic benefaxim lu-  
bens.

*Cor.* Habeo gratiam, & habiturus sum, quoad vivam  
maximam.

Scio vos antea nunquam usos amicitia mea;  
Gratum dicetis me, atq; memorem, Sed cedo  
Quid habes consilii *Softrata*? eloquere obsecro,  
*Sof.* Vitulino tergo re rursus te indutum domum  
Ducemus, atq; in itinere a venefica,  
Aut saga quapiam commutatum in vitulum  
Dicemus quemadmodum a *Circe* *Vlyssis* socios fe-  
runt

• Conversos esse in porcos. *Cor.* Etiam rides *Softratae*?

*Sof.* Nequaquam. eamus intro, ac tergo induc,  
Næ ego eadem impostura fallam uxorem tuam,  
Qua heri lepide huic imposuerunt meretriculæ.

*Chr.* Inepta, mitte nugas, & aliud inveni.

*Sof.* Iamdudum inveni. *Cor.* Quid sodes mea *Sof-  
trata*?

*Sof.* Quod uxor tua crederet facile. *Cor.* Age, commemo-  
ra obsecro:

Nam audire gestio. *Sof.* Scis quam non sit usquam hoc  
tempore

Tutum a prædonibus *Cor.* Scio perge. *Sof.* in eorum  
manus

*Froch.* Te dicemus incidisse. *Cor.* Recte. *Sof.* Eos tibi  
A mercatu redeunti omnem eripuisse pecuniam

*Chr.* Verisimile id erit: namq; illud sæpius  
Evenisse memini. *Sof.* insuper te vapulasse usque ad  
necem.

*Cor.* Lepidum, ita me Deus amet, commentum. *Sof.*  
tu ita factum esse asserere:

Et membra verberibus assimula tibi contusa esse o-  
mnia.

*Cor.* Hem, laudo, nunquam vidi melius consilium  
dari.

*Sof.*

*So.* Idem nos factum esse affirmabimus: idque non  
procul.

Ab ædibus nostris. *Cor.* Agite, vos me domum  
Reducite: pedibus enim jam insistere nequeo, plane  
Delumbatus à prædonibus. *Chr.* Oh, recte. isthuc  
scène.

## ACTVS V. SCENA III.

## CANTHARA.

*Eiusdem generis.*

**H**Astenus ego meum Coræbum in diversorio,  
Aut in ganeo aliquo potare suspicata sum:  
(Mulieri enim haud ferè fidelem reperias vitum)  
Sed cum ne nunc quidem domum reversus sit,  
Ne quidei adversi acciderit in via, nimis  
Timeo infelix. Plurimæ occurrunt mihi  
Suspiciones, quæ hunc meo animo exaugent me. *Troch.*  
rum.

Stulte profecto à me factum est, quæ heri illum  
tam

Sero ad mercatum miserim, ut redire vix  
Potuerit vesperi: tum quæ ipsa hodie non iverim  
Potius. Nunc quoniam ille hac tota nocte absuit  
Domo, quæ cogito? quibus sollicitor curis? quod nisi  
Aliud ei evenisset infortunii.

Jam dudum hic scio adesset. Neque ego nunc de ter-  
gore,

*Troch.*

Aut de gallo, aut de ovis tam sum sollicita, quam  
Eius saluti, vitæq; metuo misera.

Et nescio profecto, quid mihi animus præsagit  
mali.

Quapropter non male me facturam existimem,  
Si eadem, qua illum ivisse, & rediisse arbitror,  
Statim jam ad oppidum pergam via. At primum  
Huc ingrediar, ancillæ ut isthuc indicem;  
Dein' continuo rursus prodibo foras.

SOSTRATA, COROEBVS, CHREMES,  
CANTHARA.

*Eiusdem generis*

**N**Vnc non ira procul ab ædibus tuis Corœbe  
Absumus, incumbere humeris nostris quantum  
potes.

Et te pedibus consistere non posse assimula:

Idq; adeo caute: ne si uxor fucum intelligat.

*Tu quasi forex tuo indicio hodie percas:*

Magnumq; pudorem incutias nobis. *Cor.* Sostrata.

Meminero probe: mea res agitur quæ si male cesserit

Actum est, perii. *Chr.* Hem serua, uxorem egressam  
video foras.

*Can.* Ad oppidum nunc recta propero. at at, quid  
hoc?

Accedunt huc, nescio qui ebrium, uti videtur; an

*Troch.*

Infirmum, aut mente captum quempiam trahunt:

Mirum ni Corœbus sit meus, adeo ad

Accessum eorum mens inhorrescit mihi.

*Sof.* Hem stipces, vah obmutuisti? ipse te prodes.

Suspira, vociferare, atq; viam comple questibus.

*Cor.* Me miserum! differor doloribus, genua labant,

Et membra mihi laxata, confRACTAQ; sunt omnia

Ecquis me vivit infelicior? *Sof.* Rectè,

Sic perge. *Can.* Is est ipse. me nulla pol' miserior est

*Cor.* Hæccine fieri flagitia: nihilq; à grassatoribus

Vsq' esse tutum? atq; adeo in publica via: ò

Supinam legum, atq; magistratuum oscitantiam!

Per quam nunc tanta perpetrantur facinora. *Chrem.*

Probe.

Ni rem nossem, crederem vere hunc queri,

*Can.* Hem, quæ te agitant intemperiar? aut quid  
ejulas,

*Troch.*

Quererisve furcifer? aut quid est causæ, cur æger  
huc

Nunc

Nunc reducaris, qui sanus heri nostra exhibas domo?

*Cor.* Vt summus Iupiter te perdat Canthara,

Quæ me ad mercatum hesterno die extruxisti à prandio

Vt luce redire nequiverim domum. *Can.* Quid, an Mihi hic quicquam imputandum esse putas impudens?

*Chr.* Ah, desine malè loqui, satis ipsum Canthara Cruciat suum infortunium,

Etiamsi tu id maledictis non duplices.

*Can.* Quid illi accidit? aut cur pedibus nequit ingredi?

Næ ego illi hunc lethargum excutiam, si fustem sumpsero.

*Sis.* Vide quid dicas Canthara, satis est miser

Tuus Coræbus, itaque parce malè loqui, ac

Minarier. *Can.* Quid illi deest? *Sos.* Eho rogas?

Vix membra trahit infelix. *Cor.* Eheu me miserissimum.

*Can.* Unde hoc illi accidit? cedo. *Sos.* Cum heri sub vesperum

Domum rediret, adorti sunt eum in via

Prædones aliquot, qui non modo pecuniam

Illi eripuerunt omnem, verum usque ad necem

Etiam verberibus multis multarunt infelicissimum.

*Cor.* Sic herclè est factum, huiusmodi negotia

Mihi commiseris semper, quibus me excarnifices, habes

Quod petijisti, nempe ut aliquo occiderem modo.

*Can.* Quid isthuc? an eò tibi culpanda videor improbe?

*Chr.* Neque tu, neque ille Canthara.

Verum, quia quod factum est, infectum reddi non potest,

Mitte jurgia, & quod ad hanc rem rem opus est, consule.

Multa multis eveniunt incommoda,

Bonis etiam, atque industrijs: quapropter, ut

L 1

Troch. 1

Alia



Alia tua facta sunt, hoc quidquid est mali,  
 Equo animo patere. At nimium hic cessamus diu,  
 Tu si sapias, latro deductum illum cura sedulo,  
 Dum ipse est vir. *Can.* Perij, quid posthac solatie  
 aut

Voluptati poterit esse? si quidem hoc quod restat æ-  
 tatis

Cum claudo, atque columbi exigendum erit mihi.  
*Chr.* Magna

Adhuc spes est, in tepido illam lecto repono. *Can.*  
 Præcedo,

Ut appaream, vos me sequimini. *Sof.* Abijte illa, bene  
 pol

Tibi se habent principia. *Cor.* Superis magnas ago  
 gratias,

Et vobis, quorum ope, atque consilio magnum evasi  
 malum.

Næ ego lepida impostura hodie os uxori sublevi  
 meæ.

Valere spectatores, atque mecum plaudite.



## LIBER ELEGIARVM.

# DIALOGVS AV- CTORIS ET LIBRI.

## ELEGIA. I

QVo præcul ire paras tacito liber improbe  
 gressu,

Audaci fugiens limina nostra pede?

Quid rubet insueto facies suffusa pudore?

Quid

Quid trepido mussans lingua timore silet?  
Cur circumspectas, aut cur discedere gestis?  
Præproperum, jubeo, siste proterve gradum,  
Et roties tandem pavidò refer ore rogatus,  
Quo te transversum mens male sana trahit?  
In lucem tenebras exosus, repere conor.  
Nam lux obscura plus mihi nocte placet.  
Quid melius Phœbo, nitidis quid gratius astris?  
Quid rutilo clari pulchrius axe poli?  
Obscuro contra quidnam deformius antro?  
Quid poterit nigro tristius esse specu,  
Tu me dum piceo conclusum carcere servas,  
Innumeros memini præterisse dies.  
Optavique semel cœli convexa tueri,  
Et vagâ syderei signa videre poli.  
Sed miser occlusæ latitans in pulvere cistæ,  
Me longo fiebam computruisse situ.  
Et mihi delectæ differri gaudia lucis,  
Lugebam totos voce gemente dies.  
At nunc optatas tandem progressus in auras,  
Est animus laxo quolibet ire gradu.  
Quare mitte minas, frustra remoratus euntem,  
Impedies votis sæpe petitâ meis.  
Nam quoties nitidi contemplor lumen Olympi,  
Hactenus in tenebris me latuisse piget.  
Heu, quæ fallaci tandem vox excidit ore?  
Quis furor insanum perfide pectus agit?  
Cerne quod incœptes facinus, quantumque pudor!  
Hoc pariet nobis insidiosè scelus.  
Quis te versuto tales in pectore technas,  
Aut tantos credas necesse posse dolos?  
Quo domini vesane tui tibi cura recessit?  
Quo data sincero non violanda fides?  
Eheu, quas lachrymas demens, quos stulte dolores,  
Quæ mihi perfidie crimine damna feres?  
Parce precor sævis miserum proscindere dictis,  
Parce truces dira voce crepare minas.  
Hæc etenim nullum tibi confidentia luctum,

Sed pariet magnum, me modo mitte, decus.  
 Carmine sacrorum creverunt nomina vatum,  
 Quorum cum libris fama perennis erit.  
 Hinc suprema viget vivax post funera virtus,  
 Et nullo pietas interitura die.  
 Nos quoque, ni falsam ludant præfagia mentem,  
 Artibus ingenuis gloria parva manet.  
 Quæ fera funestæ declinans spicula mortis,  
 Extremo faciet te superesse rogo.  
 Quid cupido temulente meram spem pectore pas-  
 cens,  
 Promittis nugis nomen inane tuis?  
 Vanaque magnificis ostentas præmia verbis?  
 Et credes versus vivere posse tuos?  
 Quod si promissa nobis pro laude, pudorem,  
 Plenaque lugubri probra dolore feras?  
 Dum sua facundus promulgat carmina Naso,  
 Ingenij patitur tristitia damna sui,  
 Occidit Annæis crudeli morte poeta,  
 Dum canit ardenti Cæsaris arma chely.  
 Ergo domi præstat vili latuisse caverna,  
 Ingratas hominum quam subiisse manus.  
 Lascivoque levis deludi scommate vulgi,  
 Multaque non æqua sorte dolenda pati.  
 Dura quidem gelidum missus Pelignus ad Istrum  
 Pertulit, ingenuo non toleranda viro;  
 Dum miser Ausonia nimium semotus ab urbe  
 Sarmatici sentit frigora sæva soli,  
 Dum se dilecta teneram cum conjuge natam,  
 Et patrios luget deseruisse lares.  
 Aspera dum metuit pharetræ præliagentis.  
 Quæque venenoso spicula felle madent.  
 Attamen hic omni vixisset tempore felix,  
 Romanis charus, conspicuusque suis:  
 Lascivo versus si non dictasset Amori,  
 Et gratum Veneri composuisset opus.  
 Nec tamen is turpi solum peccaverat arte,  
 Læsus & occulto crimine Cæsar erat.

Perdidit Annæum sic conjuratio vatem;  
 Dum ferus eludit retia vana Nero.  
 Nos castos canimus pudibundo pectore versus;  
 Quæque nigro Momi carmina felle carent.  
 Nec spurco quenquam, rabido ve lacesimus ore,  
 Pangimus innocuos, & sine dente sales.  
 Multa quidem, fateor, regeris non absona vero,  
 Attamen ut lateas tutius esse puto;  
 Firmior est sero quæ gloria tempore crescit  
 Si sapias, hanc elegis opperiare tuis.  
 Sed tibi jam pridem manet immutabile pectus;  
 Nec cupidum quicquam te mea verba movent.  
 Iam jam tempus erit, cum te malefane pigebit,  
 Tam subito dominum destituisse tuum:  
 Et meditans revocare pedem, frustra que reverti,  
 Musæi cupies claustra subire mei,  
 Dum miser aut atrum latebræ projectus in antrum,  
 Cogëris tinea turpibus esse cibus:  
 Aut novis amotas hospes delatus in urbes,  
 Ignotis myrram, thursve piperve feres.  
 Adde quod effusum Criticorum turba cachinnum  
 Toller, inurbanum te stupidumque vocans,  
 Mordacique tuos illudet scommate versus,  
 Te turpis faciet barbarique reum.  
 Hæc subsannantis ludibria tristia linguæ  
 Tene putas æquo pectore posse pati?  
 Certe ego perpetuo concludi carcere malim,  
 Et decies, quam tot probra tulisse, mori.  
 Sed tua quando quidem nequit hæc vesania flecti,  
 Esque procaz, durus, propositique tenax:  
 Sume Theoninum minuentia pharvacamorsum  
 Hæc mea solerti pectore dicta notans,  
 Quæ nisi purgata penitus perceperis aure,  
 Nil profecturo sæpe dolore gemes.  
 Quare morosi cum jam teris ostia vulgi,  
 Te memorem sortis convenire esse tuæ.  
 Absit sublatis truculenta superbia vultus,  
 Et corrugatis frons caperata genis.

Casta

Casta verecundo sint lumina plena pudore,  
 Sithonia pectus candidiusque nive.  
 Non te nasutæ moveant dictæria plebis,  
 Te bardum quamvis illepidumque vocet.  
 Mutua nec reddas unquam convicia cuiquam;  
 Et si quid merito, quod stomacheris, habes.  
 Exornent alios decoratæ murice vestes,  
 Tinctæque Sicanio pepla colore libros:  
 Te vilis vellet detritæ lana laceratæ,  
 Sic tamen ut nullo sit maculata luto.  
 Hæc si percipias memori nunc pectore dictas,  
 Et docilis monitis erudiare meis:  
 Sæpe venenosi vitabis vulnèra dentis,  
 Vulnèra non segni suffugienda pede.  
 Et turpis veniam probitate merebitur error  
 Asperius si quid, rusticiusve sones.  
 Sed te fors ægrè longo sermone teneri,  
 Et clandestinam jam meditare fugam.  
 Non te præceptis remorabor pluribus, ito  
 Quotè præcipitem mens malefana rapit.  
 Hæc utinam melius tibi confidentia cedat  
 Quam reor, aut quam tu stulte merere, vale.

## IN POLYCANTHARVM.

## CARMEN IOCOSVM.

*Elegia. II.*

**S**i mirere sitis quare Polycanthare vexet  
 Perpetua fauces arditate tuas:  
 Et cupis occultam morbi cognoscere causam,  
 Ignarus tanti quæ sit origo mali:  
 Attento nostros hos perlege pectore versus,  
 Indicio fier res tibi nota meo.  
 Nuper apud Bavium dum tu conviva vocatus,  
 Exsorbes liquido cymbia plena mero:  
 Extemplo positis succedunt gaudia curis,  
 Exporrecta novo fronsque colore niter.  
 Mox vini fervore calens, & percitus æstro,  
 Ingenio gaudes liberiore frui,

Tunc

Tunc tua de magnis mens differit ebria rebus,  
 Et gravibus necit lemmata digna sophis,  
 Verbaque contemnens Latine vulgaria lingue,  
 Incipis Argoli co cultius ore loqui:  
 Iamque tuis totæ resonant clamoribus ædes,  
 Altaque rixosa tecta fragore strepunt.  
 Litibus offensus tandem fremituque sodales,  
 Te clandestina deferuere fuga.  
 At mox immodico Lenzi muncite victus,  
 Duceris a puero, matre iubente, domum.  
 Nunc huc, nunc illuc passu fallente vacillas,  
 Et negat officium mensque pedesque suum,  
 Sæpius in terram prolaberis inter eundum,  
 Dum tremulo titubant ebria membra gradu!  
 Heu, quoties, prono dum te puer ore jacentem  
 Erigit, implorat prætereuntis opem!  
 Actandem permensus iter, tua limina tarde,  
 Membra trahens cœno dedecorata subis.  
 Exceptum crebro suggillat verbere conjunx,  
 Te decoctorem voce minante vocans.  
 Contunditque tuos crepitanti forcipe lumbos,  
 Et miseras sævo dissecat ungue genas.  
 Hic tu formidans expertam sæpius iram,  
 Procidis offensæ conjugis ante pedes.  
 Extendensque tuas ad cœli sidera palmas,  
 Iratam tali flectere voce paras.  
 Hanc ignosce mihi conjunx charissima culpam,  
 Et scapulas quæso parce ferire meas.  
 Qui miserum plagis me delumbasse juvabit,  
 Aut manibus nostram dilacerasse cutem  
 Parce viro conjunx coram sua crimina falso;  
 Exigit hoc thalami, conjugique fides.  
 Dū mihi nunc hospes, nunc præbabit hospitius uxor,  
 Obrepsit validi vis violenta meri.  
 Sic quanquam supplex lachrymosa voce precaris,  
 Illa tamen diris increpat usque minis,  
 Et te terribili trepidantem lumine spectans,  
 Vesano profert talia verba sono.

Quid

Quid delire mero, turpi quid perdit luxu;  
 Crimina fallaci fœda colore tegis?  
 Non tua me posthac unquam mendacia fallent;  
 Nec capiar technis ebrie scurra tuis,  
 Siccine tu nostram consumes prodige dotem?  
 Siccine communes dilapidabis opes?  
 Nec subeunt teneri, charissima pignora, nati;  
 Pignora subsidio semper alenda patris?  
 Quem modo sed nimium præstat cohibere furorem  
 Ne noceant cœpris verba profusa meis.  
 Hæc effata, gravem commoto pectore fustem  
 Impingit scapulisterve quaterve tuis.  
 Tristitia digrediens in terram lumina flectis,  
 Moxque petis mœstum voce gemente torum:  
 Tum Phlegetonta conjunx lymphata furore,  
 Implorat Stygias in sua vota Deas,  
 Præseatesque novis rogat ut conatibus adsint;  
 Quo melius cœptum perficiatur opus.  
 Nec mora, Circeas sese convertit ad artes,  
 Pestiferum demens aggrediturque nefas.  
 Plurima corradit siccas urentia fauces,  
 Quæque cient magnam semina pota sitim  
 Rugosumque piper multo sale sedula condit,  
 Et calidam torrens zinziber acre gulam.  
 Nec terræ desunt, Pontus quas procreat, herbæ;  
 Terraque quas tepidis gignit Ibera jugis.  
 Insuper atroci metuenda precamina voce,  
 Et magicos diro mussitat ore modos.  
 Sic suam miscebat quondam medicamina Colchis;  
 Dum revocat socero lustra peracta suo.  
 Mox simul hæc rereti paulatim trita bacillo,  
 In nitido solers cuncta lebetæ coquit.  
 Quæ tibi dum noctu sitienti pharmaca præbet,  
 Mordaci profert talia verba joco.  
 Si pix ardentem restinguit fervida flammam,  
 Hæc adiment avidam pocula sumpta sitim;  
 Dixit, & in fausto plenum cratera liquore  
 Obtrudit manibus sæmina dira tuis.

Oblatum, ignarus sceleris, cladiſque futuræ,  
 Exhauris cupido protinus ore ſcyphum.  
 Mox tua terribilis torret præcordia fervor,  
 Et ſicca fauces ariditate crepant,  
 Quem libet exhauris ſitienti gutture potum,  
 & putri quamvis ſumpta ſitunda lacu.  
 Non tamen hæc ullo ſedatur flamma liquore,  
 Ferventi quamvis largius ore bibās.  
 Ah, miſer à vaſtra deceptus conjuge luges,  
 Et ſies ſæminei crimina ſæda doli.  
 Illa levem tollens mordaci voce cachinum,  
 Improba diſſolvit talibus ora jocis,  
 Tu dignos pateris cruciatus perditæ luxu,  
 Et ſcleri tandem pœna reperta tuo eſt.  
 Nunc æge funde merū, nunc ut potes, impiger hauri,  
 Nunc avidiſorbe pocula plena labris.  
 Quamvis ſæpe bibās, nullo ſatiabere potu,  
 Vaſaque dum ſiccas plurima, plura petes.  
 Sic ſitit in mediis ſcleratus Tantalus undis,  
 Impia ſic Titij viſcera vultur edit,  
 Sic illuduntur pertuſis Belides urnis;  
 Sic miſer aſſiduum Sifyphus urget onūs.  
 Talia ridenti profundens ſcommata voce,  
 Te gaudet technis ſuccubuiſſe ſuis,  
 Nec lachrymis, precibuſve ferox, gemitūve movetur,  
 Sed fruitor, quatu diſcruciare, ſiti.  
 Hæc tibi, ſæmineæ miſeratus crimina fraudis,  
 Indicio volui ſignificare meo.  
 Ut nora penitus latitantis origine peſtis,  
 Succurras morbo luxurioſe tuo.  
 Proderit occulti cauſam noviſſe doloris,  
 Proderit hæc lepidò me monuiſſe joco.  
 Nam quiſ languenti rectè medicabitur ægro,  
 Noxia ſi lateat nata ſit unde lues?  
 Ergo age ſume gravem ſolventia pharmacà ventrem,  
 Atque inteſtiniſ ejiciatur onus.



Quod nisi prima malit tollatur corpore causa,  
 Restinguent a vidam flumine nulla sitim.

QVERIMONIA FORTVNÆ.

*Elegia III.*

**O**Mnia cum summi moderetur rector olympi  
 Cur me mortales dicitis esse Deam?  
 Cur mihi divini tribuuntur thuris honores?  
 Cur cadit ante meos victima crebra focos?  
 Quæ, precor, eripuit vobis infania mentem?  
 Quis dementavit pectora vestra furor?  
 Siccine syderei neglecto numine cœli,  
 Illicita colitis nomina vana prece?  
 Meque nocere aliis, aliis prodesse putatis?  
 Aut aliquid numen posse, vel esse meum?  
 Quæ vos saga suis ludit, fallitque, venenis?  
 Quo vos transversos impius error agit?  
 Navita spumoso dum solvit littore puppim,  
 Æquoream blando me vocat ore Deam.  
 Pacarique maris per me vada concita credens,  
 Sollicita nostram mente precatur opem.  
 Ancipiti miles subiturus prælia Marte,  
 Auxilium implorat voce rogante meum.  
 Et mihi sanguineas tribuens Tritonidis artes,  
 Dira putat nostro bella favore geri.  
 Pingua committit dum sulcis grana colonus,  
 Dumque secat gelidam bubus arator humum.  
 Erectum tollens ad cœli sydera vultum,  
 Orat me muka sollicitatque prece.  
 Interea pauci curvato poplite Christum,  
 Sincero ve colunt mentis amore Deum.  
 In rebus dubiis magicas plebs consulit artes,  
 Hinc sibi præsidium, consiliumque petens.  
 Ferrur in adversis graviter Rhamusia rebus  
 Cladibus humanum sollicitare genus.  
 Et mox oppressis, animi pertesa prioris,  
 Divitias larga suppeditare manu.  
 Quin eadem celerem versando fingitur orbem.

*Insta.*

Instabilesterum præcipitare vices.  
 Hunc è sublimi subito deturbat ad imum;  
 Ut flear amissas rex modo pauper opes.  
 Illum dejectum relevat tollitque jacentem,  
 Quo simili pèssum turbine stratus eat.  
 Heu vānos spectare juvat quid homuncio lusus?  
 Quid metuis numen, nomen inane, melum?  
 Qui Deus ex nihilo cœlum, terramque creavit;  
 Divino laxans ora verenda sono:  
 Hæc eadem certa solus ratione gubernet;  
 Interitus expers, principioque carens.  
 Illius imperio subiectum est, quicquid Olympus;  
 Quicquid & Oceanus, terraque quicquid habet;  
 Seu tua procedat felici cymbula vento,  
 Seu miser adversis ex crucièrè malis:  
 Semper constanti laudabis mente Tonantem:  
 Teque quod afficiat commeruisse puta.  
 Sive tuæ saltem sic expèdijsse saluti:  
 Et leve, quo premeris, jam tibi fiet onus.  
 Namque ut Pæniæ vir callentissimus artis  
 Dissimili morbis sæpe medetur ope:  
 Incidit venas alijs, his proluit alvum,  
 His studet eduri sistere ventris onus:  
 Nunc ægrum vigilare jubet, nunc carpere somnum;  
 Lassaque jucundo membra sopore frui:  
 Nunc cupidis gratam subducit faucibus escam,  
 Nunc fastiditos ingerit ore cibos:  
 Sæpe recusantes ad potum cogit, & idem  
 Sæpe jubet longæ rædia ferre sitis.  
 Sic Deus omnipotens, quo non sapientior alter,  
 Ad se dissimili vos ratione vocat,  
 Hunc ad præclaros sublimem tollit honores;  
 Magnificis placidus muneribusque beat.  
 Scilicet ut foveat nudos, succurrat egenis,  
 At simili præstet se pietate probum.  
 Hos mendicatis patienter vivere frustis;  
 Et frigus ma vult pauperiemque pati:  
 Ut miseros spectata malis in rebus egestas

Ducat ad ætheri regna beata poli.  
 Ille quid expediat, veltæ proſitque ſaluti,  
 Sublimi reſidens deſuper arce vider.  
 Si curſu cedant hominum res uſque ſecundò,  
 Impulſa vento præſuperiore rare:  
 Rideret numen dives laſcivus inermes,  
 Et plebs felici ſorte prorerva foret.  
 Nunc bona cum celeri pereant fallaciâ caſu,  
 Cumque leves ſubito ſurripiantur opes:  
 Mortales utcunque mali formido coëſcet,  
 Et ſacra conceptum præpedit ira nefas.  
 Quare ſeu zephyris volitent tua vela ſecundis,  
 Seu ratis ad verſo turbine quaſſa gemat:  
 Conſtantem forti fac ſerves pectore vultum,  
 Qui nimio luſtu, lætitiæque vacet.  
 Si tibi quo premeris pondus vultur iniquum,  
 A Chriſto placida voce rogabis opem:  
 Ille gravi poterit ſolus te falce levare,  
 Nil ego, nil veterum numina falſa valent.

## AD HADRIANVM SNOVKIVM.

*Elegia IV.*

**S**I quæris rerum quæ ſit fortuna mearum,  
 Aut hic quid faciam dulcis amice rogas:  
 Nil equidem, nulloque mihi bona tempora fructus  
 Labuntur, muti prætereuntque dies.  
 Nam miſer aſſiduo capitis tabeſco dolore,  
 Et crucior triſti conficioque lue.  
 Nulla fere ſpes unquam me poſſe reverti,  
 Deſine Schonæum velle videre tuum.  
 Exucco quem ſi ſquallentem corpore cernas,  
 Non dubito quia hæc unde ſit umbra roges.  
 Duraque mox noti de plores ſata ſodalis,  
 Et mea turbato pectore damna gemas.  
 Eheu, quanta parit noſtris diſpendia muſis  
 Me crucians totos carniſcina dies.  
 Nulla gravem miſero lenit medicina dolorem,  
 Crebraque nil proſus pharmaca pota juvant

Cum

Cum latet in pejus morbi gliscentis origo,  
 Ignoratum medica plus valet arte malum.  
 Perperuis tandem didici languoribus æger.  
 Possideat quantas corpore sanus opes.  
 Non tamen amissam penitus despero salutem:  
 Æthera non semper nubila nigra regunt:  
 Gratius amota cælum caligine fulget,  
 Tristis & exorto sole recedit hyems.  
 Sic Deus, infanda qui me scit peste teneri,  
 Hoc rursum poterit me relevare malo.  
 Illius arbitrio nostram committo salutem,  
 Quo sine nil herbæ, nil medicina juvat.  
 Sed satis est : festas prolixis versibus aures  
 Iam forsitan tecum quid remoraris ais:  
 Quas retricus crebro Stagira sophismate torquet,  
 His nugis studij conduplicatur onus.  
 Desino, tu gryphos, argutaque lemmata ne cte,  
 Ut celebris nobis efficiare sophos

## NAVERAGIVM.

## NAVERAGVS LOQVITVR:

*Elegia V.*

QVicefca refidet cæli sublimis in arce,  
 Horribili torquens fulmina sæva manu,  
 Et cui carulei cesserunt jura profundi,  
 Quique tener Strygis sceptrum tremenda lacus:  
 Tum quæ præterea toto sunt numina mundo,  
 Diversis gaudent me crueiare malis.  
 Sævorum rabies utinam violenta Notorum  
 Me quoque fluctu vomis enecuiisset aquis.  
 Sic brevis æternum finisset pœna dolorem:  
 At me nunc lenta tæbe perire piget.  
 O Neptune fero nimium metuende tridenti,  
 O domino longe sævior unda tuo.  
 Audaci pereat primus quicumque carina  
 Infidas olim sollicitavit aquas.  
 Qui terram, montes, valles, sylvasque perosus,  
 Obtulit insanis vela ferenda Notis.

Nec diræ timuit latrantia monstra Charybdis,  
 Antrave Scyllæi non abeunda lacus.  
 Protulit innumeras hæc confidentia clades,  
 Dum repetunt pœnas æquora sæva suas.  
 Sæpe perit me dijs audax nauclerus in undis,  
 Fertque voraturis pabula grata feris.  
 O tristes pelagi gaudentis funere casus!  
 O formidandi dura pericla vadi!  
 Nil mihi venturam solventi littore puppim  
 Quod tempestatem significaret, erat.  
 Puniceum clæro linquebat lumine cœlum,  
 Dum nitido Phœbus tingeret ora freto.  
 Abdita delituit nemorosis ardea sylvis,  
 Et monitor pluviæ graculus ales aquæ.  
 Nec nigra cæruleas ludens loligo per undas,  
 E summis unquam profiliebat aquis.  
 Quin virides imo delphines gurgite nantes,  
 Cœnoso taciti delituere vado.  
 Indicio saltem me tempestatis echine  
 Præscire debueras admonuisse tuo.  
 Præmonitus citius pelagi loca tuta petissem,  
 Quam notus, aut præceps orta fuisset hyems,  
 Heu quoties recoło rapidi quo turbine ventri  
 Carbasa quassatæ dissecuere ratis:  
 Horresco, gelidaque tremit formidine corpus,  
 Anxia sollicito mensque timore pavet.  
 Tempus erat nullum quo præbet Cynthia lumen,  
 Quoque supraposito pressa nitore lateat:  
 Et jam flammipedum Phœbus moderator equorum  
 Mergebat liquido plaüstrea corusca freto.  
 Mox subito cœlum conscendunt sydera moru,  
 Terraque luminibus cingitur atra novis,  
 Inscius exitij, tempestatisque futuræ,  
 Dirigo fluctivagam per vada salsa rarem.  
 Dumque teneps clauum cæli loca singula lustræ,  
 Obtulit horribilis se mihi forma mali.  
 In festum vidi rimidis Oriona nautis  
 Oceano mirans exeruisse caput.

Sævic,

Scēvit, & atroci portendit lumine cladem,  
 Et stricto rutilum concutit ense polum.  
 In super oblongo post tergum syrmatelucens,  
 Exoritur gelido noxia stella vado.  
 Et torvo nitidum contristans æthera vultu,  
 Nunciat horrendam, terribilemque luem.  
 Hæc mihi, vociferor, quidnam portentata minantur  
 Perturbant animum cur nova monstra meum?  
 Occultate feros, procul ô, procul abdite vultus  
 Cedite vicini signa tremenda mali  
 Aspectus vester nimium mea lumina terret,  
 Qui variis plenus cladibus esse solet.  
 O Ventus orta mari, vos o quibus æquora curæ  
 Dij, desperatæ ferte salutis opem.  
 Talia dum tristi stupefactus voce loquebar,  
 Æquoreos vocitans in mea vota Deos:  
 Eccereptinis nigrescit nubibus æther,  
 Et remouent vultus sydera tecta suos.  
 Hippotades rapidos emittit carcere ventos,  
 Eurum cum Borea, præcipitemque Notum.  
 Qui maris aduerso geminantes turbine fluctus,  
 Æquant sydereo flumina eana polo.  
 Ille Lycaoniam navim propellit Ad Arcton  
 Huc istuc, lassos sol ubi mergit equos.  
 Mox alius Libycas nos vi deturbat ad oras,  
 Æquore curvatos concutiente foros.  
 Sentinam frustra natorum maximus haurit,  
 Et celer immittas eiacularur aquas.  
 Contraho nequicquam constricto lintea nodo,  
 Subducens trucibus stridula vela notis.  
 Nam superant artem, vires, & robora nimbi,  
 Scævaque terrifico turbine bella gerunt.  
 Horribiles vincunt clavi moderamina venti,  
 Perque maris fluctus catbasa rupta volant.  
 Dum sic huc illuc violentis volvitur undis,  
 Hæsit saxoso quassa carina vado.  
 Hæsit, & horribili sonitu gemuere cavernæ,  
 Spumofum scopulis hausit & icta fretum.

Veliferi subito crepitantia robora mali  
 In mare præcipiti turbine fracta ruunt.  
 Rumpitur immani quassatus gurgite clavus,  
 Iamque suæ rector desinit esse ratis.  
 Non ita commovit liquidi rex æquoris undas,  
 Nec reor insanum sic tumuisse vadum,  
 Dulichius quando fatis agitur iniquis,  
 Pronus in æquoreas excutetetur aquas.  
 O quos tunc gemitus, o quæ suspiria duxi,  
 Spes postquam vitæ nulla relicta foret.  
 Eheu mœsta suis conjunx circumdata natis,  
 Hæret in amplexu mox moritura meo.  
 Irroratque mihi lachrymarum flumine vultum,  
 Verbaque lugubri talia voce refert.  
 Quo validis rapimur vir dilectissime nimbis?  
 Quo nos transversos fors inimica trahit?  
 Aut quid tam celeri texit caligine cœlum?  
 Quid freta tam subito murmure cana ciet?  
 Imminet horribili nobis lux ultima fato,  
 Effugio nullum conspicio esse locum.  
 Mors nos certa manet, pariter pereamus oportet,  
 Undaque mox nostram merget iniqua ratem.  
 O fera tempestas rabidis crudelior ur sis?  
 O freta non ullis exaturanda malis!  
 Terribiles quæso cohibe rex Æole ventos,  
 Tristia concludens carceris antra tui.  
 Quid lacerâ, quassamque juvat submergere puppim,  
 Tantane cælestes corripit ira Deos?  
 Ergone produxi natos in luminis auras,  
 Turpibus ut tandem piscibus esca forent?  
 Sed queror, heu, frustra, sternunt mea vota procellæ,  
 Æquora nec quicquam nostra querela movet.  
 Iam jam filioli, jam chære marite valero,  
 Iam vos postremum lumina nostra vident.  
 Hæc conquesta gravi gemitu, lachrymisque profusis  
 Contundit pugnīs pectora mœstasuis;  
 Ne quicquam dictis tristem consolor amicis  
 Exuperat vehemens dulcia verba dolor.

Hinc

Hinc me sollicitat natorum cura meorum,  
 Hinc animum consors angit amara tori.  
 Hinc misero gelidum mors incutit atra timorem,  
 Sanguine visceribus diffugiente meis.  
 Nos pater, exclamant, perituros protege, nati,  
 Auxiliatrices porrigitoq; manus.  
 Ne tua dilanient deformes pignora phocæ,  
 Turpiter in tumidum præcipitata fretum.  
 Et mea dispassis complectens colla lacertis,  
 Supplicibus votis expecit uxor opem,  
 Exclamo frustra nostras obtunditis aures,  
 Conatus superat sæva procella meos.  
 Et vicere feti, turbantes omnia, venti;  
 Nil ars, nil vires, nil mea dextra juvat.  
 Quam vellem thalami charissima pignora nostri,  
 Hanc fragilem tecum non subiisse ratem.  
 Sic ego cum teneris uxorē superstitē natis,  
 Non verear Stygios solus adire lacus.  
 At nobis eadem jam jam mors omnibus instat,  
 Nullis & accepta tutus abibit ope.  
 Q fortunosos, o terque quaterq; beatos,  
 Oprato quos mors enecat atra loco!  
 A charis quorum decoratur funus amicis,  
 Lugubrem madido flentibus ore rogam.  
 At nos illisa projecti puppe per undas,  
 Cogimur æquoreis piscibus esse cibus,  
 Talia dum querimus, ferientes pectora palmis,  
 Mœstaq; dum largis ora rigamus aquis:  
 Terribili Boreas solvit stridore carinam,  
 Membra per immensum diripuitq; fretum.  
 In fera præcipites devolvimur æquora cuncti,  
 Nosq; furens operit fluctibus unda suis.  
 Emergens iterum sublato vertice ponto,  
 Sæva celer manibus flumina tundo meis.  
 Vestigiansq; meos chara cum coniuge natos,  
 Fortiter æquoreis erigor altus aquis.  
 Sed quocunq; caput salso grave gurgite flecto,  
 Apparent oculis corpora nulla meis.



Tum tremulus miseros horror complectitur artus,  
 Sollicitum gelido corq; timore paver.  
 Nequicquam lachrymans gemibundavoce vocabam  
 Vxor in amplexu non moriere meo?  
 Secernentq; tuo corpus freta corpore nostrum?  
 Diraq; nos tandem distrahet unda duos?  
 Quid precor esse potest pœna crudelius ista?  
 Quid gravius tali conditione necis?  
 Talia cœlicoli patientur, talia Divi?  
 Hæccine quos colimus facta probare Deos?  
 Dum sic clamosa commotus voce loquebar,  
 Incusans magni numina durapoli:  
 Eminus effractæ video quassata carinæ  
 Pauca per immensum ligna natare fretum.  
 Huc feror ingenti contundens æquora nixu,  
 Cæruleumq; meo corpore fido vadum.  
 Ignea trananti præbent mihi fulgura lumen,  
 Fulgura terribili præcipitata sono,  
 Suppeditant animum, redduntq; pericula fortem,  
 Et renovat vires mors obeunda meas.  
 Sic quondam secuit juvenis freta naufragus Helles,  
 Dum perit amplexus Sesta puella tuos.  
 Quo simulac longo defessum gurgite corpus  
 Pulsantes tulerant æquora cana manus:  
 Corripio mali contracti turbine partem,  
 Quam mare spumiferis exagitabat aquis.  
 Hanc superineumbens firmis circundo lacertis,  
 Impiger argentes concutioq; pedes.  
 Arbitrio pelagi nunc huc, nunc volvor & illuc,  
 Morte mihi varios injiciente merus.  
 Sæpe tumescentes feriunt mea terga procellæ,  
 Sæpe meum saliens obruit unda caput.  
 Nunc insurgenti sublimis in aera fluctu,  
 Nunc confidenti Ditis ad antra feror.  
 Crudelem misero minitantur singula cladem,  
 Diraq; terribilem præmonet unda necem.  
 Vociferor lachrymans, tandem miserescite Divi,  
 Meq; precor tantis eripitoro malis.

Tan-

Tandem præcipitem cohibe Neptune furorem,  
Te moveat thalamis uxor adempta meis.  
Dulcia commoveant orbatu pignora lecti,  
Illisa quæ trux obtulit unda rate,  
Sic satis infandos pelagi tolerasse labores,  
Sic satis indigna morte petisse meos.  
Hæcubi questus eram tenues moribundus in auras,  
Inclamans humili numina sacra prece:  
Confidente parum mitescunt æquore fluctus.  
Sedaturq; Noto deficiente fragor.  
Et modo quæ densa circumdata nube latebant,  
Depromunt vultus astra corusca suos.  
Apparet nulla læthalis parte comeres,  
Nec qui stelliferum verberat ense polum,  
Triste nec objectum flammæ ferit aera fulgur,  
Nec ferus æthèreo Jupiter axe tonat,  
Sed nitidum præbent placidissima sydera lumen,  
Undaq; jam nullo flamine mora silet.  
Et mox producens roseum Thitonia vultum,  
Vicinum terris nunciat esse diem.  
Jamq; suum recipit solitum res quæq; colorem,  
Et se dant oculis multa videnda meis  
Sed miser ob longum jam vix me tollo laborem,  
Fessaq; mordaci frigore membra stupent.  
Per medios tandem volventi lumina fluctus,  
Tristeq; flectenti per vada salsa caput,  
Ecce procul celeri proscindens æquora cursu,  
Apparet medio vasta carina freto:  
Tum nova defessum ceperunt gaudia pectus,  
Gaudia ferventi sæpe petita prece,  
Mox claram tollens ad cæli sydera vocem?  
Eminus erecta pelliciensq; manu:  
Huc iter, exclamo, precor huc deflectite cursum,  
Huc volucrem subito dirigitote ratem,  
Illi laxatis vërrentes carbasa loris,  
Ad me continuo corripuere viam.  
Et me quod superi quod numina lævanegarant,  
A pristis grata morte tuentur ope.

Sic

Sic ego fallaci nuper subreptus ab unda,  
 Vicinæ fugi dira pericla necis,  
 Degere tranquillum quicumq; suaviter ævum,  
 Et gaudes animo liberiore frui:  
 Aspera fac vites dubii discrimina ponti.  
 Et rapidum Boream præcipitemq; Notum.  
 Et tristes Hyadas, nimboſi ſydera Tauri,  
 Exemplo tandem diſce cavere meo.  
 Alterius damno felix quicumq; docetur,  
 Quem circumſpectum ſors aliena facit.  
 Non me fallaces unquam nova puppis in undas,  
 Nec lucri ruſus ſpes maleſana trahet.  
 Sed rapidum tumidi formidans æquoris æſtum,  
 Piſcator poſthac cautior iſtus ero.

## AD QVIRINVM TALESIVM.

*Elegia VI.*

**H**Os mea Muſa ſibi xeni pro munere verſus  
 Imparibus neſcit vir reverende modis.  
 Cunctantiq; mihi removel de fronte pudorem,  
 Hic nihil eſt certe quod verearis, ait.  
 Tu tantum pavidæ poſita formidine mentis,  
 Threicjam blandæ pollice tunde chelyn  
 Nos lepidum dulci carmen modulabimur ore,  
 Facundumq; dabunt barbica pulſa ſonum,  
 Hic etenim noſtri reveretur numina fontis,  
 Et ſacra Parnaffi culmina montis amat.  
 Cumq; ſit innumeris, quas fert reſpublica, curis  
 Obrutus, & vaſtum vertice geſtet onus:  
 Nemo tamen doctas adamat flagrantius artes,  
 Nemo pari Muſas religione colit  
 Quid tua profuerit cæcis abjecta cavernis  
 Carmina limoſo computruiffe ſitu?  
 Si ſquallente tui corrupti pulvere verſus,  
 Perpetuo tineis præda parata latent.

Dir.

Diræum quamvis vincas Amphiona cantu,  
 Orphæam superent & tua plestra lyram :  
 Nulla tamen tacitis referetur gratia chordis,  
 Cassaq; lucifugæ gloria vatis erit.  
 Fama foret magni cunctis ignota Maronis,  
 Linguaq; laurigeris suspicienda viris :  
 Si turpi quondam periisset pulvere codex,  
 A Phrygio clarum qui duce nomen habet.  
 Quid referam gelidi doctum Sulmonis alumnum,  
 Qui facili pepigit carmina multa manu ?  
 Claraq; quem genuit generosum Corduba vatem,  
 Et celebrem Latia te Venusine chely.  
 Aspera quiq; refert Thebanæ prælia gentis,  
 Mistum fæmineis Æacidemq; choris.  
 Armaq; Punicei qui cantat sæva tyranni,  
 Fracta salutaris calliditate moræ.  
 Raptaq; cui tribuit magnum Proserpina nomen,  
 Tristia Ruffino bellaq; gesta Duce,  
 Quorum si furvis latuissent scripta cavernis,  
 Optatus blateis turpibus usq; cibis :  
 Non foret illorum totum vulgata per orbem,  
 Aut in diversis cognita fama locis :  
 Hic ego subridens, nostras temeraria nugas  
 Tam doctis audes æquiparare libris ?  
 Tu mihi Peligni versus, magnive Maronis  
 Commemoras, nunquam quod morietur opus ?  
 Aut alios, quorum sacro labra tincta liquore,  
 Æterno dignum carmen honore canunt ?  
 At mea tam doctis non assimilanda poetis,  
 Rustica Pierio Musa lepore caret.  
 Hos ait illa, tamen sequeris pro viribus, errent  
 A posiro quamvis spicula vestra scopo.  
 In medio fas est fessum consistere cursu,  
 Qui petit ardenti maxima quæq; gradu.  
 Nec virtute sua quæ sunt confinia primis,  
 Nec dos promerita proxima laude caret.  
 Dulcia sic gracili modulatur carmina voce,  
 Indoctus nuper qui citharædus erat.

Aspice quam varii diverso poemata vates  
 Dissimili quondam concinuerunt sono.  
 Ille Sophocleus sublimi voce cothurnos,  
 Hic Colophoniaci bella fragore crepar.  
 Terribiles alius lituos, pugnasque perosus,  
 Disparibus nectit dulcia verba modis.  
 Hi stolidum ludunt mordaci carmine vulgus,  
 Et retegunt falso facta pudenda joco.  
 Sunt quos pressa levi delectant pulpita focco,  
 Miranturque tuos Plauti diserte sales.  
 Lascivo quidam scribunt epigrammata versu,  
 Fœdaque crispanti crimina nare notant.  
 Hic sacros lyrico celebrat vel pectine Divos,  
 Vel cœcolæsum pectus amore gemit.  
 Qui quamvis uno passim simul ore probantur,  
 Æternumque sibi promeruerunt decus:  
 Non tamen his eadem facundæ gratia linguæ,  
 Nec docti cunctis par nitor oris adest.  
 Biblicum Andæo confer cum vate poetam,  
 Qui modo facundus, jam prope mutus erit,  
 Immortale tamen vates hic carmine nomen,  
 Claraque perpetuæ præmia laudis habet.  
 Ergo supervacuum remove de fronte pudorem,  
 Ecce tibi faciles concrepuere fores.  
 Quid miser attronito stupefactus pectore palles?  
 Quid timida infelix anxietate paves?  
 Hæc pariet summam tibi confidentia laudem,  
 Versibus hunc poteris demeruisse tuis.  
 Dixit, & arrepta lepidum testudine carmen  
 Ludit, & Aonidum succinit ore chorus.  
 His stimulis tandem me Calliopeja coegit,  
 Confidente tibi carmina ferre manu.  
 Carminatam docto nequaquam digna palato,  
 Nec meritis in nos æquiparanda tuis.  
 Non tamen idcirco torvo mea munera vultu  
 Spernes, sublaris dispiciesve genis.  
 Sæpe vaporifero cœlestia numina thure  
 Divinus sacra flamen in æde colit.

His gaudent donis, his delectantur amici,  
 Qui pia Gorgonei numina fontis amant.  
 His commotorum mulcentur pectora regum,  
 His ponit bilem mens furiosa suam.  
 His è saxosis rapiuntur montibus orni,  
 Hac sævi rabies arte moventur apri.  
 Hoc formidandus cicuratur munere pardus,  
 Diraq; quæ nostrum fingit hyæna sonum.  
 Hæc immortalem parivat munuscula famam,  
 Et faciunt avidis nos superesse rogis.  
 Hos igitur versus, mansuri dignus amoris,  
 Accipies placido Consul amice sinu.  
 Dumq; sinunt gravium diversa negotia rerum,  
 Perlege, & exigui muneris instar habe,  
 Sic ego Pieriæ laudis succensus amore,  
 Facundo posthac cultius ore canam.

### CALAMITOSAM CHRISTI VITAM DEFLET.

#### *Elegia VII.*

**Q**uid mea tam subito contristat pectora luctu,  
 Mœstaq; sollicito membra dolore gravat?  
 Quæ nitidis quondam frontem decorata corollis  
 Dulce mihi cecinit sæpe Thalia melos:  
 Nunc nisi funestæ foliis redimita cupressi  
 Imparibus nectit tristia vefba modis:  
 Pulsaq; flebilibus resonant mea barbita nervis,  
 Et chelys ille pido perstrepat icta sono.  
 Hei mihi quid solitæ languent in corpore vires?  
 Quid mea profusis fletibus ora madent?  
 Mors tua Christe meum transfixit vulnere pectus,  
 Hanc mea lugubri Musa dolore gemit.  
 Quas non sensisti lacerato corpore pœnas,  
 Innocuus dum tu crimina nostra luis?  
 Dum pius amissam mundo reparare salutem,  
 Nosq; tuo patri conciliare paras.

*Tristitia*

Tristia prævertit gravis incunabula luctus;  
 Dum fert optatum te pia mater onus.  
 Nulla patent charæ prægnanti recta parentis;  
 Hospite differtos obliuente lares.  
 Cogitur agrestis sordentia limina villæ,  
 Et perstillantis tigna subire casæ.  
 Apparat laceros hic enixa puerpera pannos;  
 Et tua linteolis membra tenella ligat.  
 Hybernū nullo frigus depellitur igni,  
 Sed ligno languet deficiente focus.  
 Objiceris stolidis asinis, bubusq; fovendus,  
 Ne gravis algentem frigore lædat hyems,  
 Qui modo flammigeris residebat celsius astris;  
 Imperium cogens cuncta subire suum:  
 Nunc infans vili strictim centone ligatus,  
 Inter ruricolæ alget, egetq; boves  
 Heu diversarum quæ commutatio rerum;  
 Quis madido tales non fleat ore vices?  
 Attamen humana pecudes ratione carentes,  
 Senserunt numen rex venerande tuum,  
 Frigida jucundo recreant tua membra calore;  
 Quo tantum possunt officioq; iuvant.  
 Hinc tener octavum dum cernis pugio solem.  
 Purpureo gelidum sanguine spargis humum  
 Mox rabido genitrix regis turbata furore,  
 Cedit Idumæo voce gemente solo.  
 Quid precor insontes furiis agitate puellōs  
 Præpropera passim morte tyrannæ necas?  
 Dirorū cohibe stragem furibunde latronum;  
 Talis in evictos sæviat ira reos.  
 Ille tuis pridem concessit finibus infans,  
 Crudelem frustra cui meditare necem.  
 Tu' putas summum te fallere posse Tonantem  
 Aut quamvis vaftris illaqueare dolis?  
 Evanescentem complecti niteris umbram:  
 Vivit, & insidias nil timet ille tuas.  
 Mox patiere tuo meritis pro crimine pœnas;  
 Dignaq; crudeli præmia cæde feres.

Te tamen alme puer bilem frustrate tyrannus  
 Anxietas inopem tristitiæq; manent,  
 Dum tener ignotas hospes Memphitidos oras  
 Invisis, part iuth destituisq; solum  
 Quis negat exanimem lachrymis maduisse parentem  
 Et roscas fletu sæpe rigasse genas?  
 Virgineo dulcem dum lactans ubere natum;  
 Invehitur tergo vilis aselle tuæ.  
 Nequiesquam stantem flens consolatur Joseph,  
 Immensus superat dulcia verba dolor.  
 Inde Palæstinas rursus revocatus ad urbes,  
 Vitatos repetis per loca vasta lares.  
 Hinc tua bis senos ætas cum viderat annos,  
 In sacra canos imbuis æde senes.  
 Grandævi stupere sophi, legumq; magistri,  
 Abdita facundo dum puer ore doces.  
 Post hæc labenti factus robustior ævo,  
 Infracta gaudes aspera mente pati.  
 Effugiens hominum cœtus, mundi; cumultus,  
 Mordaci subigis sobria membra fame.  
 Sæpe pruinosæ glaciali frigore brumæ,  
 Sæpe valescenti tostus ab igne gemis.  
 Aspernaris opes, hominum quas vulgus adorât,  
 Molitiem, luxum, deliciasq; fugis.  
 Non tibi marmoreis decoratæ postibus ædes,  
 Non arx æriis turribus alta placet.  
 Despicias oblatos, parvo contentus, honores,  
 In vili sitiens, esuriensq; casa.  
 Attamen amoras longe tua fama per urbes;  
 Sis licet abiecta conditione, volat.  
 Pallida dum solo medicatis corpora tactu;  
 Dum Stygios valido dæmonas ore fugas.  
 Dum tumidos pelagi mandas subidere fluctus,  
 Et posita rapidos bile filere Notos.  
 E putribus revocas dum mortua corpora bustis,  
 Plebe potestatem suspiciente tuam.  
 Sed quæ pro tantis retulit tibi præmia donis  
 Gens clementia religionis tument?



Quo magis ingratis Solymis prodesse laboras;  
 Hoc odio fervent asperiore tui.  
 Infensa; pium sitientes mente cruorem,  
 Te varijs tentant illaqueare dolis.  
 Objiciunt puræ falsissima crimina vitæ,  
 Factaq; quæ laudem promeruerunt, notant.  
 Sæpe vaftris dum te nituntur fallere, rebus,  
 Constricti laqueis erubescere suis.  
 Attramen illusi non unquam segnius adsunt,  
 Suppeditant fraudes ira furorq; novus.  
 Nec prius infandis statuunt desistere cœptis,  
 Quam turpi cernant te potuisse nece.  
 Huc indefessis incumbunt viribus omnes,  
 Huc studium confert tota caterva suum.  
 Odementatæ crudelia pectora gentis,  
 Pectora montanis asperiora feris!  
 Hic te posthabitis elegit gentibus unam,  
 Consortem regni participemq; sui.  
 Talia pro meritis illi nunc dona rependis?  
 Sunt hæc munifico præmia digna Deo?  
 Quid precor infestus posset crudelius hostis?  
 Hostiles superas impietate manus.  
 Nec mora ferratas Juda munitore phalanges  
 Huc, ubi noverunt te fore, nocte trahunt.  
 Incensis lati radiant funalibus agri,  
 Raucaq; terribili scuta sonore fremunt.  
 Occurris placidus sævis prædonibus ultro,  
 Pro nostra gaudens impietate mori.  
 Crudeli teneras constringunt compede palmas,  
 Sanguine de digitis usq; fluente tuis.  
 Præsulis hinc sævi Caiphæ protractus in ædes,  
 Cogaris atroci digna latrone pati.  
 Hic sacrum sævo sugillat verberare vultum,  
 Ille tuum turpi conspuat ore caput.  
 Mox tua nodosis conscindunt viscera loris,  
 Molliculam virgis dilacerantq; cutem.  
 Vulnificis alius cingens tua tempora fertis,  
 Ludenti regem te vocat ore suum.

Non

Non ita villosis laniatur cervus ab ursis;  
 Agnave sanguinejs obvia facta lupis.  
 Nec satis hoc, nullo gens exaturanda cruore;  
 His tibi tormentis asperiora parat.  
 Affigit rigido liventia brachia malo,  
 Cuspide divinos perterebratq; pedes.  
 Et lacerum tollens erecto stipite corpus,  
 Infigit gelido robora dura solo.  
 Quassata roseus distillat ab arbore sanguis:  
 Tortaq; terribili membra dolore crepant.  
 Interea crebro morientem scommate ludunt;  
 Probtosæ pœnam conduplicantq; necis.  
 Quoniam nimium tristes hominum miserate labores;  
 Tu mea crudeli crimina morte lues?  
 Nostraq; purpureo delicta cruore piabis?  
 Fœdaq; pro mundi facta salute feres?  
 In nos convertat rabies Judaica ferrum,  
 Et veros præceps puniat ira reos.  
 Nos verita dulces decerpimus arbore fructus;  
 Spernentes summi iussa verenda Dei.  
 Fas est, te salvo quod nil deliqueris, ipsos  
 Qui pœnam vitiis commeruere, pati.  
 Quis pastor simili caulam dilexit amore?  
 Quis sibi commissas sic adamavit oves?

A D

D. PHILIPPVM AB HOGESTEYN,  
 RHODIANORVM DOMINOR. Apud  
 Harlemenses præsidem.

*Elegia VIII.*

**I**psis solus eram reverende Philippe calendis,  
 Quæ vetus à Jano nomine nomen habent:  
 Cum facunda novem modulari turba sororum  
 Carmen Apollineis est mihi visa modis.  
 Illa ferit blando resonantes pectine chordas,

N 2

Hæc

Hæc nova vocalicarmina voce canit.  
 Festivas aliz gaudent agitare choreas,  
 Cogentes tremulos ad sua verba pedes.  
 Jamq; ego Phœbæo cæpi flagrare calore,  
 Et solitodulci cultius ore loqui.  
 Attonito miror fluitantem pectore venam,  
 Jamq; mihi certum numen adesse reor.  
 Mox ubi contenta siluissent voce Camœnæ,  
 Hæc ego disparibus profero verba modis.  
 Nunc agedum gracili pulsans tua pollice plectra,  
 Editodulcisonum Calliopeia melos.  
 Priscaq; commemorans veteris primordia Jani,  
 Dic mihi bifrontis quæ sit origo Dei.  
 Qui procul ancipiti vententia tempora vultu,  
 Lapsaq; Saturno sceptratenente vider.  
 Cui sacra Martigenæ fecerunt prima Quirites,  
 Fundentes liquidum per loca festa merum.  
 Has ignotarum causas cognoscere rerum  
 A te facundo carmine Musa velim.  
 Tum Dea nectaream promens è pectore vocem,  
 Hos mihi festivo protulit ore sonos.  
 Accipe Thesbiadum charissime mysta Sororum,  
 Tempore quod de me conveniente petis.  
 Rex fuit antiqua prognatus origine Janus,  
 Vir præcellenti calliditate sagax,  
 Hic fera prudenti subigens moderamine regna,  
 Oenotrio rigidos rexit in orbe duces,  
 Grandia turrigeris munivit & oppida muris  
 Et tulit in tristi publica jura foto,  
 Tutpla punivit scelerosi crimina fontis,  
 Protexitq; probos integritate viros,  
 Concubitusq; vagos prohibens, effecit ut essent  
 Legitimo juncti vir mulierq; toro,  
 Insuper ardenri Divis molimine templa  
 Primus in Hesperiiis ædificavit agris,  
 Cornupetasque boves sacras adolevit ad aras,  
 Flagranti venerans relligione Deos.

Ædi-

Ædibus inde suos debere præesse penates  
Censuit, & tepidis numen inesse focis.  
Præficiens igitur domui sua numina cuique  
Creditor ædicolas instituisse lares,  
Tanta fuit Jano sacrorum cura Deorum,  
Tantus honestandæ religionis amor.  
Post ubi transactæ defunctus munere vitæ,  
Inq; rogo veterum more crematus erat;  
Omnis ei pattæ meritos pietatis honores  
Decrevit regem plebs venerata suum.  
Et dignus retulit tanto pro munere grates,  
Hunc inter superos constituendo Deos.  
Ancipiriq; duas tribuit cum lumine frontes,  
Præterit quicquid quodq; futura videt  
Per quod quanta suo fuerit sapientia regi,  
Oenotrios olim significasse ferunt.  
Huic Numa magnificum longo post tempore sanum  
Fertur in Autonio constituisse solo.  
Et quia prima sacris quondam libamina Divis  
Obtulit, & coluit primus honore Deos:  
Huic nova decrevit primo sacra mense sacerdos,  
Injiciens tepidis thura merumq; focis.  
Accessum per quem cœli loca læta colentes,  
Ad reliquos facilem credidit esse Deos,  
Vt pote qui rutili residens ad limen Olympi,  
Marmoreas servat nocte dieq; fores,  
Has ubi melliflua respondit vote loquelas  
Gloria Pieridum Calliopeia chori:  
Dulcia Castalidis demirans verba puellæ,  
Talialaxato protinus ore loquor,  
Quas tibi magnanimi soboles Jovis inclyta laudes,  
Hoc tanto dignas munere Diva canam?  
Quæ lepidoretegens abstrusas carmine causas  
Imbuis Aonio pectus amore meum.  
Enarrasq; tuo rerum primordia mystæ,  
Et me sacrorum non finis esse rudem.  
Hæc mihi donec erit cum corpore vita superstes,  
Te semper grato pectore Musa colam.

Et sacra Gorgonei venerabor numina fontis,  
 Dum mea vitalis viscera sanguis alet.  
 Hæc tibi de Jano revoluti tempore solis.  
 Imparibus cecini vir reverende modis.  
 Quid ocili tantum naturam mente sequutus,  
 Exuperat nostros integritate duces.  
 Ex hoc prisca liquet quanta pietate vetustas  
 Cælicolas olim sit venerata Deos.  
 In nobis contra pietas, virtusque refrixit,  
 Et cum syncera religione fides.  
 Quin sacra supremi spernentes jussa Tonantis  
 Sectamur cæcos impietate duces.  
 Aker in alterius grassatur cuspide vitam,  
 Quodlibet aggrediens mente furente nefas,  
 Et sua quisque tui turatur dogmata ferro,  
 Et fera pro Christi nomine bella ciet.  
 Interea illicito violantur crimine leges,  
 Spernuntur iusti jura sacra fori.  
 Heu cæcum mortale genus, perversa furore  
 Pectora, cælesti gens inimica Deo!  
 Quam tua præceptis respondent scita Tonantis,  
 Pro quibus infesto prælia Marte moves?  
 Qui jubet illaro blandam pro scommate vocem,  
 Et placida comem mente referre sonum.  
 Qui docet immeritas patienti pectore pœnas,  
 Oblatoque suos corpore flagra pati.  
 Aspice quo cecidit perjuri dæmonis astu  
 Sydereo quondam turba creata polo.  
 Hanc quis non doleat lachrymarum flumine cladem?  
 Quis madido talem non fleat ore luem?  
 Ne tamen attonita miremur talia mente,  
 Cum constet tanti quæ sit origo mali.  
 Hanc prius è summo mittens Deus æthere pestem  
 Vindicat ultrici crimina nostra manu.  
 Crimina divinam quibus irritavimus iram,  
 Crimina cœlesti non toleranda Patri.  
 Nil igitur restat (flectunt pia vota Tonantem)  
 Quam prece clementem sollicitare Deum.

Ille

Ille repentina mutabit schismata pace,  
 Et vera tollet dogmata falsa fide.  
 Ergo saluciferi venerantes numen Jesu,  
 Tandamus tristi pectora nostra vitæ,  
 Fœdaq; deflentes sceleratæ crimina vitæ,  
 Adjecta placidam mente peramus opem.  
 Sed tibi ne longum pariat fastidia carmen,  
 Desino, tu felix incolumisq; vale.

## AD CHRISTVM, PRO PACE, ET CONCORDIA ECCLESIE.

### *Elegia IX.*

**O**Mnipotens pie Christe Deus, rex maxime regū  
 Interitus expertus, principioq; carens :  
 Qui genus humanum probroso crimine lapsū  
 Insenso gaudes conciliasse Patri,  
 Et cacodæmonia nimium feritate gravatū  
 Ex antro Stygii surripuisse lacus:  
 Aspice dilectam pacato lumine sponsam,  
 Cuius es infamifixus amore cruci:  
 Quam malus huc illuc dispersam distrahit error,  
 E Phlegetontæis excitus error aquis,  
 Quæq; feri penitus devicta tyrannide Ditis,  
 Auxiliatrices invocat usq; manus.  
 Eripe sanguineis laceratum faucibus agnum,  
 Ne rabido totum devoret ore lupus.  
 Hei mihi Tartarea quantos ciet arte tumultus,  
 Decipit incautas dum veterator oves.  
 Quas non versuto meditatur pectore rethor  
 Simplicibus ficta dum pietate nocet.  
 Dum detestandis terras erroribus implens,  
 Insidias, fraudes, bella dolosq; serit.  
 Dum circumventos atrum protrudit in Orcum,  
 Latuos factis præmia digna suis.  
 Nec tamen ille tuum solus populatur ovile,  
 Sed pravæ socios impietatis habet.

Instructos simili non paucos fraude ministros  
 In caulam misit pastor amande tuam.  
 Qui mala fallaci spargentes dogmata mente,  
 In sua mortales retia mille trahunt,  
 Obiiciunt gratos, sed adunca cuspide, bolos,  
 Et dulcem nigro non sine felle cibum.  
 Omnibus est idem simulato Christus in ore,  
 Sacraque cum vera religione fides.  
 Et cum mortiferus lateat lupo intus, ovilla  
 Execranda vatri crimina pelle tegunt.  
 Quin divinorum veracia verba librorum,  
 Ad sua corruptæ somnia quisque rapit,  
 Dementant cæca multorum pectora fraude,  
 Pestiferis miseros decipiuntque dolis.  
 Dulcibus inculcant decreta nocentia verbis,  
 Diraque fragrantî melle venena tegunt.  
 Et cum mendaci doceant pugnantia voce,  
 Nil hoc quod referunt verius esse volunt.  
 Si quis ad externos oculum converterit aclus,  
 Numina lustratos credat adesse viros.  
 Sepius hos flexo prostratos corpore cernas  
 Cœlestem votis sollicitare Patrem.  
 Subveniunt inopi, consolanturque dolentes,  
 Objurgant fontes, erudiuntque rudes,  
 Et retricam ficto faciem pallore colorant,  
 Rugosam macie dedecorantque cutem.  
 At si perspicias latitantes pectore fraudes  
 Jam veræ pestes religionis erunt,  
 Venantur vanos specie pieratis honores,  
 Syrmate coniectum dissimulante dolum  
 Commissumque pecus pastoris nomine glubunt,  
 Clam Veneri, ventri, luxurizque vacant.  
 Dumque tuo passim se duci numine jactant,  
 Quisque sibi populum cogit habere fidem.  
 Hos dixi falsos orituros Christe Prophetas  
 Venturi ignaris temporis ore tuis.  
 Dum personatos agnino tergo mandas  
 Vetari cauta sedulitate lupos.

Dum

Dum spectare jubes quos fructus proferat arbor,  
Ut recti pateant crimina fœda doli.  
Nos tamen immemores patulas prædonibus aures  
Præbemus, monitus despicimusque tuos.  
Lubrica pro certis, pro veris falsa probamus,  
Cæcæque judicio mens hebet orba suo.  
Blanditur stolido pietas simulata popello,  
Et fraus mendaci compra colore juvat.  
Insipido sapiunt tantum modo grata palato,  
Ægraque languenti lingua sapore stupet.  
Nemo venenosi lenit sibi vulneris ictum,  
Sed medicas horret quisque fugitque manus,  
Ut, quæ dispersis latè radicibus hæret,  
Non facile ex veteri pellitur arbor humo:  
Sic assuetæ rudi nequaquam dogmata vulgo  
Evelli passim peste vagante queunt.  
Me miserum, quanta nostræ caligine mentes.  
Quam detestandis obstupere malis:  
Siccine Lethæis patieris Christe lacunis  
Humanum mergi dæmonis arte genus?  
Siccine Tartareus caulam populabitur hostis,  
Pro qua te gaudes sustinuisse necem?  
O semper tristes hominum miserate dolores,  
Optatam toties ferto salutis opem.  
Confice lethiferis mordacem dentibus ursum,  
Ne simul illæ sæ dilanientur oves.  
Repentemque feri cohibe cacodæmonis astum,  
Ne serpat Stygia latius arte malum.  
Excute terrenas stupidis è mentibus umbras,  
Divinaque tuos effice luce frui.  
Et piceam lippis oculis evellito nubem,  
Ut pateant technæ perfide prædo tuæ.  
Ne permitte trucem nobis cedentibus hostem  
Effera victrici ferre trophæa manu.  
Te sponsæ flectant lachrymæ gemitusque piorum  
Te nostræ vincant, commoveantque preces.  
Ultricem nunquam Sodomæ plebs impia dextram  
Sensisset, vitijs dignaque fata suis:



Si modo nequitijs habuisset perdita tellus  
 Spectata paucos integritate viros.  
 At nunc permulti passim Deus alme super sunt,  
 Qui te syncera religione colunt.  
 Quique tuum casto profitentes pectore nomen,  
 Promissam lachrymis opperiuntur opem.  
 Ad quorum gemitus tandem precor exere dextram,  
 Sentiat ultrices bellua tetra manus.  
 Quæ varijs totum complens erroribus orbem,  
 Iurgia cum rixis, dissidiumque ciet.  
 Quod si tu lapsis renuas succurrere rebus,  
 Mox erimus rabido præda petita lupo.  
 Quod petimus præstare potes Deus optime nutu,  
 Imperio cum sit subdita cuncta tuo.  
 Æthereus flexo tibi paret poplite cætus,  
 Et quicquid tellus, & mare quicquid habet.  
 Quis non horrescat, dum talia mente revolvit,  
 O maiestatem Rex venerande tuam?  
 Et post mortales cælo delapsus in arcus,  
 Multa stupefcenti mente notanda facis.  
 Infestos abigis sacro cacodæmonas ore,  
 Fessaque terribili membra labore levas,  
 E putribus revocas defuncta cadavera bustis,  
 Te populo verum vociferante Deum,  
 Restituisque suo spoliatis lumine visum,  
 Præonia tollens doctius arte malum.  
 Cum tempestatem socij, mortemque timerent  
 Æquore curvatos transiliente foros,  
 Te divino somno sacra scripta librorum  
 Languida defessum membra levasse ferunt;  
 Ad gemitum tandem sed surrexisse tuorum,  
 Mox pelagus monitus extimuisse ruos,  
 Canaque confestim pacatis æquora ventis,  
 Et rabidi murmur conticuisse vadi.  
 Attamen is tantum paucorum corpora nimbus  
 Submersa tumidis puppe necasset aquis:  
 Innumeras furor hic animas deturbat in Orcum,  
 Totius pestis, perniciousque gregis.

Quod

Quod nisi tu diros compescas dæmonis ausus,  
 Spes desperatæ nulla salutis adest.  
 Terrificis ibi, pectus divulsa procellis,  
 Ni quassæ clemens auxiliare rati.  
 Quæ varijs vexata malis, & fluctibus acta,  
 Implorat numen voce gemente tuum.  
 Horrendis tandem pelagi subrepta periclis,  
 Oportum teneat fessa carina solum.  
 Ad te confugimus, nos deliquisse fatentes,  
 Commissum fassis auxiliare reis.  
 Hos cæli nobis pepererunt crimina nimbos,  
 Vitaque diversis undique plena malis.  
 Nec pejora tamen nos commeruisse negamus,  
 Et levius meritis esse fatemur onus.  
 Est tua nam quovis clementia crimine major,  
 Nec certum veniæ continet illa modum.  
 Quid tandem humanæ sator, assertorque salutis  
 Pro nobis quod non aggrediaris, erit?  
 Qui Deus indutus terreni corporis artus,  
 Probrosam tacito passus es ore necem.  
 Qui, verus ut quondam coluber, sublatus in auras,  
 Sensisti rigidæ vulnera dira crucis.  
 Aspera pro quorum subisti fata salute  
 Hos Stygia rursus fraude perire sines?  
 Non ita, nam sævis quamvis tua cymba procellis,  
 Et rapidis pelagi concutiaturs aquis,  
 Non tamen atroci ventorum turbine fides,  
 Sperata tandem sed potietur humo.  
 Cladibus optatum varijs exercita portum,  
 Divina jam jam tuta subibit ope,  
 Hanc venerande fidem dilectis Christe dedisti,  
 Dum dubia tristes anxietate levas,  
 Quæ tum mox nobis coram promissa patebunt,  
 Si modo quod petimus jusseris esse ratum.

TRISTEM

ELEGIARVM  
TRISTEM SVI TEMPORIS  
DEPLORAT STATVM.

*Elegia X.*

**Q** Vis non hæc largo deploret tempora fletu,  
Tempora mortiferis undique plena malis?  
Re Iugionis amor, pietas, virtusque refixit,  
Improbitas passim, fraudesque nefanda vigent,  
Crudelique ferox complet Mars omnia luctu,  
Obruta sub pedibus paxque, quiesque jacent,  
Maxima pars hominum turpi lymphata furore,  
Præcipiti rapitur per scelus omne gradu,  
Tanta est impietas, peccandi tanta libido,  
Vt nihil illicitum, nil vetitumque putent,  
Alma fides terras nunquam reditura reliquit,  
Pro qua perfidia regnat ubique dolus,  
Diversos diversa iuvat delicta patrare,  
Nec credunt vitij crimen inesse suis,  
Hi fera crudeli sectantes pectore castra,  
Tristitia profuso bella cruore gerunt.  
Exurunt passim segetes, magalia, villas,  
Et sibi quod prodest omne licere putant,  
Despoliant miseros, & depopulantur inermes,  
Atque illis nunquam qui nocuere, nocent,  
Invigilans alius cumularis undique gazis,  
Pro Christi fluxas deveneratur opes:  
Quas dum corradit miseros frustratur amicos,  
Mentitur, fallit, depositumque negat.  
Dulcis odor lucri, nimiumque suavis habetur,  
Hoc recreat nares exhilaratque suas;  
Et quanquam plenas nummorum possidet arcas,  
Divitijs fruitur non tamen ille suis.  
Sic circumfusus taciti vulgator in undis  
Arenti semper Tantalus ore sitit.  
Hic tumidi fluctus pelagi, scopulosque pererrans,  
Horrida fallaci lentre pericla subit.  
Non illum terrent Hyades, non tristis Orion,

Districto

Districto nitidum qui ferit ense polumi.  
 Fulgura contemnit, motique tonitrua cœli,  
 Atque aris cupidum non remoratur hyems,  
 Terribiles perfert invicta mente procellas,  
 Infantum Boream, præcipitemque Notum.  
 Vique suas nummis fallacibus impleat arcas,  
 Non dubitat vitæ mille pericla pati.  
 Omne scelus, lucri si spes affulserit, audet,  
 Et sibi, quæ prosunt, cuncta licere putat.  
 Plenaque versutis nescit mendacia technis,  
 Ne partum peteat fraude doloque lucrum.  
 Turpiter hic contra luxu rem decoquit omnem,  
 Profusus patrias & malè perdit opes.  
 Ebrius in medias profert convivia noctes,  
 Et Paphicæ sequitur turpia castra Deæ.  
 Allatura famen donec succedat egestas,  
 In desolatæ prodiga tecta casæ.  
 Tum vacuam exhausto frustra dolet ære crumenam,  
 Infortunatum sequæ suosque vocat.  
 Sed tibi nil questus, nil prosunt stulte querelæ,  
 Eveniunt factis præmia digna tuis.  
 Ast alius Tyriò residens sublimis in ostro,  
 Magnifico passim gaudet honore coli.  
 Et se patricio progenatum sanguine jactat,  
 Vnde sibi nullum cogitat esse parem.  
 Elato quemvis audet contemnere vultu,  
 Stemmatis clarus, conspicuusque suis.  
 Sed mox divitijs exutus, pauper, & expes,  
 Irus fit subitò, qui modò Cræsus erat.  
 Tunc miser elapsos sero miratus honores,  
 Instabili queritur se cecidisse gradu.  
 Improba vesano multos Venus urit amore,  
 Quo solet obscænos exagitare canes.  
 Imaque lascivis torret præcordia flammis,  
 Ut penitus mentis jam ratione vacent.  
 Hinc turpi vetitis inhiantes corpore stupris  
 Legitimos gaudent contaminare toros.  
 Et faciunt quodcunque jubet furiosa voluptas,

Dum

Dum mens iudicio fronsque pudore caret.  
 Sed mox præproperæ languor, tabesque senectæ;  
 Membraque nequitijs debilitata suis,  
 Admisso tristes poscunt pro crimine pœnas,  
 Et miserum torquent, discruciantque senem.  
 Mollibus hic recubans prostrato corpore plumis,  
 Se catur vitam Sardanapalæ tuam,  
 Fæmineaque lèves indutus veste choræas  
 Ducit, & amoris ociâ rebus agit.  
 Nullum illi studium cordi est, horretque laborem;  
 Indulgens genio, luxuriæque vacans.  
 Nilque vito dignum præstat, sed stultus & excors;  
 In latebris gaudet delituisse suis.  
 Ingenij spernit dotes, contemnit & artes,  
 Et curam tumidi nil nisi ventris agit,  
 Mente voluptates tota venatur, ut illum  
 In stolidum dicas degenerasse pecus.  
 Sunt alij, bona potando qui tempora perdunt;  
 Quique dicant totos se tibi Bacchæ dies.  
 Hi dum crebra avidis vacuant carthesia labris;  
 Multaque dum sorbent pocula, plura petunt:  
 Tanta est ariditas, & sicci gutturis ardor,  
 Tanta est ingluvies, luxuriæque gulæ.  
 Illicito nudat permultos alea lusu;  
 Alea fallaci sæpe voluta manu.  
 Hinc veniunt rixæ, perjuria, jurgia, cædes;  
 Offensæ, fraudes, perfidiæque malum.  
 Subjicit incertis his totum casibus orbem;  
 Divina credens nil ratione geri.  
 Sed solam verso Fortunam somniat axe;  
 Instabiles rerum præcipitare vices.  
 Omnibus hanc igitur sibi divincire laborat  
 Officijs, precibus, blanditijsque Deam.  
 Nec subit æthereum votis placare Tonantem;  
 Aut querula summi voce rogare Deum;  
 Fastidit miseros dives morosus egenos,  
 Confidens opibus, divitijsque tumens.  
 Omnibus opprobrium paupertas grande putatur;

Laudati quondam qua viguere Duces.  
 Si quis Fabritij parvas modo viderit aedes,  
 Sperneret augustæ sordida tectæ casæ.  
 Despicitur vili Curiorum mensa salino,  
 Et non condito nobilitata cibo.  
 Rex cum fistilibus ridetur Porsena vasis,  
 Et sordent Samio pocula facta luto.  
 Si quis Serranum sudantem cernat aratro,  
 Digna parum tanto consule rastra putet.  
 Denique ne multis referamus singula verbis,  
 • Omnia sunt varijs undique plena malis.  
 Ervix conspicias multis è millibus unum,  
 Quem culpæ pudeat, pœniteatque suæ.  
 Cernimus in pejus jamptidem singula verti,  
 Proque malis passim pessima quæque vigent.  
 Impia conduplicant proavorum facta parentes,  
 Et sceleri gaudent accumulasse scelus,  
 Degenerisque pater superatur crimine nati,  
 Deteriorque ejus vita nepotis erit.  
 Nulla unquam tales viderunt sæcula mores,  
 Quis procul extremum credat abesse diem?

## AD HENRICVM à WAERT.

*Elegia XI.*

**Q**uod tua me blandis solatur epistola verbis,  
 Consilioque jūvas dulcis amice tuo  
 Rem mihi pergratam præstas, animoque revellis  
 Tempore tristitiam conveniente meo.  
 Addis præterea, me dum sors dura fatigar,  
 Persequar ut casus versibus ipse meos,  
 Tristibus exemplum proponit tale poëris  
 Naso Tomitano conditus exul humo.  
 Sed non est eadem nobis sententia, voce  
 Quos tacita video tristitia ferre, probo.  
 Hos quoque tu crebro coram laudare solebas.  
 Amotis referens lævia verba jocis.

Ergo

Ergo licet mœstam crucient hæc tempora mentem;  
 Est tamen in scriptis nulla querela meis,  
 Sit quicumque volet lachrymosi carminis auctor;  
 Nostra nequit tisti pagina voce queri.  
 Stulta suos frustra deplorat fœmina casus,  
 Infortunatam se miseramque vocet.  
 Dedecet ingenium mollis querimonia pectus:  
 Fortiter impositum vir patiatur onus.

## AD GEORGIVM.

*Elegia XII.*

**Q**uid miser adversa macrescis sorte Georgi;  
 Evulsis luctum significasque comis?  
 Siccine te vilis mergit iactura lucelli?  
 Sic propter fluxas excruciaris opes?  
 Quam multos angant gravioreſ respice casus;  
 Mitius infelix & tuâ damna ferēs.  
 Dum tibi blanditur rebus fortuna secundis,  
 Gnaviter affectus fac moderare tuos.  
 Quod si fallacem mutaverit improba vultum,  
 Mens successurâ se tueatur opē.  
 Instabili passim mutari singula lapsu,  
 Cunctaque præcipiti cernimus axe rapi.  
 Qui modo Sarrano residens sublimis in ostro,  
 Reddebat timidis publica iura reis:  
 Plurima, cui præerat quondam, semotus ab urbe;  
 Cogitur à turpi tristis sorte pati.  
 Et miser elâpsos frustra miratus honores,  
 Ieiunio vilem corrogat ore cibum.  
 Contra mendicos, nullisque patentibus ortos  
 Ejecti videas principis arce frui.  
 Hunc inconstantis fortunæ spernito lusum,  
 Et leve quod desles efficietur onus.  
 Contrahit adducto sua carbasa navita nodo;  
 Dum rapitur vento prosperiore ratis.  
 At si sedato mitescant turbine fluctus,

Soler-

Sole rti laxat lintea stricta manu.  
 Sic nimios, animi prudens moderaberis æstus,  
 Dum tibi multi jugas Copia fundit opes.  
 Fortis in adversis nec consternabere rebus,  
 Si mutet vultum fors malefida suum.

## EPITHALAMIVM.

*Elegia XIII.*

**Q**ui vaga cærulei moderatur sydera cæli;  
 Interitus expers, principijque Deus.  
 Felices vobis hic discumbentibus escas  
 Præbeat, & liquido pocula plena mero.  
 Sed tibi præ reliquis multam nove sponse salutem  
 Operat disparibus nostra Thalia modis.  
 Et tibi conjugium, felix faustumque precatur,  
 Præterea casti pignora multa tori,  
 Adducitque suas huc ad tua festa sorores,  
 Virgineos cœtus, Aoniosque choros,  
**Q**uos divinus Amor Concordia, Paxque sequuntur  
 Et junctura pio corda calore Fides.  
 Inter quas Charites redimitæ tempora fertis,  
 Conjugio dictant prospera fata tuo.  
 Has Hymenæus agit turmas & pulcher Apollo,  
 Et præses casti diva Gabina tori,  
 Hinc tibi jucundi dulcissima pignora lecti  
 Auguror, & thalami gaudia mille novi:  
**O** te felicem tam pulchra conjuge sponsum,  
 Hæc tibi divina contigit uxor ope.  
 Quæ sit forma vides, quam rara modestia vultus,  
 Ut deceat nulla factus ab arte color.  
 Si propius spectes oculos frontemque genasque  
 Nympharum certe dixeris esse genus.  
 Quæ velut æquoreis exortus Cynthius undis.  
 Obscurat radijs sydera cuncta suis:  
 Sic alias superat vultu splendente puellas:  
 Inter virgineos gratia magna choros;

*Pars III.*

○

Adde



Adde quod ingenuis, clarisq; parentibus orta,  
 Ornabit thalamum virgo pudica tuum.  
 Non probitas ignota tibi pietasque parentum,  
 Et clarum veteri nobilitate genus  
 Æmula virtutes imitabitur illa paternas.  
 Præstabit matris se similemque suæ.  
 Tum te præcipue venerabitur usque maritum,  
 Fæmina conjugio digna reperta tuo.  
 Et subito faciet pulchra te prole parentem,  
 Fœcundique dabit pignora conjugij.  
 Tu modo te præsta juvenis generose maritum,  
 Dum vires, ætas mens animusque vigent.  
 Te quoque legitimi, consors nova nupta cubilis,  
 Officij memorem convenit esse tui.  
 Nosti qua ducat te conditione maritus,  
 Et cur sis juveni juncta puella viro.  
 Vtere conjugio, complexibus utere castis,  
 Vt fiat vestra stirps numerosa domus.  
 Sic vos verus amor, sic gratia mutua junget,  
 Et dulci nectet corpora bina iugo.  
 Sed nova ne longum remorerur gaudia carmen,  
 Hic numeris statuo carminibusque modum.  
 Intermissa suis referantur cymbia mensis,  
 Is mario cedant cura dolorque Deo.

## EPIGRAMMATVM.

PROBITATE, ATQVE ERVDITIONE  
 insigni, Eugenio Perebonio, Goudano, Cor-  
 nelius Schonæus S.

*A* Nec aliquot annos, ut probe etiam, nunc te meminisse existimo, Eugeni amicorum multo omnium charissime, mittebam ad te libellum epigrammaton, quorum majorem partem scripseram admodum adolescens, exercendi ingenij, atque animi recreandi gratia. In qua quidem arena

Frange te quoque non modo libenter, sed feliciter etiam ver-  
 fari jam ante cognoveram. Quod tunc eam ob causam fa-  
 ciebam potissimum ut tualima & dolabra levigatus poli-  
 tusque, emendatior ad me rediret libellus. Non enim  
 ignorabam scriptoribus, idem fere evenire, quod Flac-  
 cus amatori contingere scribit, quem amicæ turpia de-  
 cipiunt cæcum vitia, aut etiam ipsa hæc delectant.  
 veluti Balbinum polypus Agnæ. Quod idem Socrates  
 scitè admodum, atque eleganter indicans, artificis opus in-  
 genij quendam foetum esse dicebat, de quo obstrictrix melius  
 iudicaret, quam mater ipsa. Hac enim ut magno prolis sua  
 amore tenetur, ita si quid in ea est vitij, non facile animi-  
 advertit, aut si animadvertat, non magnopere offenditur,  
 imo etiam excusat, atque extenuat. Hinc itaque Strabo-  
 nem filium, pætum appellat pater, ut idem inquit  
 poëta. Ad eundem modum & nos in aliorum ne vix perspi-  
 ciendus ipso Lynceo oculatiores esse solamus, ad nostra vero  
 vitia, quæ in mantica à tergo pendente circumferimus,  
 quovis Tiresia caciores. Atque eo tempore inemimi tibi  
 non displicuisse hæc mea Epigrammata, & postea ad scri-  
 bendum plura, te sapius me exhortatum esse sedulo. In  
 qua quidem re quemadmodum tanta diligentia, atque  
 alacritate, quantam tu desiderabas, hætenus me ponela-  
 borasse minime diffiteor, ita tamen huc mihi enitendum  
 semper arbitratus sum, ut aliqua ex parte amici admo-  
 nitionibus obsequutus esse viderer. Nunc itaque mitto li-  
 bellum, tui nominis auspicijs in lucem editum. Sed videor  
 mihi non inscitè facturus, si epistolam hanc, ad te scripto  
 Epigrammate, fini verò.

HÆc immaturis Epigrammata lulumus annis,  
 Cum teneræ nondum prima lanugine malæ  
 Vernarent, doctique puer dum mente magistri  
 Percipio docili præcepta severa, coactas  
 Subjiciens trepida ferulæ formidine palmas.  
 Hinc est, ingenuis Perebomi dedite chartis,  
 Quod mea fulta rudi nequicquam poplite Musa,

Inspergat turpes puerili carmine naves:  
 Præcox uva caret grato dulcore racemi,  
 Nec molli sapiunt poma immatura palato.  
 Quæ nunc si tetrico non spernas ludicra vultu,  
 Pieriæ posthac laudis succensus amore,  
 Sublimi forsan cantabo digna cothurno.

## IN DIODORVM.

**E** Vulgare meos quoties ego cogito versus,  
 Ne faciam toties me Diodore rogas.  
 Utque levis vitem mordacia scommata vulgi,  
 Sollicito dubium, sæpius ore mones.  
 Inculcansque eadem verbis obtundis iisdem,  
 Nec me tranquilla scribere mente finis.  
 Si versus edas, inquis, res ista periculo  
 Non arcer: est aliud te Diodore movet.  
 Non adeo nobis benè vis, ut talia cures:  
 Id metuis, ne sis qui mea scripta probeat.

## AD VICTOREM.

**I** Nter multorum non pauca poemata vatum,  
 Diversis veteres quæ cecinere modis:  
 Docta Venusini, numerosaque scripta poetæ  
 Maxima promeritæ præmia laudis habent.  
 Seu Lyrico rundat vocales pectine chordas,  
 Seu notet obliquis turpia facta jocis.  
 Hunc ego pro strenæ tibi mitto munere vatem,  
 Volvendum rotas Victor amice dies.

## IN BATTVM.

**S** I quantum lingua, tantum ratione valeres,  
 Me credam docto cum Cicerone loqui,  
 Sed neque luxurians multis oratio nugis,  
 Nec sine iudicio verba profusa placent.  
 Mitte meas vanis obtundere vocibus aures,  
 Ne pro facundo Batte vocere loquax.

## DE VARO.

**Q**uod mea jam pridem Varus consortia vitæ,  
 Sollicitusque novas quærit amicitias,  
 Non equidem miror, satis est mihi cognita causa,  
 Offendi dicto liberiore timer.  
 Assentatores Varus sed quærit amicos,  
 Qui nisi plaudenti dulcia voce sonent.  
 Qui stolidum laudent, & demirentur a sellum,  
 Fœdaque fallaci crimina mente probent.  
 Hos putat esse bonos, hos veros credit amicos,  
 His larga donat munera multa manu.  
 At mea (nam verum quare proferre recusem?)  
 Nescit adolari libera lingua malis.

## AD MARIANVM.

**M**axima sæpe tuis promittis munera amicis,  
 Sed nulli quicquam das, Mariane, sapis.

## AD GRATIANVM.

**F**rugalis ista Gratiane cœnula,  
 Humanitas qua nos tua  
 Excepit hesternò die. quovis mihi  
 • Et sumptuoso, & splendido  
 Convivio fuit suavior. Nihil  
 Enim moror turdos, nihil  
 Lepores, nihil rhombos, nihil quæ non nisi  
 Magno parantur ostrea.  
 Magis juvant me literatæ fabulæ,  
 Aut eruditi lectio  
 Scriptoris His mi Gratiane fercula  
 Condire si quando tua  
 Rursum voles, fac ut sciam, nihil moræ est,  
 Quin invocatus advolem.

## IN SCÆVOLAM.

**A**bsens obrectas, blandiris Scævola præsens,  
 Et tamen hanc veram credis amicitiam.  
 Nihil mihi cum tali. Deus hunc malè perdat amicum  
 Tristia qui dulci toxica melle regit.

## IN PONTILIANVM.

**D**Vm mea mordaci corrodis carmina dente,  
 Mendosum, bardum, te stolidumque vocant;  
 Nil profecturis prosi indidis littora tauris,  
 Et laterem frustra Pontilianæ lavas.  
 Nam tua ridenti contemno scommata vultus:  
 Laus est crede mihi, displicuisse malis.

## AD PONTICVM.

**M**itteram semper ais, nec mittis Pontice quicquid,  
 Speque levas miserum, discruciasque metus:  
 Illam pollicitis nutris, hic fomite crescis,  
 Dum celeres rapiunt irrita verba noti.  
 Non promissa mihi, sed munera missa probantur;  
 Promittas alijs Pontice, mitte mihi.

DVORVM DE LIBERO ARBITRIO  
ALTERCATIO IOCOSA.

**R**ixa duos inter nuper fuit orta sodales,  
 (Res est festivo commemoranda joco)  
 Numquæ libertas sit mentibus insita nostris,  
 An tantum ut plastæ vim patiantur opus.  
 Hic ait, ille negat multum clamatur utrinque,  
 Neutro decretum destituyente suum.  
 Assertor donec ferventi bile tumescens,  
 Tanta turbato pectore dicta refert:  
 Re præstat stolidum, video, convellere dogma,  
 Præfractus parvi nam mea verba facis.  
 Hunc cupidi certè moderari pectoris æstum  
 Possem, sublatas & cohibere manus.  
 Si potes has simili plagas ratione refelle,  
 Dum ferio; mentis num mihi velle deest?  
 Dixit & impingens metuenti verbera pugnum,  
 A versum pulsat terve quaterve caput.  
 At alter cursu dum plures effugit ictus,  
 Clamose tales protulit ore sonos.

Ante nunc etiam servum miser esse negabis?  
Ad tantum postquam te trahat ira nefas?

## DE EVCLIONE.

**T**empore thyringerum quo plebs colit ebria Ba-  
chum,

Fervente læta cacubo:

Quatuor obsonat profusior Euclio numis,  
Et vult videri splendidus.

Insolitos hilari mirantur pectore luxus  
Ancilla, conjux, liberi:

Et crudas inhiant jejunis faucibus escas,  
Tardoque succensent coquo.

Adfertur fatui tandem pars rancida lardi,  
Vilisque caulis brassica.

Præterea potus crassæ fex infima vappæ,  
Scypho bibenda ligneo.

Exaturat vacuum mox turba famelica ventrem,  
Cutemque curat insolens.

Insuetis totæ resonant clamoribus ædes,  
Magno refertæ gaudio.

Solus demisso tristis sedet Euclio vultu,  
Tantis gravatus sumptibus,

Et quo tam magnum compenset scœnore damnum,  
Mœsto volutat pectore.

O turpem, miseramque domum! jejuniâ malim,  
Quam vestra Bacchanalia.

## AD MARVLLVM.

**F**ortunæ minimo palles, horresque tumultu,  
Et consternata mente repente cadis.

Teramen intrepido constantem pectore jactas,  
Adversis frangi idque Marulle negas,

Nullus erit tibi dicenti qui talia credet:  
Reclamat verbis res, ratioque tuis.

Crudelestoto Mavors grassetur in orbe,  
Longaque mordaci sæviat ore fames.

Tum multos rapiat diræ contagio pestis,

Et tristem intentent undique cuncta necem.  
 Vir constans spernit, ridetque hæc omnia secum,  
 Et præter culpam nil putat esse malum.

## IN TABVLAM QVANDAM.

**D**ulcia dum libant ad motis oscula labris,  
 Et placidos jungunt Pax & Concordia vultus,  
 Dirus ad Odryhas Mars territus aufugit oras:  
 Mox subit alma quies, hilari gratissima fronte.

DE ADVLTERIO MARTIS  
ET VENERIS.

**V**t Phœbus nitidolascivum lumine Martem,  
 Et Paphiæ prodit turpia furta Deæ;  
 Sic fucata Deus fallacis crimina vitæ  
 Cernit, & occultum non sinit esse nefas.

## IN IVLIVM.

**S**cribere me nullo clamas epigrammata marte.  
 Iusulosque vocas carmina nostra jocos,  
 Et tamen ipse nihil quicquam præclarius edis,  
 Sed procul amoris ocia rebus agis.  
 Incusare meos Iuli vel desine versus:  
 Vel tua fac scriptis sint meliora meis.

## AD LÆDAM.

**C**ur alias tertrica fastidis fronte puellas,  
 Damnofo formę munere Læda tumens?  
 Sæpe nocet casto facies formosa pudori,  
 Nec sinit illæsa virginitate frui.  
 Effera splendenti dum Sidonis ore superbit,  
 Facta est infido sarcina grata bovi.  
 Ætata Danae quanquam jacet abdita turri,  
 Auratum fallit non tamen illa Iovem.  
 Candorem nitidi culpat Virginia vultus,

Ipsa

Ipsa sui patris jam moritura manu,  
 Quid referam teneri matrem Cadmeida Bacchi:  
 Elatam flavis Anthiliamq; comis:  
 Innumerasq; alias præstanti corpore nymphas,  
 Pulchra quibus minuit forma pudicitiam,  
 Sublatas igitur temeraria ponito cristas,  
 Et monitis posthac cautior esto meis.  
 Forsitan hæc cunctis qua te præstare puellis  
 Credis, erit magni dos tibi causa mali.

## AD PONTICVM.

Si quando jubeo cœnes ut Pontice mecum,  
 Te facilem præbes, morigerumq; mihi,  
 Accumbens lepidis recreas sermonibus omnes,  
 Edulcasq; tuis fercula nostra jocis:  
 Ad te sed quoties cupio conviva vocari,  
 Te durum præstas, difficilemq; mihi.  
 Tum si forte frequens, aut importunior insto,  
 Me tristi tandem voce venire jubes.  
 Accumbis tacitus demisso Pontice vultu,  
 Et frons subductis est caperata genis.  
 Risus abest, periire sales, solitiq; lepores.  
 Quiq; erat in blando plurimus ore jocus.  
 Tu mecum post hac cœnabis, non ego tecum,  
 Te quoties hilari fronte videre volo.

## DE RUFO.

Dvm se præclarum Rufus putat esse poetam,  
 In medio recitans scripta aliena foro:  
 Attollit clarum quidam de plebe cachinnum,  
 Verbaq; mordaci talia voce refert:  
 Nec nos culpamus quos jactas improbe versus,  
 Ast hic est nullus qui putat esse tuos,  
 Abiice furtivas abs te cornicula plumas,  
 Et subito nudus, nunc benè comptus, eris.



Ex pulchro veram si quæris carmine laudem,  
 Fac proprio posthac membra colore tegas  
 Nec tam mucosis nos naribus esse putato,  
 Ut speres furtum posse latere tuum.

## IN TABULAM QVANDAM.

**I**Ncertum veteres sinuoso tramite gressum  
 Ferre per obliquum compulit error iter.  
 In quo cum variis illis est lucta periclis,  
 Devia distorto dum loca calle petunt.  
 Atq; ita vix tandem multis è millibus unum,  
 Optata cœli conspicias arce frui.  
 Nos, quibus abiectis Christus præfulget in umbris.  
 Imbuti vera cognitione Dei,  
 Ætheream recta cœli conscendimus arcem,  
 Differtam vitiis prætereundo viam,  
 Hic tamen infesti non pauca pericula Ditis.  
 Solerti nobis sunt fugienda pede.  
 Cujus si patiens constantia luserit astus,  
 Mox capiet meritis præmia digna suis.

## AD LESBIAM.

**M**E tuis iste licet delectet Lesbia vultus,  
 Quiq; decet roseo pulcher in ore color,  
 Et laudem nitido pendentes vertice crines  
 Membraq; brumali candidiora nivè:  
 Tum nostri quamvis tangi videaris amore,  
 Meq; tuam vitam delitiasq; voces:  
 Te redamare tamen nequeo, si Lesbia causam  
 Ignoras, dicam: garrula lingua facit.

## IN FABULLAM.

**M**Irum parentes ni futuram garrulam  
 Tenoverint, nomen Fabullæ qui tibi  
 Olim esse voverunt tuis accommodum,

Aptumq; planè moribus, loquacior  
 Enim, magisq; inutilis te fœmina  
 Nulla invenitur, itaq; totos eximis  
 Dies frequenter garrindo: quin bona  
 Noctis etiam pars fabulis impenditur,  
 Nunquam taces, nunquam quiescis garrula,  
 Miserum domi loquacitate conjugem  
 Obrundis, enecasq; liberos, foris  
 Quemvis fatigas obvium, siue ille sit  
 Vir, siue fœmina, notus aut nunquam antea  
 Visus, nihil vides, nihilq; pensi habes.  
 Meditantem abire detines, tum clanculum  
 Si quis fugam paret, præhensum pallio  
 Retrahis, tuasq; audire cogis nœnias.  
 Et non nisi integra absoluta fabula  
 Vnquam cuiquam sit abeundi copia.  
 Quapropter ut rabidum canem omnes te timent,  
 Ut aspidem fugiunt, ita ut, quocunq; te  
 Confers, ubiq; solitudo appareat  
 Ingens fugæq; maxima trepidatio.  
 Quod si relictæ, ac destitutæ ab omnibus  
 Omnino nullus sit tibi confabulo,  
 Tecum ipsa fabularis usq; garruens,  
 Tam te juvant loquax Fabulla fabulæ.

## IN NÆVOLVM.

**L**ascivos scribas cum nil nisi Nævole versus,  
 Plenoq; cum spurcis sint tua scripta jocis:  
 Esse tamen castos audes tibi dicere mores.  
 Et vitam turpi labe carere tuam:  
 Quod quamvis crebro sancte mihi Nævole jures,  
 Ætherei testans numina sacra poli:  
 Non tamen idcirco credam te dicere verum,  
 Namq; aliud certa res ratione docet,  
 Esse solet sermo mentis verissimus index,  
 Et vitium nescit dissimulare suum,  
 Arguit impuros petulans oratio mores,

Nec

Nec tacito quicquam corde latere sinir,  
Sic puro casti manant e pectore versus,  
Ingenio scriptis conveniente suis.

## DE LESBIA.

**L**esbia coniugium, redasq; exosa jugales,  
Sed dicit nulli nubere velle viro.  
Non quod amet castam sine conjuge degere vitam,  
Atq; illibata virginitate frui:  
Ast uno potius quod non contenta marito,  
Diversos malit luxuriosa procos.

## IN GALLAM.

**C**um sis deformis, cur vis formosa videri,  
Ascitoq; tibi Galla colore places?  
Ut frontem, mentumq; linas, nasumq; genasq;  
Nec nisi compositis tu velis ire comis:  
Præterea varijs niteat caput undiq; gemmis.  
Tinctaq; te Tyrio murice læna tegar:  
Te tamen in pulchra deformem veste vocabo,  
Nec fucis capiar, decipiarve tuis,  
Me neglecta juvat native gratia formæ,  
Gratia muneribus sat decorata suis.  
Hanc tibi difficilis quoniam natura negavit,  
Non poteris, quamvis compta, placere mihi.

## AD LYCORIM.

**E**s formosa satis, fac sis modo casta LYcoris,  
Hæc mihi præcipue dote puella placet.

## IN POLYDORVM.

**E**t merito, & summo Polydorus jure vocaris,  
Ex re te dignum prodigenomen habens.  
Qualibet in quemvis profusus munera confers.

Indi-

Indignus donis sit licet ille tuis.  
 Qui modo te dominum simulata voce salutat,  
 Aut tibi nudato vertice dicit ave,  
 Protinus is magno censetur munere dignus,  
 Subsidiumq; sibi demeruisse tuum.  
 Hinc est non pauci quod te comitentur amici,  
 Hinc leve te celebri vulgus honore colit.  
 Donec erit quod des, hi te Polydore sequentur,  
 Et multi qui te devenerentur, erunt.  
 At si desieris vacua donare crumena,  
 In medio solus conspiciere foro.  
 Si cupis usq; frequens ut te comiterur amicus,  
 Fac ut inexhaustæ sint tibi semper opes.  
 Quæ cito, crede mihi, vilem redigentur ad assem;  
 Ne discas monitis parcior esse meis.

## AD AVLVM, DE MARTIALI.

QVod tibi Bilbilici placeant Epigrammata vatis;  
 Argutosq; probes illius Aule sales:  
 Prudenter, recteq; mihi sentire videris:  
 Nam quis tam doctum vituperaret opus?  
 Lectori grata recreat dulcedine mentem,  
 Dum miscet variis seria multa jocos.  
 Et facilem monstrat pangendi carminis usum,  
 Nosq; facit Latio doctius ore loqui,  
 Non est ille tamen pueris accommodus auctor,  
 Sed vult matura cum ratione legi.  
 Degere qui gaudet puram sine crimine vitam,  
 Hos puer evitet sedulus usq; libros.  
 Corruptunt obscæna bonos epigrammata mores;  
 Et tacita menti transitione nocent.

## AD EVNDEM.

SI te Bilbilici juvant poetæ  
 Mordacesq; joci facerizque,  
 Refas ille quibus frequenter aures

Oble-

Obleſtat, reficit, movet, rapitque,  
 Quintum præ reliquis leges libellum;  
 Qui fœdos calami procacioris  
 Luſus, atq; ſales nigros perofus,  
 Caſtè cum Domino ſuo jocatur.

## AD M. JOANNEM ZURENV.

**D**um facis Agricola Ciceronem voce loquentem  
 Rem Litterariam juvas:  
 Et Phœbo, Muſiſq; novem ſacræq; Minervæ,  
 Præſtas opus gratiſſimum:  
 Cultaq; Cætopiæ collaudant ſcripta Camœnæ,  
 Probantque conatus tuos  
 Quare ne pigeat pulchris incumbere cœptis,  
 Tuiſque nos laboribus  
 Devincire tibi, plauſum laudemq; mereri  
 Zurene vir doctiſſime.

## IN PONTILIANVM.

**C**ut tua ferratis coniunx quaſi vinctæ cæenis  
 Progreditur nunquam Pontiliane foras?  
 Ne quiſeam mœchus, ne quiſ corrumpat adulter;  
 Hicre diſcruciat nocte dieq; metus.  
 Idq; ſtudes totis annixus viribus unum.  
 Ut ſint legitimi pignora certa tori.  
 Quare per totas poſitis cuſtodibus ædes;  
 Uſq; licet nolit, cogitur eſſe domi.  
 Sollicita pia cura tuam vir provide mentem;  
 Diſplicet uxori ſed tamèn iſta tuæ.  
 Quæ ſe perpetuo concludi carcere luget,  
 Quodq; ſuam præſter non tibi ſponte fidem;  
 Anxia ne quicquam cõhibet cuſtodia caſtam;  
 Quæ mavult propriis moribus eſſe proba,  
 Nec bene zelotypo ſervatur mœcha marito:  
 Evadit technis ingeniola ſais.

IN

**Q**uod sis formosus, clarisq; parentibus ortus,  
Stulte tibi nimium Cæciliane places.  
Nam neq; nobilitas, neq; formæ gratia prodest  
Ingenuis si mens artibus ægra vacat.

EPIGRAMMA CRATE TIS.

**P**ergis adhuc hominum felicem dicere vitam,  
Cum sit diversis undiq; plena malis:  
Attentus mecum circumspice singula, quo te  
Erroris pudeat, pœniteatq; tui.  
Clamosam rigidi subeas si iudicis aulam,  
Te cruciat rixis protinus illa suis.  
Inde tuas si quando redis commotus ad ædes,  
Exosus rauci iurgia crebra fori:  
In vadunt miserum curæ, mœstiq; dolores  
Affligunt animum nocte dieq; tuum:  
Exercent duri viventem rure labores,  
Dum subigis gelidam bubus arator humum;  
Exhorres fluctus, & sævos navita ventos.  
Terribili quatitur, dum tua cymba noto.  
Tum si forte gravem circumfers ære crumenam,  
Ingressus longum mobilis hospes iter:  
Attonitam terrent diversa pericula mentem,  
Et pavidò vanos incutit umbra metus:  
Si defuere numi, miserum torquebit egestas,  
Et quocunq; venis ejicere foras.  
Sic te coniugii capiendum compede præbes,  
Hæc quoque res variis plena doloris erit.  
Vivere si cælebs, & si sine coniuge mavis,  
Offendunt orbæ tædia mœsta domus.  
Formosa est uxor, ne non sit casta vereris,  
Neve alium quam te plus amet, usq; times,  
Si deformis erit, jam te duxisse pigebit.  
Impatiens alio teque vocabit amor.  
Mœrorem soboles, curasq; parentibus adfert:

Si pro-

Si proles desit, mæstior orbus eris.  
 Si juvenis fueris florentibus integer annis,  
 Obruitur vitiis cæca juvenutâ suis.  
 Tum senibus gravis est, atq; intolerabilis ætas.  
 Ut vix se tantum ferre querantur onus.  
 Postremo multis ne persequar omnia verbis,  
 Res queruli causam quæq; doloris habet.  
 Nil igitur malim quam nunquam nascier, & quam  
 Humana nunquam conditione frui.  
 Aut simul ac matris fuero progressus ab alvo,  
 Præcipiti vitam destituisse fuga.

ALIVD METRODORI SUPERIORI  
 è diverso respondens.

**A** N vitam prohibes dici malefane beatam ?  
 Cum sit diversis undiq; plena bonis.  
 Excute tu porius prudentius omnia mecum;  
 Errorem tandem quo fateare tuum,  
 Magnificum pariunt fora judicialia nomen,  
 Et loca materiam publica laudis habent.  
 Si placidum mavistraducere molliter ævum,  
 Dulcia semotis ocia rebusagens:  
 Plurima tranquillæ domus oblectamina vitæ;  
 Certaq; securæ gaudia mentis habet.  
 Maxima delectat viventem rure voluptas,  
 Arrident oculis hic ubi cuncta tuis.  
 Vnde tibi varios producit Copia fructus,  
 Et largas magno fœnore reddit opes.  
 Plurima cæruleus largitur commoda pontus,  
 Non contemnendum suppeditatq; lucrum;  
 Si bene numatus peregrinas viseris urbes,  
 Percipies placidæ gaudia multa viæ.  
 Ingredereis vacuus per iter si forte viator,  
 Perterrent animum nulla pericla tuum.  
 Tutus es, insidias tibi nec struit ullus egenti;  
 Nec res sollicitos incutit ulla metus.  
Exhilarat thalamum conjunx formosa jugalem;

Securum reddit non bona forma virum.  
 Coniugium exosus si caelebs vivere mavis,  
 Aetatem curis exoneratus agis.  
 Dulcia foecundi si sint tibi pignora lecti,  
 Iacundæ crescunt gaudia læta domus.  
 Si fueris orbis sine sollicitudine vivis,  
 Nec cruciant mentem cura, timorq; tuam  
 Commendant hilarem vires, roburq; juventam!  
 In precio est annis cana senectæ suis.  
 Deniq; ne longis referamus singula verbis,  
 Nil est quod propria commoditate caret.  
 Insanis igitur, qui nunquam nascier optas,  
 Et nunquam vitæ conditione frui.  
 Aut simul æthereas fueris prolapsus in auras,  
 Præpropera lucem destituisse fuga:

## EPITAPHIUM I. MASDAMI.

Svblimi solitus scrutari sydera mente,  
 Aeriaq; domos, cœliq; volubilis orbes,  
 Hac humili recubat tandem Masdanius urbæ:  
 Vir morum probitate gravis senioq; verendus,  
 Religionis amans, liquidi contemptor Jacchi.  
 Pone tumescentem mortalis homuncio cristam,  
 Et sortem perpende tuam: mollesq; perosus  
 Delitias carnis, mortis memor esto propinquæ.

## IN ZOILVM.

Cvrfalsum nobis obiectas Zoile crimen;  
 Meq; Theonino lædere dente paras?  
 Nil purè phalerata dolis fallacia vitæ,  
 Nil fraus mendaci compta colore hocet.  
 Si mea nullius mens sit sibi conscia culpæ,  
 Semper ab intento crimine tutus ero.

## AD JOANNEM PUTTENVM.

Scire cupis quid agam Puttene? Epigrammata cudo  
 Pars III. Et



Et lepidis fallo tempora mœsta jocis  
 Quæq; levi nuper calcabat pulpita socco;  
 Imparibus ludit nunc mea Musa modis;  
 Et mox festivos aliorum perlego versus,  
 Et teritur manibus sæpe poeta meis.  
 Dulcia sollicitos minuunt mihi carmina luctus;  
 Constantiq; docent tristitia mente pati.  
 Has nobis peperit fidei discordia turbas,  
 Dùm sequitur sceleris dogmata quisq; suæ.  
 Qui nisi divino sedentur numine motus,  
 Præteritis venient deteriora malis.

## AD DIODORVM.

Q uod mea compositis laudas epigrammata verbis  
 Jucundosq; vocas carmina nostra sales;  
 Est equidem gratum: sed multo gratius esset,  
 Si credam ex animo te Diodore loqui.  
 Non me ventosæ iuvat assentatio linguæ,  
 Nullaq; delectant ebria verba fuco,  
 Sed quæ non falso manant è pectore voces,  
 Verbaq; sincero corde profecta, placent.

## IN POMPILIANVM.

Q uod scelerata mali suggillans crimida vulgi,  
 Commissum carpis Pompiliane nefas;  
 Sætorumq; doces quæ sint præcepta librorum,  
 Et qua placandus sit ratione Deus  
 Quodq; canis summo laudes, hymnosq; Tonanti;  
 Inq; sacra totos cerneris æde dies:  
 Est ea laude quidem res digna, probèq; putaris  
 Officio fungi Pompiliane tuo.  
 Sed quod nulla tuos emendat regula mores,  
 Plenaq; quod variis est tua vita probris:  
 Lædere quod gaudes famam, nomenq; bonorum,  
 Natura fallax, ingenioq; levis,  
 Tum quod magna avidis sorbes carchesia labris:

Quod;

Quodque gulæ, Veneri, luxuriæq; vacas:  
 Non video quenquam qui laudet, vel penè qui te  
 Officio fungi Pompiliæ putet.

## AD AVLVM DE COELIO.

**I**lle velut fidus qui te sectatur Achares,  
 Coniunctus lateri Cœlius usque tuo:  
 Magnificisque tibi percellit vocibus aures;  
 Egida crepitans, Pyrithoique fidem:  
 Est parasitus edax & personatus amicus:  
 Nec te, sed mensam diligit Aule tuam.

## IN MATHONEM.

**Q**ui te conjugio novo beatum  
 Felicemque toles Matho vocare,  
 Quod noctu lepidam tuo teneres  
 Ferventemque sinu senex puellam,  
 Argentes tibi quæ fovebat artus,  
 Et cures animi molestiores,  
 Ætatisque graves levabat annos,  
 Dulci Gallia bastiatione:  
 Cur nunc te miserum vocas? & ante  
 Laudatum toties thorum petosus,  
 Hanc, quam delitias suaviumque  
 Solamenque tuæ Matho senectæ  
 Quondam lætus ubique prædicabas.  
 Nunc contra querulus, gravis, molestus;  
 Oblitus solitos, jocos, lepores,  
 Lusus, blanditias, faceriatque,  
 Appellas vomitum, crucem, barathrum;  
 Pestem, perniciem, venificamque?  
 Insanis equidem senex, opemque?  
 Demens hellebori caput requirit.  
 Ni de te meruit puella tantum,  
 Nec culpanda tibi, nec execranda est,  
 Verum te merito, bonoque jure

Incusare potest, queriq; de te  
 Vxor juncta tibi parum marito,  
 Qui pridem gelida tremens senecta,  
 Munus non potes exequi virile.  
 Quare nec grave, nec tibi molestum  
 Sit, cum tu miseram Matho puellam  
 Fraudes, illa virum senem perosa,  
 Si quærat juvenem salaciorem:  
 Qui quod tu fugis expleat, tuisq;  
 Jungatur vicibus, novumq; prole  
 Pulchra te faciat Matho parentem.

EPITAPHIUM JOANNIS  
 CÆSARII MUSICI.

**E**Xcute spem vanam mortalis homuncio qui te  
 Confidis multos vivere posse dies.  
 Ut brevis Hyblæi marcescit gratia floris,  
 Sic subito fugiunt tempora nostra pede.  
 Hic tibi Cæsarius florentibus integer annis,  
 Exemplo, celeri morte præemptus erit.  
 Cui dum crudeles abrumpunt stamina Parcæ,  
 Amisit magnum Musica turba decus.  
 Nil illi vitæ candor, nil profuit ætas.  
 Nil flagrans veræ religionis amor.  
 Quare vicini lector memor usq; pericli,  
 Sic vives, ut mox sit tibi dulce mori.

AD JOANNEM VOCCINIVM.

**E**ffe tuos inter Voccini chære sodales  
 Contigit ingenti commoditate mihi.  
 Nam quod erat socio juvenis Phocæus Orestis,  
 Hoc tu Schonæo niteris esse tuo.  
 Cumq; alii verbis me consolantur amici,  
 Tu præstas ipsa re mihi promptus opem.  
 Spiritus hos igitur donec moderabitur artus,  
 Et mea vitalis viscera sanguis alet:

Tu

Tu mihi præ reliquis multum venerandus amicis,  
 Et memori semper mente colendus eris.  
 Quin mea sæpe tuas celebrantia carmina laudes,  
 Efficiant cineri te superesse tuo.

AD THEODORVM  
 Bergium.

Inter castrorum turbas belliq; tumultus  
 Hic quid agam si me nunc Theodore roges:  
 Ut solco, docilem formo, moderorq; juventam,  
 Nec ferus hoc nostrum Mars remoratur opus  
 Consumoq; breves scribendis versibus horas,  
 Oblectans studiis me recreansque meis:  
 Nec cessere metu, nec diffugere Camœnæ,  
 Exuperior faciles in mea vota Deas.  
 Jam didicit mea Musa tubam contemnere, nec me  
 Horribilis litui terret ut ante sonus.  
 Quid non ferre docet nos consuetudo? molestaq;  
 Edulcat curas, diminuitque metus.

AD POPVLVM CUM ESSET EXHI-  
 biturus Comœdiam suam Nehe-  
 miam.

Qua patrium pietate solum, Solymosq; penates  
 Dilexit Nehemias:  
 Et quibus everfam lachrymis defleverit urbem,  
 Tristi gravatus nuncio;  
 Tum quos invicta passus sit mente labores,  
 Dum strata reficit mœnia;  
 Dum validis spernit pollentes viribus hostes,  
 Eretus Deo non copiis,  
 Mox ubi se medio declinat Phœbus olympo,  
 Grex exhibebit Comicus.  
 Ingenuas quotquot venerantur in urbe Camœnas,  
 Huc se frequentes conferant.

## AD MARCELLVM.

**O** Vob curas, animiq; graves Marcelle dolores,  
 Exiliumq; tibi pocula crebra levant:  
 Et mœstum gaudes potando fallere tempus,  
 Te dulci recreans, exhilaransque mero:  
 Non omnino tibi malè consuluisse videris,  
 Egeritur quavis dum rat one dolor.  
 Ast ea difficilis magno medicina paratur,  
 Et nimio quovis est renovanda die.  
 Dissimilis nobis, parvoque parata voluptas  
 Disiuit ærumnas, tristitiamque fugat.  
 Hanc mihi suppeditant doctorum carmina vatum,  
 Tum quoque cum numis, nostra erumena vacat.

## AD JOANNEM PUTTENVM.

**I**N Batavis agiter quid miles regius oris  
 Desiste percontarier.  
 Nam piget (ut verum fatear) Puttene pudetque  
 Hic quæ geruntur scribere.  
 Nullum jam pridem facinus memorabile cerno,  
 Tantisque dignum copiis.  
 Vicapere hostiles non est qui cogitat urbes,  
 Virtusque cessat bellica.  
 Ne tamen ignavus tam fortia pectora torpor,  
 Turpisve longior occupet,  
 Infertur bellum bobus miserisque juvencis,  
 Per cuncta late pascua.  
 Stringit in hanc prædam sua quisque ferociter arma,  
 Vaccis timendus hostibus.  
 Impunita manent manifesti crimina furti,  
 Nullumque non licet scelus.  
 Hinc sibi, qui spoliat, qui nos populatur amicos,  
 Miles videtur strenuus.  
 Quid patrare ferus posset crudelius hostis?  
 O barbaram tyrannidem!

DE

LIBER.  
DE COLACE.

231

**C**um nuper patriis mecum distractus ab oris,  
Tristis in ignota viveres urbe Colax:  
Congerito melior nec erat, nec blandior alter,  
Commodus, & facilis, morigerusque suis.  
Quare præ reliquis multum mihi charus amicis,  
Junctus erat lateri sæpius ille meo.  
Nunc postquam in patriam meliori sorte reversus  
Fortuna cœpit commodiore frui:  
Nec mihi se facilem, nec se mihi præstat amicum,  
Mite nec ingenium, quod fuit ante, manet.  
Sed veterem torva contemnens fronte sodalem,  
Obliquum vertit prætereundo caput.  
Dignus cui tumidum vindex Rhamnusia fastum  
Extundat, mores dedoceatque feros.

AD D. TILMANNVM à WOV, RHODIA-  
norum Dominorum apud Harlemenses  
præsidentem.

**N**e magnanimum Præses reverende tuarum  
Jactura doleas rerum, sed pectore tantum  
Infractio patiaris onus, sapientia præstat  
Commonstratque tibi: qua cum sis præditus, omnes  
Humanos perfers casus patienter, amaros  
Emollitque tibi constans tolerantia luctus;  
Et quasvis subito facit evanescere curas,  
Impositum recto sustentans vertice pondus.

AD EVNDEM.

**T**ristis ut everse Solymorum nuncius urbis  
Pervenit ad Nehemiam:  
Qui regi procul è patria regione remotus,  
Inserviebat Persico:  
Longinquum permensus iter, variosque labores  
Perpeffus, ad suos redit.

Dumquæ solo turres, æquataq; mœnia cernit,  
 Multis madescit lachrymis.  
 Mox sacram totis instaurat viribus urbem,  
 Nil hostium minas morans.  
 Altera portat onus, gestat manus altera ferrum,  
 Et quisque se præbet virum,  
 Sic dum strata tui, convulsaq; rudera templi,  
 Postelque collapsos vides:  
 Ingemis, & tantam mœrenti pectore cladem  
 Quanquam doles, minime tamen  
 Despondens animum; quin protinus omine fausto  
 Reparare cuncta cogitas.  
 Conatus Deus ipse tuos, hominumq; bonorum  
 Applausus, & favor iuvant.  
 Perge piis igitur Præses incumbere cœpris,  
 Opusq; sacrum perface.  
 Vnde decus, laudemq; tibi, famamq; perennem  
 Christo parabis auspice.

## AD DEUM.

**T**E quando nostri flectent Deus optime fletus,  
 Quos madido totos fundimus ore dies?  
 Submissi veniam petimus culpamque fatemur,  
 Supplicibus clemens auxiliare reis.  
 Horribiles tollat pax exoptata tumultus,  
 Et sistant rabiem tristia bella suam.  
 Ut totus, demptis cunctis erroribus, orbis  
 Te veratandem religione colat.

AD M. PETRVM BLYEN-  
BVRGVM.

**H**eu quos diffidii novi tumultus  
 Insanum Furæ cient per orbem?  
 Heu quanta rabie, quibusque turbis  
 Humanas agitant ubique mentes!  
 Legum jura nefas, furorque præceps

Oppres-

Oppressit, pietas refrixit, omne  
Regnat nequitiae genus, removit  
Almum perfidiae dolus pudorem.

Fallor, non Furiae movent tumultus  
Hos, sed nequitiam scelusque nostrum  
Exosus graviter Deus nocentem  
Ultrici populum manu flagellat.

Illi seu Zephyris tuae secundis  
Rescedant, validae ratis procellae  
Seu vi dissiliens gemat, sereno  
Persolves patienter ore grates.

## IN POLYCANTHARVM.

**I**ndidit hoc nuper tibi qui Polycanthare nomen,  
Facetus, atque perspicax,  
Et minime vanus fuit is, quicumque ligonem  
Potuit ligonem dicere.

Nam neque conveniens magis, aut te dignius ullum  
Posset tibi nomen dari.

Vt pote cui siccas non unus cantharus explet  
Fauces, sitimque reprimat:

Sed multis opus est cyathis, magnisque culullis,  
Largo repletis cacabo.

Nec tamen iste tui sedatur gurguris ardor,  
At plura semper appetis.

Quid mirum in medijs sitiat si Tantalus undis,  
Fallente lassus flumine?

Cum tu multa avidis exorbens pocula labris,  
Nunquam sitire desinas?

IN MORTEM GVLIELMI BRON-  
chorstij discipuli sui.

**S**iccine praeproperè juvenilibus occidis annis,  
Moribus excellens, ingenioque puer?  
Aethereaque frui sic tam cito desinis aura,  
Permensus vitae vix tria lustra tuae?



Sic præceptorum, sic charos fallis amicos?

Sic nos maturum deseris ante diem?

Illudit fragilis miserum spes vana iuventæ,

Fatales rumpunt dum tibi penla Deæ.

Ut brevis amenti flos emarcescit in herba,

Præterijt celeris sic tua vita pede.

Et perire mei subij quos sæpe labores,

Dum puerum formo te doceoque rudem.

Non tamen est longis tua mors deslenda querelis,

Nec madidis nobis usque dolenda genis.

Namque tui potior pars, spiritus arce receptus

Syderea, nimium nos lachymare vetat.

### IN PONTILIANVM.

**R**idiculas postquam scribo te iudice nugas,  
In manibus video cur mea scripta tuis?

Dic age, dic sodes, hæres? mihi cognita res est,

Nec fallis nasum Pontiliane meum.

Sedulus inquiris nigro quod carpere morsu,

Quodque Theonino rodere dente queas,

Vituperanda tibi nunc hæc, nunc illa videntur,

Hæc valet ingenium, iudiciumque tuum.

Barbara vox hæc est, est inconcinnior illa,

Durus, & ingrato sermo lepore caret.

Denique non æqua suspendis singula lance:

Hic te discruciat, sollicitatque labor,

Infelix, qui non potius tua carmina limas

Scabra, parum quæ nunc Pontiliane placent.

### IN EVNDEM.

**E**sse aliquid nostras jam desino credere nugas,

Et miror versus Pontiliane tuos

Quin veteres etiam præ te contemno poetas,

Nec posthac Elaccum, Virgiliumque lego,

Nil te splendidius, nil te facundius uno:

Inunc, & tua me scripta probare nega.

## AD IANVM.

**N** Vnsia non dubiz tua venit epistola pacis  
 Ad nostras, qua non gravior ulla, manus.  
 Præstitit hæc nobis longi solatia luctus,  
 Et levius fecit quod toleramus onus.  
 Qui licet ante meas rumor pervenit ad aures,  
 Obrinuit certam non tamen ille fidem,  
 Ne cuivis credam faciunt mendacia, sed nunc  
 Hæc tibi scribenti credere lane lubet.

## IN DIODORVM.

**C** Omiter occurris quoties, blandèque salutas.  
 Sed nunquam ad cœnam me Diodore vocas,  
 Vir frugi, solersque mihi, prudensque videris,  
 Et non vulgari calliditate vaser.  
 Namque tibi tanti non constant mille salutes,  
 Vna tibi quanti cœna paranda foret.

## IN MILITEM IMPIVM.

**Q** Vid premis obscœnos milës fere dentibus ungues,  
 Incusans summi numina sacra poli?  
 Nequicquam Superos furioso pectore culpas,  
 Eveniunt votis cum malè cuncta tuis.  
 Solus es ipse tibi cunctorum causa malorum,  
 Iure nec in quenquam cur stomacheris habes.  
 Contra te venti, nimbofaque sidera pugnant,  
 Teque suis terrent fluctus, & aura minis.  
 Ipse vides obstare tuis pia numina cœptis,  
 Numina nequitiz probra perosa tuæ.  
 Cede Deo, nostrisque procul digressus ab oris,  
 Quolibet, huc posthac non rediturus, abi.

## AD IANVM.

**A** N nunquam tristesque tubæ, liturque fletunt,  
 Pu lique strepitus tympani?

Semper & in medijs trepidi versabimur armis?  
 Interque turbas bellicas?  
 Et cupido frustra speramus pectore pacem,  
 Vanissimis mendacijs  
 Illusi? falsisque diu rumoribus aures  
 Accommodantes credulas?  
 Quin tua nos etiam decepit epistola tunc,  
 Pacis futuræ nuncia.  
 Quid nisi mors nobis est exoptanda? quietis  
 Cum nulla spes appareat.

### TIELMANNI HARLEMENSIS EPI- TAPHIVM.

**T**ielmanno mihi nomen erat, dum vita manebat,  
 Harlemum patria est, & genitale solum.  
 Hic me laudari benè formavere parentes,  
 Et puerum studijs erudiere bonis.  
 Unde mihi morum candor vitæque probata  
 Integritas & mens religionis amans.  
 Sed mihi nil probitas, viridis nil profuit ætas,  
 Quique erat in pulchro plurimus ore decor,  
 Nam me pestiferi rapuit contagio morbi:  
 Ossa tegit tellus, spiritus astra colit.

### AD IVDOCVM VINCKIVM.

**Q**uid damnis varijs, laboribusque,  
 Et belli furij amice pressi  
 Causamur Superos, piumque crebris  
 Culpamus miseri Deum querelisi  
 Non hujus Deus est furoris auctor,  
 Nec tantos Superi cient tumultus,  
 Sed fœdæ vitium scelusque vitæ,  
 Has nobis pariunt moventque turbas.  
 Quod ni nequitæ probrum perosi,  
 Divinam prece leniamus iram,

Mox Martis rabie nocentioris,  
Et curis gravioribus prememur.

AD PVERVM STUDIOSVM IN COM-  
mendationem Scholæ Har-  
lemianæ.

**Q**ui sacra Parnassi conscendere culmina montis,  
Castalioque sitim gaudes sedare liquore,  
Huc accurre puer, celeres huc dirige gressus,  
Oblatosque manu cupida decerpito fructus,  
Quos tibi Pegasidum chorus & formosus Apollo  
Et bona facundo largitur Copia cornu,  
Hæc emendabunt agrestes munera mores,  
Ingeniumque tibi, mentem virtutibus, atque  
Dotibus ornabunt varijs, laudemque perennem,  
Seraque magnificum tribuent post secula nomen.

EPITHAPHIVM M. NICOLAI  
PETRAEI.

**D**ira lues nostra dum sævit pestis in urbe,  
Crudeli perimens corpora multa necer  
Dumque ego nil metuens, & nulla pericula vitans,  
Officio fungor sedulus usque meo:  
Me quoque lethiferi cepit contagio morbi,  
Et mox maturum sustulit ante diem.  
Nec vitæ probitas, nec doctæ gratia linguæ,  
Nec mihi dos fari profuit ingenij.  
Mitte tamen gemitus & tristes mitte querelas,  
Qui madidis defles hæc mea fata genis,  
Debentur nigris mortalia corpora bustis,  
Ætherea gaudet spiritus arce frui.

IN PICTVRAM QVANDAM EX  
SEXTO LIBRO AENEIDOS  
desumptam.

**Q**uæ canit Andinus facundo carmine vates,  
Exhibet artifice picta tabella manu,

illic

Illic digna gravi miraris verba cothurnos,  
 Magnaque præclaris facta relata modis:  
 Hic vivi rerum vultus, speciesque locorum,  
 Omnia felici ducta colore juvant.  
 Quæ quamvis veterum credatur fabula vatum;  
 Attamen his subsunt seria multa jocos.  
 Aspice quæ maneat scelorum vindicta nocentes,  
 Virtutisque ferant præmia quanta pij.  
 Si tûa nullius sceleris sibi conscia mens est,  
 Nemeras Stigij monstra tremenda lacus.  
 Inter felices felix versabere manes,  
 Percipies factis gaudia digna tuis.

### EPITAPHIUM D. GERARDI PALMBURGI, PRÆSIDIS SIONI.

**H**Os tibi supremos tumuli sacramus honores,  
 Post multos tandem Præses Palmburgie fletus;  
 Præsentique gravem testamur carmine luctum:  
 Quem neque sera dies unquam, neque longior ætas;  
 Nec tempus poterit, nec edax abolere vetustas.  
 Nam tibi mira fuit probitas, prudentia, veræ  
 Religionis amor, studium pietatis, honesti  
 Culrus, & ambitio levium contemptus honorum;  
 Et quanquam varijs ornatus dotibus esses  
 Ingenij non ulla tamen tibi gratia fastum;  
 Nulla supercilium pariebat gloria: verum  
 Quo tibi plus passim decernebatur honoris,  
 Hoc minor, & cunctis submissior esse studebas:  
 Ergo tui largis lugebunt fletibus usque  
 Te tali subito spoliati Præsides, qualis  
 Nec fuit elapsis, nec erit venientibus annis.

### AD DEVM.

**T**E nostræ moveant Deus querelæ,  
 Et tristes gemitus, gravesque luctus;  
 Quos nobis varios ferunt, cunctque,

Exori Stygio lacu tumultus.  
 Pœnarum dedimus satis superque:  
 Sat multi perire, sat feroci  
 Bellonæ licuit, satis cruoris  
 Hausit sacrilegi furor duelli.  
 Quatè diffidijs procul remotis;  
 Optatæ redeat quietis aura:  
 Hæc te supplicibus voris,  
 Et multis lachrymis Deus rogamus.

EPITAPHIVM D. PHILIPPI AB  
 HOGESTEYN, RHODIANORVM  
 Dominorum apud Harlemonia.  
 Præsidis.

**E**Xanimata cubant hinc Præsidis ossa Philippi;  
 Effigiem cuius lector amice vides.  
 Qui gravis eloquio, morum probitate verendus,  
 Vir dignus nunquam qui moreretur erat.  
 Antiquæ assertor fidei, vindexque malarum  
 Hæresium, veræ religionis amans.  
 Pro quibus officijs cœli subvectus in arcem,  
 Æterno gaudet semper adesse Deo:

AD THEODORVM  
 BERGIVM.

**A**Ccepi Theodore tuum, lectumque probavi  
 Carmen civili quo devastata tumultu,  
 Et lachrymis perfusa, & conspurcata cruore,  
 Desiles quam passa est infelix Belgica cladem.  
 Aptæ est temporibus talis querimonia nostris,  
 Pestiferi turbat rabies quibus omnia belli.  
 Nos etiam, quando contingunt ocia, crebro  
 Mœrenti similes meditamur pectore questus,  
 Atque gravem existi testamur carmine luctum;

AD

## AD EVGENIVM PEREBOMIVM.

**H**Os tibi tam viles pro munere mittere velus  
 Vt audeam, tuus Eugeni  
 Persuasit candor pridem mihi cognitus, & mens  
 Candore quovis purior:  
 Hinc bene conveniens, atque ex te nomen habere  
 Videre te dignissimum.  
 Ex animo talemque lubens amplector amicū:  
 Qui nec secundo turgidus  
 Fortunæ flatu, nec cognitione superbus  
 Scientiæ, se venditat.  
 Quæ velur humanæ dos est rarissima mentis,  
 Sic laude dignos efficit.

AD PVERVM PHILOMVSV, DE LIB;  
GIBVS SCHOLASTICIS.

**Q**uæ parvis contenta damus præcepta tabellis  
 Sæpius attento fac puer ore legas;  
 Et lectas memori servato pectore leges:  
 Sic venient studiis commoda multa tuis;  
 In quibus ille parum mihi profecisse videtur  
 Qui nondum didicit moribus esse bonis.

## AD IACOBVM BONTIVM.

**A**Te digressus nuper, charissime Bonti,  
 Ut quondam soleo, cœpi conscribere versus:  
 Quæque olim lusi puer emendare laboro,  
 E quibus hoc ad te carmen transmittere visum est,  
 Quo confutatur veterum stultissimus error,  
 Qui sua, cælestis neglecto numine Patris,  
 Omnia Fortunæ tribuebant commoda, quæque  
 Sollicitam misere torquent incommoda mentem;  
 Quod nunc si tristi non fastidiveris ore,  
 Sique tuos versus ad nos & scripta remittas,  
 Pensabit missum Schonæus carmine carmen:

AD

## AD EVNDEM.

**Q**uotquot ad Engenium sunt missa epigrammata  
Bonti

Hæc quoque fac credas omnia missa tibi.  
Devincire duos juvat uno munere amicos,  
Rumpendus nunquam quos sociavit amor.  
Vrere carminibus communibus, utere donis,  
Quæ tibi pro vestris, Eugenioque damus.

## AD DEVM PRO PACÈ.

**A**n nunquam litui ferusque dira  
Invisusque tubæ sonus silebit?  
Nec sævi posito furore Martis,  
Expers dissidij quiescet orbis?  
Oppressi varijs modis, malisque  
Quid non perpetimur molestiarum?  
Heu quantis premimur, quibus gravamur  
Ærumnis miseri, laboribusque!  
Te nostræ columen Deus salutis,  
Vt clementer opem feras precamur,  
Tu tandem populi tui misertus,  
Civiles remove procul tumultus.

## AD EVGENIVM PEREBOMIVM.

**L**ectum restituo tibi libellum.  
Tu sic pergetuis vacare Musis,  
Vt versus facias favente Phœbo  
Nobis quotidie venustiores:  
Quo mox Pegasidum chorus sororum  
Concinnent tibi lauream coronam.

## AD PETRVM APHERDIANVM.

**C**um formare rudem sit res operosa juventam,  
Et maximis laboribus

Part III.

Q

Vndi



Undique plena: tamen tu non secus atque molestus  
 Vacuus scholæ negotijs,  
 Quotidie nobis profers nova carmina, Phœbo  
 Musisque non indignum opus.  
 Fortis es, infracto geminum qui vertice pondus  
 Apherdiane sustines.  
 Nos, quibus incumbit similis labor, atque onus, intra  
 Multos dies patissimos  
 Vix succisivo molimur tempore versus,  
 Magno exaratos ædio:  
 Tu cui se faciles præbent in carmine Musæ,  
 Multosque versus suggerunt,  
 Perge tuis tardos nos extimulare libellis:  
 Et mentibus fœcordiam  
 E nostris extunde gravem, sic pulcher Apollo,  
 Sic novem Heliconides Deæ  
 Castalio tibi spumantem cratera liquore  
 Exhauriendum porriganr.

## AD IACOBVM BONTIVM.

CVM tibi proveniant faciles ex tempore versus,  
 Castaliusque tuos manet ab ore liquor.  
 Cur mihi tam raro mittis tuæ carmina Bonti:  
 Cur longa torques me cruciasque mora?  
 Obfirmata nimis jam rumpe silentia tandem,  
 Teque puta nimium conticuisse diu.  
 Me tua scripta juvant jucundo plena lepore,  
 Quoque minus veniunt, hoc magis illa peto.

## IN BILBILIVM MILITEM.

Quid nos perfide Bilbili laceassis?  
 Quid, cum pessima quæque perpetraris,  
 Facturum graviora te minaris?  
 Non sunt militis ista, sed rapacis  
 Prædonis, levis, improbique scurræ.  
 Quo te distrahit, rapitque Erynnis?

Non

Non impune feres, dabisque belli  
 Pacato meritas furore pœnas.  
 Et quamvis grave iudicis flagellum  
 Cedendo fugias, forumque vites:  
 Istam nemo Dei potentis iram.  
 Aut divina nocens fefellit arma.  
 Hic ut lentus adest frequenter ultor,  
 Sic tardos gravitate pensas, ictus,  
 Et pœna leve vindicat severa.  
 Commissum, minimum nefasque punit.

## AD EUGENIUM PEREBOMIVM.

QVod longo nullos tibi misi tempore versus  
 Mei sodalis immemor:  
 Agnosco, fateorque meam Perebomie culpam,  
 Planeque me pudet mei.  
 Sed quid agam? segnis penitus mentem mihi torpor  
 Stuporque lentus occupat.  
 Quod licet ipse negem, tamen hoc rude carmen, in-  
 erique:  
 Rem me tacente comprobat.  
 Usque adeo dulces me destituere Camœnæ,  
 Phœbusque & omnes Gratiæ.  
 Quæ nisi sedato tollantur bella tumultu,  
 Sero relictum tempore,  
 Ne vix me reperant metuo, tandemve revellant,  
 Turbas perotæ Martias.

## AD IACOBVM BRASSICANVM.

QVis non constantem, atque animoso pectore  
 fortem  
 Te Brassicæ dixerit?  
 Qui formidandæ durissima spicula mortis  
 Spernenda censes fortiter.  
 Talis non potuit mihi displicuisse libellus,  
 Refertus utilissimis

Præceptis, monitisque salubribus, atque severis  
Lectoris animum recreans.

Perge precor studijs incumbere gnaviter istis,  
Quæ celebritatem nominis  
Sunt paritura tibi, famam, laudemque perennem,  
Seris canendam posteris.

### AD EVNDEM.

**C**Omica dum levibus pereurro pulpita soccis,  
Plautinum sectatus opus, numerosque Terentij,  
Gaudes, ac læto laudas mea pectore scripta,  
Ersipissis ea digna putas, Iacobe, theatris.  
Sed vereor nimio ne decipiat amor,  
Neve probes, alijs quæ nulla videntur, at illa  
Tollenda, ac fœdis potius tradenda tenebris.  
Sic delectabat Culbinum Polypus Agnæ  
Sicque strabum petum pater, aut matercula natum  
Appellat, vitijs indulgens : qui tamen error  
Non est culpandus, sed condonandus amicis:  
Præcipue si calcar habet laudatio : qualem  
Esse tuam sensi torporem, desidiaque  
Ex animo mihi quæ pellit, relevatque laborem:  
Nec me deformi patitur languere veterno.

IN SCHYPHVM ARGENTEVN, SIBI  
à Ioanne Voccino Præfide Zilenfile-  
gatum.

**S**Chonæo moriens Præses Zilenfis amico  
Me facit esse sui postremum pignus amoris.

### AD AMICOS.

**L**Vbrica præcipiti volvuntur tempora lapsu,  
Tempora post ullos non reditura dies.  
Dum fas est igitur læti vivamus amici:  
Apposito valeant cura dolorque mero.

IN TABVLAM REGVM ANGLIÆ EO-  
rumque res gestas paucis continentem.

**H**ic tibi depictos Anglorum conspice reges,  
Hic oculos recrea lector amice tuos.  
Ecce Caledoniæ regalia stemmata gentis,  
Atque Britannorum magna propago Ducum.  
Quæ latuere diu cæcis abstrusa tenebris,  
Artifici profert picta tabella manu.  
In qua non vultus tantum, vanasque figuras,  
Sed quoque res gestas, claraque facta vides.  
Atque humanarum quæ sit mutatio rerum,  
Instabiles regni Sorte movente vices.  
Multaque præterea quæ cognovisse juvabit,  
Gestaque diverso prælia morte leges.  
Quæ descripta licet paucis sint omnia verbis,  
Paucatibi tamen hæc commoda multa ferent.

IN TROPHÆVM PELUSIACVM,  
HARLEMENSIVM VIRTUTE  
partum.

**H**ic depicta vides clari monumenta Trophæi,  
Prolata in lucem, atque annalibus eruta priscis.  
Ut constet cunctis, invictæ robore virtus  
Quid valeat munita. Vides en candide lector  
Armatam mitis serrato dente carinam  
Instructamque modis, cui nec nodosa resistunt  
Vincula, nec solidæ dura astrigmenta catenæ  
*In via virtuti nulla est via. Quodlibet illa*  
Intrepide perumpit iter, securæ pericli;  
Contemnensq; graves aditus, subiensque molestos,  
Horribilesque alijs infracta mole labores.  
Quos Harlemensis pubes sibi vendicat ausus,  
Æternum meditata decus facinusque perenne,  
Dum Pelusiacas classe est in vecta per undas:  
Ut nobis veterum testantur scripta virorum,

EPIGRAMMATVM  
EX VERNACULO THEODORI  
CORENHARTI, JN SEP-  
tem dies.

- P**rima dies lucem fidei mortalibus adfert.  
Dum quæ non cernunt edocti pectore credunt  
2 Sic aquas ab aquis sejungit Conditor orbis,  
Sic doctrina monet quo spiritus & caro distant.  
3 Hinc carnis malesuada fugit, ceditque cupido:  
Iamque saluti feros profert mens integra fructus.  
4 Lunari veluti lucem sol mutuatur orbi,  
Sic Christus nostras illustrat lumine mentes,  
5 Mox totum complet sæcunda potentia mundum,  
Quam, pia concepit quæ mens, benefacta sequuntur.  
6 Prodit homo rerum dominus, pacique creatus,  
Quem ratio regit ut vir, quemque affectus ut uxor,  
7 Hic cesset securus homo, quæ condidit Auctor  
Servat, & hæc placida prudens ratione gubernat.

IN MAMERANVM.

**Q**uare te mammam dici Mamerane Maronis,  
Cum sis illepidi carminis auctor, amas?  
Ille sibi sumat cognominis hujus honorem,  
Castalium cujus manat ab ore melos.  
Ergo Virgilij vel desine Mamma vocari,  
Vel dignos magno pange Marone modos.

IN TABVLAM NVPTIALEM, VENE-  
torum Patriciorum Pompam  
continentem.

**H**ic Antenori connubia magna senatus,  
Et celebres thalami augusti, Venetosque Hy-  
menæos,  
Patriciosque vides insignes ordine cœtus:  
Solemnisque urbis pompas, rædasque jugales.  
Tum matronarum cultus, habitusque superbos,

Et

Et rutilo Tyrias infectas murice pallas:  
 Squalentesque auro vestes, gemmisque nitentes,  
 Quæ non visa prius, multisque incognita terris,  
 Nunc evulgantur, tutum spectanda per orbem.

DE COGNITIONE LIBERALIVM  
 ARTIVM.

**I**ngenua nihil est usquam præstantius arte,  
 Dulcia quæ mœstæ præbent solatia menti,  
 Pauperiem, durosque fugat secura labores,  
 Dispiciensque solum, fertur sublimis ad astra.

IN NÆVIVM.

**C**ur falso gaudes Pastoris nomine Nævi,  
 Cum curam tumidi nil nisi ventris agast  
 Corradis decimas commissos negligis agnos,  
 Et sequeris Paphiæ turpia castra Decæ.  
 Dum grave delitijs corpus vinoque saginas,  
 Incustoditæ dilacerantur oves,  
 Talis aqualiculo, non Christi servit ovili,  
 Ipse pedum quamvis pontificale gerat.

AD BALTHASARVM SCHOL-  
 NÆVM FILIVM, PETENTEM  
 Galliam & Italiam.

**H**æc mea chare puer, procul hinc abiturus in oras  
 Externas, memori pectore verba lege.  
 Sit cordi probitas, absit fallacia linguæ;  
 Et cole sinceræ religionis Deum.  
 Fac tua vita alijs passim, moresque probentur,  
 Atque bonis placeas displiceasque malis.  
 Sic nulla obvenient ignotæ incommoda terræ,  
 Et charus cunctis, gratus & hospes eris.  
 Nos hic perpetuis precibus, votisque supremum  
 Non desistemus sollicitare Patrem,

Vt te restituar nobis saluum, incolumemque.  
Interca felix vive, valeque diu.

*In pictum puerum.*

Vt flos irriguis subito marcescit in hortis,  
Sic celeri fugiunt mortalia tempora cursu.

*In piscem, in littore Hollandico inventum.*

Ceruleus profert inmania corpora pontus:  
Quorum unum hic cernis depictum candide lector;  
Inventum Batavo deforme in littore monstrum.  
Quod tibi spectandum scita dat Goltzius arte,

*In Christum mortuum.*

En jacet hic Christus crudeli morte peremptus,  
Dum cupit offenso nos conciliare Parenti.

*In Christum natum.*

Pastores nati visunt cupabula Christi,  
Et rerum Dominum magno venerantur honore,

*In Bacchum.*

Obleto dulci mœrentia corda Lyco.  
Osor tristitiæ, lætitiæque dator.

*In Venerem.*

Cū Cerere, & Baccho mea jūcta potentia magna est,  
Absque his exiguam vim meus ignis habet.

*In Cererem.*

Iam fastidita quercu, jam glande remota,  
Percipe frugiferæ munera grata Deæ.

*In visum.*

Dum malè lascivi visus cohibetur ocelli,  
In vitium præceps stulta juvena ruit.

*In auditum.*

Ne patulas blandis præbe Syrenibus aures,  
Quæ dulci cantus sæpe lepore nocent.

*In odoratum.*

Quamvis floriferus sit gratus naribus hortus,  
Sæpe tamen dulci fel sub odore latet.

*In tactum.*

Quæ conspecta obsunt, manibus contingere noli,  
Ne mox peiori corripere malo.

*In gustum.*

Dulcia sæpe nocent, avido gustata palato,  
Votaq; damnosæ luxuriosa gulæ.

*In Palladem.*

Artibus ingenuis, Martisq; potentibus armis,  
Immenso nostrum celebratur numen in orbe,

*In Venerem.*

Sum Venus orta mari, toti gratissima cælo,  
Exhilarans homines, æthereosq; Deos.

*In eandem.*

Non Dii, non homines possunt vitare sagittas,  
Quas meus emittit nervo stridente Cupido.

*In picturam ex nono capite D. Mathie sumptam.*

Suprema Christus cæli demissus ab arce,

Laudato medici fungitur officio;

Pravorum cætus hominum, turbasq; frequentat,

Nullum spernendum dum putat esse sibi.

Huc venit, non ut quendam damparet, at omnes

Sanguine servaret, supplicioq; suo,

*In tabulam Angelicam salutationem continentem.*

Pone metum virgo, celsi tibi nuncius adsum,

Missus ab arce poli: paries intacta, stupente

Natura, ut veterum cecinere oracula varum,

Teq; Dei matrem totus venerabitur orbis.

*In tabulam, circumcisionem Christi continentem.*

Cernis ut octava sit circumcissus Jesus

Hæc puer, tenero accipiens in corpore vulnus,

Ad normam veteris legis, ritumq; receptum,

Isacidis multos observatumq; per annos.

*In aliam, Magos Christum visentes continentem.*

Eoi visunt Christi incunabula reges,

Demisso in gelidam prostrati corpore terram:

Depromunt nato preciosaq; munera Regi,

Thus, aurum, Assyrio sudatam cortice myrrham.

*In a-*



*In aliam, de accessu Mariæ ad Elisabetham.*

Zachariæ Christi genitrix descendit ad ædes,  
Cognatamq; suam verbis affatur amicis.  
Mox puer exiliens, materna gestit in alvo,  
Agnosceus Dominum cæli, terræq; potentem.

*In Christum mortuum.*

Innocui cernis laceratum corpus Jesu,  
Qui roseo nostrum delevit sanguine crimen.  
Condetur tumulo, mox surrecturus in auras,  
Æterna nobis referans penetralia vitæ.

*De triplici coniugio.*

1.

Coniugium quod turpis amor, fœdusq; Cupido  
Copulat, instabile est, & mox peritura voluptas.

2.

Divitiæ turpes, & quos opulentia iungit,  
Falluntur miserè vafro cæcædæmonis astu.

3.

Quos connectit amor verus, castumq; cubile,  
Auspice junguntur Christo, remanentq; fideles.

*Ver.*

Humanas recreo mentes, volucresq; ferasque,  
Omnia floriferi lætantur tempore veris.

*Æstas.*

Per me larga seges densis canescit aristis,  
Agricolæsq; beo fœcundi frugibus anni.

*Autumnus.*

En ego maturos autumnus profero fructus,  
Efficioq; me ne spes sit vana coloni.

*Hyems.*

Accumulata vides totum quæcunq; per annum,  
Exornant nostram glaciali tempore mensam.

*In scyphum quendam.*

Ex amittæ multis opibus, quas dives habebat,  
Hic scyphus, & parvi pars mihi cessit agri.  
Quod si forte roges cur non sint plura relicta,  
Cætera iuridicis causidicisq; dedit.

*De quatuor diei temporibus.*

1. Plena laboriferi curis pars prima diei est,  
Et nobis pritur cum sollicitudine Phœbus.
2. Opportuna dies operi, duroq; labori est,  
Tunc desudando passim se quisq; fatigat,
3. Tristitiâ. & luctus abigit procul Hesperus omnes  
Exhilaratq; hominum mentes, curasq; repellit.
4. Nocte vacant curis animi, placidamq; quietem  
Percipiunt, gratoq; indulgent omnia somno.

*De Faunis.*

In venerem proni, captique Cupidinis igni,  
Et similes imo referunt quos corpore, capris,  
Per nemora, & saltus, & campi gramina Fauni,  
Intra lascivæ naturæ alimenta sequuntur.

*In suum Symbolum.**Nullum simulatum diuturnum.*

Quicquid fucato nitet, arridetque colore,  
Æthereas, veluti fumus, vaneſcit in auras.

*Ad populum, ludos scenicos spectaturum.*

Quæ sumus acturi pia sunt, accedite casti:  
Baccho licet sint hæc dicata tempora,  
Nil Baccho tamen hic dignum, turpive Dionî,  
Gratum choragus exhibebit Comicus.  
Quod dictu fœdum est, quod visu turpe, juventam  
Corrumpit. Ergo nil rudi, atq; simplici  
Proponendum est ætati, nisi pura, pudica,  
Et sacra quæ sunt: qualia hic videbitis.  
Huc animos igitur convertite, nosq; benignis  
Spectare, & auscultare, ut æquum est, auribus.  
Ludicra quin etiam jungemus Dramata sacris.  
Tamen verecunda, atque nulli noxia.  
Nil obsunt hilares lusus, salſive lepores,  
Comitive jucundis joci facetiis.  
Præsertim cum tempus adest, quo pectora cuique  
Neque indecoro, neq; inhonesto gaudio  
Oblectare licet passim, nunc pellite curas,  
Facera visuri simul spectacula.

*Inno loquitur.*

Et soror, & coniunx Jovis, & regina Deorum,  
Magnum præ reliquis sum Dea numen habens.

*Grammatica.*

A me principia, & magnarum exordia rerum  
Sumuntur: doctas hinc sic progressus ad artes.

*Aritmetica.*

Præcipuas partes tribuit, primasq; mathesis  
Jure mihi numeros certa ratione docenti.

*Musica.*

Jucundo tristes oblecto carmine mentes,  
Depelloq; graves curas, relevoque labores.

*Geometria.*

Terrarum tractus & latas metior oras  
Ingenio gaudens subtili, & acumine mentis.

*Dialectica.*

Discerno à falso cauto discrimine verum,  
Res dubiæ per me dicta ratione probantur.

*Astronomia.*

Ardua cærulei perlustro sydera cæli,  
Et scrutor rutili sublimes ætheris orbes.

*Rhetorica.*

Per me formatur facundæ gratia linguæ,  
Qua Deus, & regum mentes, hominumq; moventur.

*In imaginem divæ Virginis, ab Angelo  
salutata.*

Grata Patri summo salve Jussa propago,  
Illæsa paries virginitate Deum,  
Hoc opus efficiet divinus spiritus in te:  
Est par aut similis fæmina nulla tibi.

*De Christo orante.*

Pro nostro Christus passurus crimine mortem,  
Secretum cedit procul oraturus in hortum:  
Imploratq; Deum submissa voce parentem,  
Effundens tristes humano more querelas.

*Agricola ad Cererem.*

Divæ potens frugum fœcundi gloria ruris,  
Te colimus, te submissi veneramur, opimas

Quæ

Quæ largiris opes nobis, & plurima toti  
Humanogeneri gratissima dona ministras.

*Poteres ad Bacchum.*

Bacche pater prono prostrati corpore cuncti,  
Suppliciter petimus, nobis tua dona secundes:  
Dona quibus mætor tristis luctusq; recedit,  
Nostraq; sollicitis relevantur pectora curis.

*Amatores ad Venerem, & Cupidinem.*

O Citherea tuos placido nos respice vultu,  
Tuq; Cupido puer, quorum vis magna supernos,  
Infernosq; Deos genus & mortale laceffit:  
Et quorum numen non ulla potentia vitat.

*In Iconem Adami, & Eve.*

In mortem primi quondam cecidere parentes,  
Dum vitæ dulces decerpunt arbore fructus.

*In Iconem Veneris.*

Aligero magnas armata Cupidine vires  
Cypris habet, summos nec timet illa Deos.

*De filiabus Lothi.*

Deslagrasse omnem dum credunt ignibus orbem,  
Et genus humanum planè periisse, parenti  
Dulcia Lenzi præbentia pocula Bacchi,  
Illicito amplexu natæ, thalamoq; fruuntur.

*De Andromacha.*

Andromacha ceto miserè, devota marino,  
Saxosis scopulis, & duris cautibus hæret.  
Quam sibi mox Perseus, audens se credere cælo,  
Ereptam monstro, sociali fædere jungit.

*De Iuditha.*

Non semper validis sternuntur viribus hostes:  
Sustulit hæc magna mulier virtute tyrannum.  
Summi irrisorem, contemptoremq; Tonantis:  
Sacrorum ut nobis testantur scripta librorum.

*Christi admonitio.*

A me, Christus ait, mortales discite cuncti,  
Irati tumidum moderari pectoris æstum:  
Namq; est in toto nil me clementius orbe,  
Qui placida patior quævis opprobria mente.

*In*

*In principem temerarium & impium.*

Ipsè tuis opibus nequicquam stulte superbis,  
 Ætherei spernens reverendum numen Olympi.  
 Sæpe nihil profunt robusto in corpore vites,  
 Nec sibi dilectam numerofo milite plebem,  
 Verum divina Dominus virtute tuetur.  
 Nil prodest gladius, nil formidabilis hasta,  
 Nil galeæ, nil scuta valent, celerè ve sagittæ.

*Samson loquitur.*

Quondam confusus divino numine multos  
 Occido solus nullisque adjutus ab armis:  
 Ferratæque meis manibus cecidere catervæ,  
 Quæ cupida nostrum sitiebant mente cruorem.

*De Sara.*

Effæcto sterilis quamvis, sit corpore Sara,  
 Concipit illa tamen divino numine natum.

*De Rebecca.*

Morigeram dum se præbet Rebecca Tonanti,  
 Accipit obsequio præmia digna suo.

*De Magdalena.*

Illa pedes Christi lachrymis rigat, inde capillis  
 Abluit, & tristia crimina mente dolet.

*De homine.*

Est putris verè mortalis homuncio vermis,  
 Cujus vita cito cedit, abique pede.  
 Æthereas genitrix quem flens effundit in auras,  
 Principium à lachrymis qui capit ipse suum,  
 Tristitia qui longo traducit tempora luctu,  
 Tempora non paucis undique plena malis.  
 Quæ si perpendas attento pectore lector,  
 Spernenti vitam mors tibi dulcis erit.

*In libellos varios Hadriani van der Burch  
 Vlerajæstini.*

Quamvis sit rebus civilibus, atque severis  
 Urbis suæ negotiis,  
 Et variis curis multisq; laboribus usque  
 Distentus & molestiis:

Atta.

Aetamēn Aonidum dulci succensus amore,

Non desinit Verburgius

Quotidie nobis sua promere carmina, Phæbo,

Et literatis omnibus.

Quotquot devota venerantur mente Camœnas,

Gratum admodum, & iucundum opus.

Nec mirum ē sacris cum fontibus hauserit illud,

Monitis salubribus & piis

Præceptis plenum, cuius studiose libellos

Lector libenter perlege.

Et crebro: nam perfectos, mihi crede, probabis:

Nec poenitebit temporis

His aliquid tribuisse. Sacrum est, quodcunq; legetur,

Numeris politum metricis.

*Consolatur suos.*

Qui temerè, ac vanis oppugnat viribus hostem,

Illusus miserè sæpius ipse perit.

Vidimus obsessas magno molimine frustra

Urbes, innocuis auxiliante Deo.

Ille suos semper præsentî numine servat,

Quamvis humana destituantur ope.

Quapropter rebus ne desperemus in ætîs,

Iusta animum firmat causa, fugatq; metum.

*Fides.*

Non me durarum terrent discrimina rerum,

Firmaq; diversos tolero fiducia casus.

*Spes.*

Succurro, tristisque fero solatia menti,

Efficiens ne quis rebus desperet in ætîs.

*Charitas*

In toto nihil est usquam me gratus orbe

Quæ dulci socio charissima pectora nodo.

*In tabulam Martis & Veneris.*

Mars positis armis Venerem petit. Illa profecto

Felix est regio quæ nullo turbine belli

Vexatur placidaque fruens tranquilla quiete,

Fertilitate suos diratq; beatque colonos.

*De carne & spiritu.*

Seducit multos carnis damnosa voluptas.

Spiritus ad Christum contendit, & ætheris arcem.

*In imaginem strenui duois.*

Laudata præstat fortem succumbere morte :

Quam vitæ turpi consuluisse fuga.

*Dictum D. Hieronymi.*

Seu vigilo intentus studiis, seu dormio, semper

Judicis extremi nostras tuba personat aures.

*De ebrietate.*

Ebrietas mala multa docet, persuadet apertum

Sæpe nefas, rapit ad facinus, tollitq; pudorem.

### IN EFFIGIEM M. JOANNIS ZVRENI, sibi datam.

**H**anc grato Zurene tuam dum lumine spectro  
Effigiem, & chara notos in imagine vultus :  
Sculptorisq; manum mecum dum miror, & artem,  
Esse tui lætor magnum mihi pignus amoris.

*De Paride.*

Ipsæ sibi, patriæq; suæ, charisq; propinquis

Est Paris exitio dum fœdo paret amor.

*De liberalibus artibus.*

Ingenua nihil est usquam præstantius arte,

Dulcia quæ mœstæ præbens solatia menti,

Pauperiem durosq; fugat secunda labores,

Despiciensq; solum, fertur sublimis ad astra.

*In fortuna mobilitatem.*

Instabili tumidum veluti mare fluctuat æstu,

Sic levis infido fallit Rhamnusia vultu.

Nemo igitur rebus fidat sublatus opimis,

Sed vaga contemnat dubiæ ludibria Sortis.

*Hemoloquitur.*

Vitales genitrix flens me producit in auras,

Et vitam à lachrymis ordior ipse meam :

Mœstaq; lugubri traduco tempora fletu :

Mox largas mitto, dum morior, lachrymas.

*Ad Ponticum.*

Cras mittam dicis, cras dicis Pontice semper,  
 Tunc tua magnificis pensabo carmina donis.  
 Non promissa fidem fallentia munera, verum  
 Fœcundos promit donata pecunia versus.

*In imaginem pueri Iesu.*

Infans ille piæ qui pender ab ubere matris,  
 Est Deus in terras cello demissus Olympo.  
 Hic lethale scelus hominum, crimenq; piabit,  
 Olim primævi quod commiserè parentes,  
 Dum verita illicitos decerpunt arbore fructus,  
 Spernentes summi præcepta verenda Tonantis.

*In Ponticum.*

Lætus es & rides, dum cœnas Pontice mecum,  
 Si tecum cœnem Pontice, tristis eris.

*In Zoilum.*

Malim me culpes, quam laudes Zoile: quare?  
 Vis dicam? pulchrum est, displicuisse malis.

*In militem strenuum.*

Pro patria pugnans, armis hostemq; lacesens,  
 Officio fungor sedulus usq; meo.

## AD JULIUM JURISPERITVM.

**E**N rursus tepidi diffugiunt diēs,  
 Et Phœbus gelidum destituit polum,  
 Paulatimq; viæ contrahit ambitum,  
 Obscuris revehens frigora noctibus.

Tristantur pluvio tempora sydere,  
 Nudanturq; suis frondibus arbores,  
 Et vites subito frigore languidæ,  
 Amittunt rigido palmitè pampinos.

Orbantur viridi pascua gramine,  
 Flaccescunt frutices, & pereunt gelu:  
 Arescunt violæ, nec decor aridis  
 Est vernans foliis, floribus aut honos.

Obmutescit avis, nec modulos sedens  
 In nuda solitos perstrepat arbuto:  
 Sed pressa meditans voce silentium,



Adventare dies nunciat asperos.

Quæ quondam gracili carmina gutture,  
Sub noctem miseri fata quærens Ithys,  
Cantabat volucris dulcisonum melos,  
Hyberno recitet frigore territa.

Tempestate furens assidua Notus  
Infanoq; ferox turbine concutit  
Orbarum foliis robora quercuum,  
Humanis nimium corporibus nocens.

Quapropter mediis abditus ædibus,  
Juli præ reliquis chære sodalibus,  
Lucenci calidum te recrea foco,  
Volvendisq; diēs transige legibus.

Si quando rigidi te satias tenet  
Juris, prægravibus corda laboribus  
Torquentis refove liberioribus  
Te lassum studiis, dulcia perlegens.

Nolim difficilis dogmata Bartoli,  
Austeriq; graves Pomponij locos,  
Intentus tetricis pectore formulis,  
Sudanti trutines perpetuo manu:

Sed nunc eloquio te recreet suo.  
Æternis Cicero dignus honoribus.  
Quive illustre tuum Roma potens genus  
Sublimi celebrat Virgilius chely.

Si quid Pieris ludere gestiet  
Astrictum muneris dextera, libero  
Seu gaudet quoties scribere pollice,  
Hos quantum poteris sedulus exprime.

Sic quicquid gracili lævibus illinis  
Membranis calamo, suffugiet rogam:  
Sic pulchris meritis laudis honoribus  
Extollet studium posteritas tuum.

*Ad Philippum.*

Quo tandem missos compenses munere versus,  
Sollicitus quid me sæpe Philippe rogas?

Carmi.

Carmina mittenti rursus mihi carmina mitte,  
Hæc mihi præclari muneris instar erunt.

*In tabulas quatuor.*

1 Impius obiectat nobis cacodæmonis altus  
Divitias, mundum, prolem cum coniuge amicos:  
Vir pietatis amans Christi vestigia monstrat,  
Vivus discit mori, quo sis post fata superstes.

2 Felix ille quidem, multumq; beatius habetur,  
Qui prius ad petram frangit sua crimina Christum)  
Peccandi excutiat quam consuetudo pudorem.  
Dum mala vitantur, virtutis semina crescunt.

3 Seduluseffugito quæ sunt mala, si bona quæris,  
Vivere qui cupit in Christo, moriatur oportet.  
Et quem venturæ tenet expectatio vitæ,  
Hic sua tollendâ est crux, & spernenda voluptas.

4 Quam mors dura homini, quamque intolerandâ  
videris,

Extrema de te qui serò cogitat hora!  
Illecebris carnis mens, atq; libidine vincta,  
Ægrè distrahitur, Stygiam subitura paludem:

*In brevitatem humanæ vitæ.*

Vt citò prima fugit nascentis gratia floris,  
Sic humana brevi tempore vita perit.

*In Ponticum.*

Quid faciant alii cur semper Pontice quæris?  
Quin potius tua sint qualia facta rogas?

*In imaginem Maria Magdalena.*

Peccatrix veniam meruit, dum crimina flendo  
Agnoscit, vitæq; dolet pertæsa prioris.

*Aliud.*

Magdalis effuso lugens sua crimina fletu,  
In cruce suspensum Christum reverenter adorat:

*In imaginem D. Ioannis Baptista.*

Vox ego venturi mundo prænuncia Christi,

Exaturans herbis, viliq; legumine ventrem.

*Aliud.*

Ignotum primus nobis hic prodidit Agnum;  
In terris genitus quo non est sanctior alter.

*In imaginem cæci, cæcum ducentis.*

Devia dum sequitur cæci vestigia cæcus,  
In foveam præceps lapsus uterq; perit.

*Iuvenis loquitur.*

Dum vegetæ florent juvenili in corpore vites;  
Dulcia carpamus fugientis gaudia vitæ.

*Ad juvenem pauperem.*

Pauper amas frustra locupletem stulte puellam;  
Quin potius quæris par tibi conjugium?

*De muliere Canana.*

Se similem mulier catulis facit, unde salutem  
Nacta, Deum laudat nocte dieq; suum.

*Senex ad Puellam.*

Ne contemne senem numatum stulta puella;  
Atq; tuum flectat preciosa pecunia mentem.

*Puella ad senem.*

Numos quos offerst tibi serva, divitiasque:  
Vernantis, viridisq; juvat me gratia formæ.

*De libello Petri Apherdiani.*

Quem parvo tibi vendit Bibliopola libellum;  
Oblatum placidis puer amplexaberis ulnis,  
Evolveſq; lubens lectum, mihi crede, probabis;  
Et positum cupidus repetes, ægreq; repones,  
Ingenua Latia captus dulcedine linguæ.

*Anus ad Iuvenem.*

Me cum magnifica noli contemnere dote;  
Divitiasq; meas inopi præpone puellæ.

*Iuvenis ad anum.*

Non me turpis anus, quamvis numata movebis;  
Frons tua me terret, deformibus obſita rugis.

*Senex loquitur.*

Quia coniugem duxi juveniculam senex,

Heu

Heu quot miseriis, & malis premor miser!

*Ad Iacobum Brasficam.*

Dum natum formare paras, reliquamq; juventam,  
Rem literariam juvas,

Laudatumq; probaste sedulitate parentem,  
Formasq; multos Brastica

Præceptis juvenes: ex quo tibi splendida magni  
Orietur aura nominis.

*In Christum cruci affixum.*

Suspensus duro est servator robore Christus,  
Qui neq; delictum, neq; culpam admiserat ullam:  
Sed tulit hanc insons pro nostro crimine poenam,  
Offensi pandens cælestia regna Parentis.

## AD CHRISTVM PRO DEFENSIONE

Religionis Christianæ adversus Turcam,  
sub persona M. Magistri D.  
Rhodianorum.

Ve tua crux Stygium terret pie Christe tyrannum  
Sic fugiat nostras Barbara turba cruces.

*In iconem pii principis.*

Donec celsa manus princeps ad sidera tollens,

Divinam supplex sollicitabit opem:

Omnia contra hostem cedens feliciter illi,

Et tali populus vindice tutus erit.

*In pyramidem ligneam.*

Barbara pyramidum struxit miracula Memphis,

Olim finitimis invidiosa locis.

Nos vilem Princeps tibi molem ponimus, ast hæc

Aurea, si redeant tempora pacis, erit.

*De Democrito.*

Vana levis, stultiq; videns ludibria mundi,

Solvitur in magnum Democritus usq; cachinnum.

*De Heraclito.*

Perpetuis contra lachrymis, fletuq; perenni

Heraclite mades, hominum mala plurima lugens.

*Cæcus mutata in virum.*

**A**quorem dum passa Deum pulcherrima virgo;  
**I**nformam gaudet Cæcus mutata virilem.

*De eadem.*

**E**reptæ pulchro pro virginitatis honore  
**O**ptat fœmineum Cæcus deponere sexum.

*In Pontilianum.*

**H**æc quid mordaci laceras Epigrammata dentē;  
**I**nfensus studiis Pontiliane meis?  
**S**inon arident quæ scribimus, inuide cur non  
**E**xcutis e manibus carmina nostra tuis?

**F I N I S.**

**NVLLVM SIMULATVM DIVTVRNVM**



















